
255
3 - C
15
ROMA

CAESAR AVGVSTVS
SIVE HISTORIAE
IMPERATORVM CAESARVMQVE
ROMANORVM EX ANTIQVIS
NVMISMATIBVS RESTITVTAE
LIBER SECVNDVS

ACCESSIT CAESARIS AVGVSTI
VITA ET RES GESTAE

HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITA
VENLONIANO CIVE ROMANO
AVCTORE ET SCVLPTORE

BRVGIS FLANDRORVM
AN·A·CHR·NAT·
M·D·LXXIIII.





SERIES EORVM QVAE HOC LIBRO

CONTINENTVR.







EXEMPLAR SENATVSCONSVLTI QVO HVBERTVS GOLTZIVS CIVITATE ROMANA DONATVS EST.

STEPHANVS PAPARONIVS, HIERONYMVS GROSSVS, HIERON. BVBALVS ALMÆ VRB. COSS. AD POSTERITATIS MONVMENTVM, HIS LITTERIS SCIRE OMNES VOLVMVS INTER PRÆCLARA MAIORVM ROMANORVM INSTITVTA ILLVD FVISSE PRÆCLARISSIMVM, INSIGNES SCILICET VIRTVTE ET PROBITATE VIROS AVGENDÆ REIPVBL. GRATIA, CIVITATE DONARE, VT PRÆSTANTISS. CIVIBVS AVCTA, DOMI FORISQVE OMNIVM NATIONVM RES GESTAS SVPERARET. QVORVM NOS IMITATIONE ATQVE EXEMPLO PYRRHO TARIO I.V.D. HECTORE MVTTINIO, VINCENTIO RVBEO TRIBVS EX QVATTVORVIRIS CIVITATIS DONANDÆ FREQVENTIQVE SENATV ASSISTENTIBVS, HVBERTVM GOLTZIVM HERBIPOLITAM VENLONIANVM, BENE DE ROMANA REPVBL. MERITVM, CVIVSQVE VIRTVS SINGVLARISQVE ERGA ROMANVM NOMEN OBSERVANTIA CVM PRÆCLARISSIMORVM CIVIVM TESTIMONIO, TVM EDITIS NVPER SCRIPTIS SENATVI PLANE CLARVIT, CIVEM ROMANVM EX S. C. CREAVIMVS, CREATVM IN SENATVM VENIRE, MAGISTRATVS GERERE, IVS FERENDI SVFFRAGII HABERE, SACERDOTIA OBTINERE, BONA EIVS LIBERA ATQVE IMMVNIA ESSE, CETERISQVE ROMANORVM CIVIVM HONORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS HONESTARI, QVIBVS ILLI FRVVNTVR QVI CIVES ROMANI NATI AVT IVRE OPTIMO FACTI SVNT, DECREVIMVS ET CENSVIMVS. EA TAMEN LEGE VT VRBEM ROMAM, SICVT OPTIMVM QVEMQVE CIVEM DECET, SVA VIRTVTE ATTOLLAT, FIDELITER A QVOCVNQVE VEXANTE TVEATVR, IVRA PONTIFICIA ROMANIS CONCESSA, ATQVE SENATVS CONSVLTA OBSERVET, ROMANOSQVE OMNI DILECTIONE PROSEQVATVR. DANTES SCRIBIS SENATVS P.Q.R. AVCTORITATEM, FIDEI ERGO ATQVE AD PERPETVAM POSTERITATIS MEMORIAM, ACTA HÆC ATQVE DECRETA IN PVBLICAS TABVLAS SVBSCRIPTIONE REFERRE CVM SIGILLI S.P.Q.R. APPENDICE. DATVM IN PALATIO CAPITOLINO VII. IDVS MAI. M. D. LXVII.

IVLIVS HOROLOGIVS SCRIBA S. P. Q. R.
HORATIVS FVSCVS SACRI S. P. Q. R. SCRIBA.

ADOLPHI MEKERCHI BRVGENSIS I.C. SILVA, QVA GOLTZII

Frontispicium huius operis explicatur.

Iulij Cæsaris cædes.

IVLIVS vt multo confossus vulnere Cæsar
Effugientem animam cælestibus intulit astris,
Indigetesque inter colitur tota vrbe Quirini:
Quæritur interea quis tantæ pondera molis
Sustineat, patriæque queat succedere Patri.
Hic (quanquam Romana habeat Respublica multos
Insignes pietate viros, & fortibus ausis
Senatus Augusto Orbē tradit. Conspicuos) omnes juvenis tamen altior inter
Emicat AVGVSTVS, cui MVNDI regna triformis
EXCELSO IN SOLIO, populo applaudente, SENATVS
Tradat, & Imperij totas committat habenas.
Huic Dea præpetibus gaudens VICTORIA pennis
Intextam sacro LAVRI de fronde CORONAM
Imponit capiti, & victricia tempora cingit.
Scilicet hinc quondam CAPRICORNI sidus amicum
Nascenti primùm illucens feliciter, Orbis
Imperium, quâ terra patet, portendit, & Vrbis.
Adspicis Imperij victricia signa superbas
Hinc atque hinc AQVILAS: Pedibus quarum altera aduncis
Tarpeij Iouis ex antiquo robore QVERNAM
(Vt Iouis armigeram decet) attrectare CORONAM
Gaudet, ab Ausonijs quæ CIVICA ritè vocatur,
OB CIVEIS armis SERVATOS rebus in arctis.
Parte alia invictis vt conterat vnguibus ORBEM
Alituum Regina vides, quia fortibus armis
PAX ORBIS TERRARVM, Pax illa optima rerum
Quas homini natura dedit, toto orbe reducta est,
Sacra triumphali circundans tempora LAVRO.
AVREA nunc demùm VBERITAS, sæcla aurea surgunt:
Christus humani generis salus nascitur sub Augusto. Exoritur nunc alma SALVS, mortalibus ægris
Exspectata diu, mors mortis, cuspis Auerni,
Humani generis spes, lux, via, vita perennis.
Iam noua progenies cælo demittitur alto,
Factus homo Deus, è superi qui sede parentis
Virginis intactæ gravidam descendit in alvum,
Mortalesque auras haurit Puer. Omnia latè
Augusti monarchia. Augustum nunc regna colunt, Regesque tremiscunt
Terrifici, Pacemque petunt, inimica facessunt
Arma: omnes famulas Augusto tendere dextras
Conspicias, humilesque olli submittere fasces
Certatim, exoriens & quâ sese æquore Phœbus

Mane

Mane leuat, feroque caput quà vespere condit,
Et circunfusis tellus se porrigit vndis.
Cernis vt indoleant Nymphæ, vultumque decorum
Trium Orbis partium descriptio. Demittant tristes; quæ totum quâ patet orbem
Partitæ, cunctos populos, gentesque, virosque,
Terrásque, tractúsque maris fluviósque profundos
Sub ditione sua tenuerunt hactenus: illæ
En spoliatæ armis sortem lacrymantur acerbam.
Cornix, Græcis Κορώνη. Namque vides solido de marmore vtrimque columnas
Arte CORINTHIACA erectas: Cornice supremâ
(Augur enim, justique tenax, cultórque deorum
Exstitit Augustus, fuit illi & cura sacrorum)
Supellex sacrorum. Stant vrna, atque tripus, capeduncula, & aspergillum,
Vrceolus, cultérque, securis, & albogalerus,
Cum lituo, clypeisque ancilibus alternatim
Intextis: suspensa vides vtrimque TROPHAEA
Hostibus à victis, spolia, exuviásque superbas.
Spolia terrestria. A dextra clypeos, arcus, densámque tueris
Telorum segetem, atque ingentia cingula baltei,
Fulmineúmque ensem, & perfusum sanguine scutum,
Loricámque grauem trunco pendêre, supráque
Insignem cono galeam. hìc quatit aura comantes
Cassidis auricomæ cristas, hic pulvere currus
Fœdatíque jacent axes radiíque cruore.
Haud procul hinc cornu, nec non cava buccina pendet
Tortilis in latum; propè ahenea classica cernis,
Classica sueta viros ad prælia dura ciêre
Terribili sonitu, Martémque accendere cantu.
Spolia naualia. A læua puppes, clauos cum puppibus altis,
Cheniscúmque recens nauali Marte reuulsum,
Rostráque cum proris, retinacula, carbasa, malos,
Cornua velatarum fraxinea antennarum,
Transtráque cum remis, ærata & cuspide contos,
Arma virûm, tabulas, corbes, fractósque rudentes:
Multáque prætereà quæ versu dicere non est:
Vsqueadeò miserum est castris, & rebus, & armis
Nudari, Sortísque vices tolerare nouercæ.
EVROPA. Prima BOVIS dorso nivei sata Agenore nympha
EVROPA invehitur princeps; quam captus amore
Iupiter in Tauri faciem mutatus & ora
Trans mare vexit ouans, pelagóque inclusit, & altis
Turribus imperitare dedit, munitáque vallis
Oppidáque, & latos populos, & mœnia & arces
Concessit, valido bona propugnacula bello,
TVRRITAMque comis flauis gestare CORONAM.
Ponè jacet rostrum, CLAVVSque, & fida salutis

Ancora, navigijsque accommoda multa supellex.

Asia. Proxima nympha Asia est Eois splendida gemmis,
Intonsum redimita capillum Perside Mitra,
Assyrios redolens fucos, Arabúmque potentum
Myrrhámque & pigmenta, Sabæi & thuris odores.
Illa tenet gremio præsignem cornibus Arcum
Pro sceptro, Pharetram tergo, in pharetráque sagittas
Parthorum: nec abest deformis membra Camelus.

Africa. Africa dein Libye fervore notabilis ipso,
Aethiopissa parum sano Phaëthonte perusta,
Getuli fuscam pellem vestita Elephanti,
Niliaci tergum squamásque premit Crocodili:
Cui comes est Sphinx, Oedipodis Sphinx nobile monstrum,
Virginis os vultúmque gerens, vnguésque leonis,
Harpyiæque alas volucres, caudámque draconis.

America nondum inuenta. Tum nondum varios plumarum induta colores
Omnigenûm alituum subtilis America, venas
Aurique argentique irritamenta malorum
Eruerat: quam post ter sæcula quinque peracta
Per mare navigijs vectus Vespucius audax
Vi rapuit, tenero nympham complexus amore:
Edocuítque hominum cultus, morésque, sacræque
Relligionis opus supremum agnoscere Numen:
Et tribus hanc tandem Nymphis sociam addidit vnam.

Goltzius hæc parva in tabula dum singula pulchrè
Exprimit, atque oculis subjecta fidelibus orbi
Tot veterum effigies, tot prisca numismata sculpit:
Se, patriam, Romam, Augustum, lauróque coronat
Laurinos: nam Virtutis sunt præmia Laurus.

LVDOVICI CARRIONIS BRVGENS. I. C. IN IDEM FRONTISPICIVM GOLTZII CIVIS ROMANI.

En tibi Roma malis, Caesar, ciuilibus ægra,
Et varijs lacerata duellis,
En, Pater, ô, Patriae, Princeps, Auguste, Senatus
Et titulos dat & Orbis habenas
Committit, studijs fessus discordibus. Hoc tu
(Sic sacri meruêre labores)
Lætus habe: Et, Pacem, ramis insignis oliuæ
Imperio dare totius Orbis
Sis memor. Hinc ales Victoria, præpete penna,
Aurea serta parat tibi Lauri.

Parte

Parte alia es felix CAPRICORNI Sidere. vtrimque
   ARMIGER est Iouis, alituum Rex.
Illa premit teretem volucri sub pectore mundum:
   Hæc tibi quercea dona coronat.
Non minus esse tamen curæ tibi sacra, capedo
   Et lituus, recidiuaque cœlo
Arma docent. His tu nunc artibus aggredere orbem.
   His terram rege & artibus vndas.
En EVROPA gemens, placidóque inuecta iuuenco,
   Oppida cum regnis populisque
Vni offert deuota tibi; quæ cetera vincit,
   Diuitiis animosa suorum.
En supplex ASIA, olim inlustris Perside mitra,
   En humilis tua iussa capessit:
Et Signa atque Aquilas, quę CRASSI opprobria, presso
   Nixa genu tibi, Diue, remittit.
En Libye miranda nouis ex ordine monstris,
   Te LEPIDO dare iura subacto
Iam patitur. Te NILVS amat. CROCODILVS adorat,
   LEVCADII post fata triumphi.
Inde Corinthiaca surgunt tibi ab arte Trophæa,
   Pyramidésque nouique obelisci.
Ne tamen, ô, æterna tibi ne, DIVE putaris.
   Deteret hæc veteris labor æui.
Vixque tua quondam, CAESAR, nosceris in Vrbe
   Barbarico trepidante tumultu.
Non tibi Romulidæ è tenebris, non Itala virtus
   Eripiet decora inclita famæ.
Ast gentes olim domitæ victricibus armis,
   Quæque iugum tolerare Latinum
Consuerant; statuas viuo de marmore ponent:
   Inque notis tua nomina pangent
Aeratis, Vultusque sacros atque ora notabunt,
   Ora ipsi malè cognita Romæ.
Hinc BRVGAE, hinc veteri gens nata Tuiscone, certant
   Et titulos cumulare superbos;
Et penè effigiem squallentem cingere LAVRV
   AVREA; & HVBERE munera dextra
Ferre. Sed, ô, non hoc, non hoc, Vrbs incluta Brugæ,
   Vrbs populo inuidiosa Latino,
Roma feret. Sed quem tu cœlo laudibus æquum,
   Atque operis celebrare solebas
Auctorem: Hunc olim Roma Ausoniusque Senatus
   Scilicet Ausonia Vrbe beabit;
Et Ciuem faciet. Non hæc tibi gloria GOLTZI;
   (Sit licet hæc tibi gloria magna)

At

At maior tamen est Romanæ ciuibus Vrbis,
Quæ proprij inuida munere honoris
Hoc ergo te donat; vt hanc non debeat vlli
Historiæ è tenebris reuocatæ
Externo laudem. At tu vel Germanus in auras
Edite, Belga, nisi Itale mauis
GOLTZI; antiqua, sepulta, in dias luminis oras
Quod facis, erue. Sic tua circum
Tempora de LAVRI scintillans fronde corolla
Ardeat AVREA. Sic tibi fratrum
Nobile par LAVRINORVM de diuite censu
Munifica tua cœpta secundet.

Duaci A. D. IIII. Non. Decemb.

Ann. M. D. LXXII.

AD HVBERTVM GOLTZIVM
CIVITATE ROMANA DONATVM
IOAN. POSTHII GERMERSHEMII MEDICI.

DE Patria magni lis magna exarsit Homeri,
Septem vrbes Ciuem quem voluêre suum.
Tu maior: nam te sibi vindicat inclyta Ciuem
Flandrica terra suum, Teutonis ora suum.
At quoniam illustras veteris decora ardua Romæ,
Asserit & Ciuem te tua Roma suum.
Ergo donec erunt Germania, Flandria, Roma,
Semper honos, GOLTZI, viuet in orbe tuus.
Viuet & irriguas pulcherrima LAVRVS ad vndas,
Præsidio cuius, quod facis, omne facis.

AD EVNDEM
VICTORIS GISELINI MEDICI ODE ΜΙΜΗΘΙΚΗ.

Virtutis hostis, nec sibi nec Dijs
Amicus, vt sese adnumeret bonis,
Ab Atreo vsque, ipsoque Ledæ
Progeniem numerabit ouo:
Sui vel ortus conscia mœnia
Troiæ, Corinthique, ac Lacedæmonis
Iactabit audax. te sed illis
Longè alium meliore fato
Omnes amicum discupiunt boni,
Amice GOLTZI. non patria, aut aui

Dedêre,

Dedere, vt ignotum vagantem
Suſciperent cupido ore gentes:
Immo ipſe contrà, dum valida manu
Scripta vndiquaque, ac viribus ingenî
Ex vltimo orbe in Romuli vrbem
Reſtituis veteres Quirites;
Venlonianum atque Herbipolim tuam,
Quà Phœbus oras mundi habitabiles
Inluſtrat, inluſtrare pergis,
Per titulos, memoresq́ue Faſtos.
Iure ergo patrem te patria, ac Deum
Supplex adorat: cornibus & ſuis
Iam Rhenus obnifas retorquens
Oceanas animoſus vndas,
Se maior ipſe, & vix capiens, lutum
Nili æſtuantis, ac rutilas Tagi
Hermiq́ue arenas, amniumq́ue
Prodigia omnia ceterorum
Contemnit. vni ſed famulas tamen
Submittit vndas, Thibri pater, tibi
Laudumq́ue fontem propriarum
Flumine quas tumido redundat,
In te refundit. te, ſimul aurea
Nato retexi Sæcula GOLTZIO
Audiſti, & Auguſtis referri
Conſulibus meritos triumphos;
Dixiſſe fama eſt: En erit hic dies,
Ridebit alma qui mihi adorea
Secundus, ac rurſum fugatis
Pulcer erit Latio tenebris.
Saluete ô almi lumina ſæculi
Pij Quirites, quorum ope patriæ eſt
Porrecta Maieſtas ab ortu
Solis ad Heſperium cubile.
Saluete: non vos iam taciturnitas
Vrgebit æui. viuite, viuite
Aeternùm, & orbe veſtra toto
Fama loquax memoret trophæa:
Tuumq́ue, in illis, ſidus Iulium,
Diuosq́ue honores, ô Veneris puer
Auguſte. quàm nunc te tenere,
Et reducis iuuat ora vultu
Læto obtueri? quo duce ferias
Non antè notas Heſperia eſt mea
Experta longùm, vectibusq́ue
Mille, feris vacuum duellis

Ianum Quirini clusit, & ordinem
Rectum euaganti frena licentiæ
Iniecit, emotisque culpis
Iustitiæ reuocauit artes.
Ne, Roma, ne iam pœniteat tuæ
Anilitatis: te caput vrbium,
Orbisque Reginam prioris
Ista etiam veneratur ætas.
At GOLTZI, amori præmia tam pio
Aequa vt rependam, non opis est meæ:
Non, si liquenti in ære nomen
Mille tuum statuæ loquantur.
Quod ergo possum; Vos Tiberinides
Ite, ite Nymphæ, et vindici amabili,
Ciuique vestro ob vindicatos
In patriæ sua iura Ciuis,
Quernam coronam nectite: sit comes
Et illa LAVRO, quæ Oceano vltimo
Adnata nuper, atque Nymphæ
Hydrorhoës vegetata lymphis,
Phœbi & Sororum est delicium nouem: &
Daphnæa vt olim silua Palatij
Custos Poëtarum pudicis
Aërijs minitatur auris.

HADRIANI IVNII MEDICI ἈΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

Hoc consigno decus proprium tibi GOLTZI, quòd sis
Vber inexhaustum rerum, riuusque perennis,
Barbaries quas nulla vnquam, aut longæua vetustas
Eripere, aut caries potuit; tibi Martia Roma,
Relliqua qui promis Latiæ ornamenta monetæ,
Thesaurum subductum orco, latebrâque redemptum,
Vindicijsque pijs orbi hunc transcribis honorem.
Si Triuiæ vitam debebit Virbius: herbæ
Gustatæ Glaucus, libertatemque Camillo
Orba vrbs Roma suo; quæ non tibi tempora nectat
Laurea? & exhaustos quibus ætas grata labores
Tollet in astra modis præsens & sera nepotum?
Zenoni Cecropidas gemmis auroque coronam
Insignem, & statuam fama est sacrasse superbam
Virtutis merito: quo tu mactandus honore
Surges, ob FASTOS reduces, atque e'n reposta?

IOA-

IOACHIMI TYDICHII
BERLINENSIS MARCHITAE
'ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

H erbifer irriguo prolabitur agmine Mœnus,
  V beribúsque beat rura propinqua satis.
B ellacésque rigans, quos fert Germania, Francos,
  E xoneratur aquis, maxime Rhene, tuis.
R es etiam loquitur, pariat quòd is VBERE cornu
  T urgidulus venis AVREA frusta suis.
O men inest verbis, ea nec ratione carebunt,
  Go LTZIVS est AVRI pars bona, Mœne, tui.
L uminis ille sui Mœni primordia ripis
  T raxit, & AVRATVM nomen & omen habet,
S cilicet hoc AVRO Germania Romáque lucet;
  I lla dedit vitam, ciuis at ista locum.
O rta fuit lis inde: suum Germania natum,
  S ic ciuem repetit Roma Latina suum.
V ísne ego sim iudex? Germanus habebitur, vno hoc
  O rba viro quid erit Martia Roma? cinis.

CAROLVS VTENHOVIUS F.

Antiquitatis vberrimæ instauratori Huberto Goltzio in amicitiæ symbolum scripsit Brugis Anno M. D. LXVI. Prid. Id. Aug.

Vbere cum Latio totas cui mater Athenas
  Creditur vberibus prouoluisse suis,
Vber & vberius per quem fluit Hippocrenes,
  Vbera lactenti cui dedit alma Charis:
Nomen ab ingenij tulit vbertate venustum,
  Illud ab vberibus ni tulit vberibus.

'ΟΥΘΕ'Ν-'Ο-θεοπιστίοιο-ΒΙΟΣ πέλει νόσφι θεοῖο.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS.

Imperio Augusti non est illustrius vllum,
  Nec quo venturo tempore, maius erit:
Tum Romæ Imperium terris, æquauit Olympo
  Pectora, & accessit prosperitate Deos.
Inter quos Cæsar, Diui genus, altaque Iuli
  Progenies, celsum protulit orbe caput.

Ianum Quirini clusit, & ordinem
Rectum euaganti frena licentiæ
Iniecit, emotisque culpis
Iustitiæ reuocauit artes.
Ne, Roma, ne iam pœniteat tuæ
Anilitatis: te caput vrbium,
Orbisque Reginam prioris
Ista etiam veneratur ætas.
At GOLTZI, amori præmia tam pio
Aequa vt rependam, non opis est meæ:
Non, si liquenti in ære nomen
Mille tuum statuæ loquantur.
Quod ergo possum; Vos Tiberinides
Ite, ite Nymphæ, et vindici amabili,
Ciuique vestro ob vindicatos
In patriæ sua iura Ciuis,
Quernam coronam nectite: sit comes
Et illa LAVRO, quæ Oceano vltimo
Adnata nuper, atque Nymphæ
Hydrorhoës vegetata lymphis,
Phœbi & Sororum est delicium nouem: &
Daphnæa vt olim silua Palatij
Custos Poëtarum pudica
Aërijs minitatur auris.

HADRIANI IVNII MEDICI ἈΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

Hoc consigno decus proprium tibi GOLTZIE, quòd sis
Vber inexhaustum rerum, riuusque perennis,
Barbaries quas nulla vnquam, aut longæua vetustas
Eripere, aut caries potuit, tibi Martia Roma,
Relliqua qui promis Latiæ ornamenta monetæ,
Thesaurum subductum orco, latebrisque redemptum,
Vindicijsque pijs orbi hunc transcribis honorem.
Si Triuiæ vitam debebit Virbius: herbæ
Gustatæ Glaucus, libertatemque Camillo
Orba vrbs Roma suo; quæ non tibi tempora nectat
Laurea? & exhaustos quibus ætas grata labores
Tollet in astra modis præsens & sera nepotum?
Zenoni Cecropidas gemmis auroque coronam
Insignem, & statuam fama est sacrasse superbam
Virtutis merito: quo tu mactandus honore
Surges, ob FASTOS reduces, atque æra reposta?

IOA-

IOACHIMI TYDICHII

BERLINENSIS MARCHITAE

'ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

H erbifer irriguo prolabitur agmine Mœnus,
  V beribúsque beat rura propinqua satis.
B ellacésque rigans, quos fert Germania, Francos,
  E xoneratur aquis, maxime Rhene, tuis.
R es etiam loquitur, pariat quòd is VBERE cornu
  T urgidulus venis AVREA frusta suis.
O men inest verbis, ea nec ratione carebunt,
  Go LTZIVS est AVRI pars bona, Mœne, tui.
L uminis ille sui Mœni primordia ripis
  T raxit, & AVRATVM nomen & omen habet,
S cilicet hoc AVRO Germania Romáque lucet;
  I lla dedit vitam, ciuis at ista locum.
O rta fuit lis inde: suum Germania natum,
  S ic ciuem repetit Roma Latina suum.
V isne ego sim iudex? Germanus habebitur, vno hoc
  O rba viro quid erit Martia Roma? cinis.

CAROLVS VTENHOVIVS F.

Antiquitatis vberrimæ instauratori Huberto Goltzio in amicitiæ symbolum scripsit Brugis Anno M. D. LXVI. Prid. Id. Aug.

Vbere cum Latio totas cui mater Athenas
  Creditur vberibus prouoluisse suis,
Vber & vberius per quem fluit Hippocrenes,
  Vbera lactenti cui dedit alma Charis:
Nomen ab ingenij tulit vbertate venustum,
  Illud ab vberibus ni tulit vberibus.

'ΟΥΘΕ'Ν-'Ο-θεοπιστίοιο-ΒΙΟΣ πέλει ὑστέρφι θεοῖο.

GEORGII FABRICII

CHEMNICENSIS.

Imperio Augusti non est illustrius vllum,
  Nec quo venturo tempore, maius erit:
Tum Romæ Imperium terris, æquauit Olympo
  Pectora, & accessit prosperitate Deos.
Inter quos Cæsar, Diui genus, altaque Iuli
  Progenies, celsum protulit orbe caput.

Sed nunc fata Deûm, nunc inuidiosa vetustas,
  Abstulit inuicta quidquid in vrbe fuit:
Quo iacet Augustus, Marcellus, Agrippa sepulcro,
  Nunc Mausolei stat sine honore decus.
Roma ruina iacet, Dicæarchidos ora ruina est,
  Calchidicáque nihil restat in arce super.
G O L T Z I V S auspicio natus felice, reducit
  Aurea Saturno qualia secla sene.
Et veterum vultus, insignia, bella, triumphos
  Eruit, è priscis sculpit & illa notis,
Non minus Aeneę genitor, quàm monstrat in agris
  Elysiis, certa nomina certa fide.
Hoc fecêre alij, merita qui laude ferendi:
  H V B E R T V S palmam sed tamen vnus habet,
Ad Mœnum herbosæ Cereris qui natus in vrbe,
  Franciacæ excellit splendidus vrbis honor.
Augusti Ciuis vixisset G O L T Z I V S æuo,
  A V R E V S in Latio staret & ipse foro.

ΕΙΣ ΤΑΣ ΤΟΥ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ

Καίσαρος εἰκόνας, ϗ τὰς τῶν τότε νομισμάτων χαρακτῆρας, τάς τε ἱστορικὰς ἐξηγήσεις, ΟΥΒΕΡΤΟΥ ΓΟΛΤΖΙΟΥ Φραγκοῦ ϗ Πολιτογραφέντος Ρωμαίου τύποις ϗ πόνοις,

ΙΩΑΧΕΙΜΟΥ ΚΑΜΕΡΑΡΙΑΔΟΥ.

Εἴ τις θαυμάζει καλὰ τέχνης ἔργα παλαιῆς,
  Ἤτοι ζωγραφικῆς ἢ τυπογλυφικῆς,
Οἷά τε λύσιππον ποιῆσ' ἢ φασὶν ἀπελλῆν.
  Τούτων γὰρ οὐδεὶς ἐστ' ὀνομαστότερος.
Τόνδ' εἰς ΓΟΛΤΖΙΑΚΗΣ χειρὸς πόνον ἦτος ὁράτω,
  Εἰς κάλλος θ' ἑτέρων ὧν ἐχάραξε τύπων,
Ἧττον ἐπαινέσσας τ' ἐχέτω τ' ἀρχαῖα, τόδ' εἰδώς.
  Χ' ὧδ' ἄρα τεχνίτας ὅττι φέρει βιοτὴ,
Ἀλλὰ χρόνος δὴ πάντα βροτῶν μετὰ πράγματα βάλλει,
  Κ' αὐτ' οὐδὲν καιροῖς οὐδὲ τόποισι μένει.
Ἑλλήνων μὲν ἐπ' ἴδμος ποτε χ' οὗτος ὁ κόμπος
  Ζωοῖσιν τέχνῃ πλάσματ' ἀπεικόνισαι.
Νῦν δ' ἐπὶ γερμανῶν ἐπιδήμησ' ἄφθονος αἶαν,
  Πολλοὶ χρηστομαθεῖς ἀλλ' ἔπει ἔνθα φύσεις.
Κλεινὴν δ' ἔξοχα τὴν ἔνδοξον ΓΟΛΤΖΙ' ἔθηκας
  Ἔθνους μητρόπολιν πατρίδα φραγκογενοῦς,
Τὴν διὰ δὴ σύνεσίν τε τεὴν ϗ δεξιότητα
  Ἑλλάδος ἀνθεύσης εὐποιίης τε πέλεν.
Ὧν σύγ' ὑπ' ὄψιν ἀγάλματ' ἄγεις πόλλ' ἀμφοτεράων,
  Μορφάς τ' ἀρχόντων ἱστορίης τε φάος.

Δεῦτε-

Δεύτερον ἤδη γοῦν κατ᾽ ἐμὲ κράτορος ποτὲ Ῥώμης
Κύριον εἰσιδέειν πᾶσιν, ὅλον προτέθης
Δουλωθέντος ὑπαὶ λαοῦ κληθέντα ΣΕΒΑΣΤΟΝ,
Κληρονόμον τόλμης Καίσαρος ἀρχικάκου.
Καὶ νῦν τοῦδ᾽ ἔχομεν τὰ πρῶτα δύ᾽ ἀνδρὶ μονάρχῳ
Τοῦ πρὸ τοῦ ἄρχοντος παιδαιώτεω τε λαῶ.
Ἀλλ᾽ ἔτι λοιποὺς μετὰ ταῦτα, θεοῖο θέλοντος,
Ὡσαύτως ἡμῖν ΓΟΛΤΖΙΟΝ ἐκπορίσαι,
Ὅσσα προσήκει τῶνδέ θ᾽ ὁμῶς ἰνδάλματ᾽ ἑκάστῳ
Ἦδος τ᾽ ὀψομένοις, ἔκ τε πονοῖσι τὶ κλέος.

ADOLPHI MEKERCHI I. C.

EPIGRAMMA,

quo Auctoris nomen, cognomen, patria, ortus, domicilium, ciuitas, & opera tam edita, quàm edenda nótantur.

Edidit HVBERTVM Venlo sub luminis auras;
Illius & proauos & genus Herbipolis.
Bruga magis felix, quæ tecta laresque benignos
Artifici dextræ præbet & ingenio.
Inuidit Latium, & Latij caput inclita Roma,
Roma peregrinis gentibus æqua parum.
Ac, sibi ne tantum decoris laudisve deesset,
Ciuibus adscripsit GOLTZION Ausoniis.
Et meritò: quia nemo alius, qui mœnibus vrbis
Semirutis humeros supposuisset, erat.
Sed ne Roma tumesce nimis: nam Græcia ciuem
Hunc à te repetet, surripietque breui.
Tunc iterum viuent Thebæ, Sparta, Argos, Athenæ,
Totaque surget ouans Hellados Hellas humo.
GOLTZIVS & viuet, donec Venlo, Herbipolisque,
Bruga erit, & Latium, Græcia donec erit.

IN IVLIVM CAESAREM

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI CIVIS ROMANI,

IOACHIMVS TYDICHIVS BERLINENSIS MARCHITA.

Quid non tempus edax, quid non longæua vetustas,
Et series æui perdere longa potest?
Vrbs vetus illa iacet, magno iacet æmula cœlo,
Roma, triumphati quæ caput orbis erat.
Vix etiam restant priscæ vestigia sedis,
Roma nec est eadem, quæ modò Roma fuit.

Quis numerare poteſt titulos priſcosque Triumphos,
Signaque victrici bellica parta manu?
Quis tot Templa Deûm, precioſa tot atria Regum,
Quis Capitolini priſca Theatra iugi?
Quis Statuas, quis magna ſuis ſimulachra figuris,
Quis pompas, & opes, exuuiasque canet?
Quis Fabios, Craſſosque truces, fortesque Camillos,
Terribilésque viros, belligerosque Duces?
Quísve tot Heroës, tot fortia pectora Reges
Romana natos dicere ſtirpe poteſt?
Aut vbi ſunt? periêre domus, periêre triumphi,
Amiſêre ſuum tot monumenta decus.
Et Fabij periêre truces, periêre Camilli,
Magnanimi Reges, & periêre Duces.
Vnus adhuc Phrygij de ſanguine natus IVLI
CAESAR, & Auſonij maximus orbis apex,
E gremio raptus telluris IVLIVS atro
Viuit, & auguſti luminis aſtra videt.
Luminis aſtra videt. nec enim prius inſitus aſtris,
Vt Vatum memorat garrula turba, fuit.
Sed mediis tenebris, terrâque ſepultus in ima,
Preſſus adhuc vinclo noctis & ille fuit.
Donec opum ſoboles Germanæ GOLTZIVS oræ
Contulit, immundo præripuitque ſinu.
Aera ſuo qui dum tellure recondita cultu
Pingit, & artifici ſigna vetuſta manu;
Factáque magnorum per priſca nomiſmata Regum
Quærit, & æratis prælia ſculpta notis:
CAESARIS effigiem, titulos, partósque triumphos,
Armáque ſquallenti priſca leuauit humo,
Perpetuísque notis operoſo ſculpſit in ære,
Aemulus ingenij, docte Lyſippe, tui.
Imperij patet vnde tui ſtatus omnis, & ætas,
Et ſeries vitæ, CAESAR IVLE, tuæ.
Hæc eſt illa dies, qua te poſt fata futurum,
Promiſit Veneri Iuppiter ipſe, Deum.
Hæc eſt, hæc noſtri eſt HVBERTAS AVREA SAECLI,
Qua redeunt ſenſim, quæ periêre priùs.
Sed tu iam tenebris ereptus, & inſitus aſtris,
Præmia quæ tanto digna labore dabis?
Res ea non leuis eſt, vitam reuocaſſe ſepulto:
Ergo quid hinc precij GOLTZIVS iſte feret?
ROMANAE conſors, dicis, vocitabitur Vrbis.
Non ſatis eſt, meruit plura. quid ergo? TOGAM.

IN AVGVSTVM CAESAREM

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI CIVIS ROMANI, CARMEN IOACHIMI TYDICHII BERLINENSIS MARCHITAE

AD MAXIMILIANVM .II. ROMANORVM IMPERATOREM PIVM FELICEM SEMPER AVGVSTVM.

MAXIME Romanæ pater AEMILIANE ſalutis,
  MAXIME Rex Regum, Dúxque ſupreme Ducum:
Quo nihil in terris, quas Phœbus cumque pererrat,
  Clarius aut maius maximus orbis habet:
Accipe pacato CAESAR ter MAXIME vultu
  Hoc opus, & famuli ſubdita vota tui.
Accipe, clementémque tuo te porrige CIVI.
  Res decet hæc Regem, res decet iſta Ducem.
Cernis vt in veterum monumenta perennia Regum
  Longa dies celeri proruat acta gradu:
Cernis vt immenſas turres annoſa vetuſtas
  Frangat, & ad nudam depopuletur humum.
Nunc vbi Troia potens, vbi nunc Carthaginis arces,
  Nunc vbi Roma tuum, quod fuit ante, decus?
Nunc vbi Lesbos, vbi Thebæ, diteſque Mycænæ,
  Argos, & in medijs candida Delos aquis?
Aut vbi tot pompæ, tituli tot, totque triumphi,
  Tot ſtatuæ Regum, tot monumenta Ducum?
Omnia præteriere, teri quæ poſſe negabam,
  Cum ſtatuis tituli, cum titulisque Duces.
Si tamen hoc hominum non eſt opus, eſtque Deorum,
  Defunctis vitam reſtituiſſe viris:
Vt quæ iam longos ſint membra ſepulta per annos,
  In vitam redeant liberiora ſuam:
GOLTZIVS humano numquid de ſemine natus
  Maxima diuinæ munera mentis habet?
Per quem priſca redit magnorum gloria Regum;
  Gloria iam longos vſque ſepulta dies.
Per quem ROMANI vetus illa potentia regni,
  Et redit antiqui temporis omne decus.
Induperatorum qui fortia facta priorum,
  Arma, Ducum vultus, bella, trophæa canit.
Vulnere quis multo vitam tibi CAESAR IVLI
  A Bruto raptam neſciat eſſe truci?
Sed ſuperas nuper redijſti ſaluus in auras,
  Et redijt vitæ gloria vera tuæ.

Quámque

Quámque ferox multo tibi vulnere Brutus ademit,
Reddidit hanc vitam GOLTZIVS iste tibi.
Quique tuas posthac moderari iussus habenas
AVGVSTVS Latia CAESAR in vrbe fuit:
Vt sceptris, vt morte, tibi sit laude secundus;
Iam sequitur lucem, CAESAR IVLE, tuam.
Tu verò, tu magnorum REX MAXIME Regum,
Nomen ab AVGVSTO CAESARE CAESAR habens,
AEMILIANE, tui qui, Cæsar, MAXIME, sæcli
Iam data per longos sceptra tueris auos:
Hoc studium, prisci quo prisca numismata sæcli
Clarius à putri profodiuntur humo;
AVGVSTA clemens pro libertate fouebis,
Si duce te crescet quod modò surgit opus:
Et duce te solidum tandem ducetur in orbem,
Conspicuum terris, conspicuumque polis.
Magna tibi est pietas, (hanc sensi:) magna voluntas,
Magnus amor, doctos quo tueare viros.
Hæc pietas, amor hic, hæc officiosa voluntas
GOLTZIVM Augusta (spero) leuabit ope.
Pro quibus officijs fore se memoremque piumque,
Mancipiumque tuum se fore semper, ait.
AFRICA iamque suis ASIAE quoque regna triumphis
In clarum venient luce renata diem.
AEgyptusque suos titulos, & Græcia reges,
Troiaque versa tuos adspicies cineres.
Arcades Epiro diti iungentur, & illis
Cos, Samos, ac Delos, Creta, Cyprus, Melite,
Thracia Pamphyliæ, dein Mysis Thessala tempe,
Et Peloponneso pascua Trinacriæ.
Has simul & plures, harum monumenta subinde
Parturit, has terras, hæc tibi regna dabit.
Tu modò sis facilis, nec in æquore desere nauim;
Quæ sine te portum lassa subire nequit.
Quosque tibi titulos, & quæ modò nomina speras
Post obitum famæ posse venire tuæ:
Illa tuos maneant maiores, illa virosque,
Qui prius Ausonio iura dedere foro.
Sic æuo detur CAESAR tibi MAXIME longo
Semper honorata sceptra tenere manu.
Sic tranquilla tibi semper Victoria donet
Perpetuam pacem, pacificosque dies.
Sic tibi sint nati felices, natus & olim
Hoc regat imperium cum seniore senex.

IMP. CAESARI DIVI FERNANDI AVG. F. MAXIMILIANO AVSTRIO SECVNDO PIO FELICI PERPETVO AVGVSTO

HVBERTVS GOLTZIVS HERBIPOLITA VENLONIANVS CIVIS ROMANVS. F. P. D.





CVM nostras de CAESARE AVGVSTO lucubrationes, de Monarcha, vt ad nostram vsque posteritatem omnium quorum exstat memoria maximo, ita pacis bellique artibus clarissimo, publicare decreuissem; non diu mihi quærendus videbatur, sub cuius auspicijs & patrocinio in lucem prodirent: nam de AVGVSTO scripturus, ad S.M. Tuam MAXIMILIANE AVGVSTE oculos animumque conuerti: AVGVSTVMque nostrum S.M. Tuæ dedicandum consecrandumque putaui; atque id ordine & iustè me facturum arbitratus sum, vtpote qui auita possessione, & ex DEI in rempublicam suam prouidentia, eundem tibi vindicare & asserere posses. AVGVSTVS itaque sub CAESARIS MAXIMILIANI nomine adparebit. CAESARIS, inquam, non ex stirpe solùm & familia, quod quidem præclarissimum est, maiorum tuorum imaginibus præfulgentibus; sed, quod longè illustrius & augustius, quòd ex Septemvirorum lectione nec obnoxijs suffragijs, AVGVSTVM te Europa veneretur, reipublicæ suæ tuo Principatu gratuletur. Nam si Imperium Romanum gentilitio iure cuiquam deberetur, atque vt olim IVLIA gens CAESARVM veluti seminarium, ita nunc AVGVSTORVM AVSTRIA gens haberetur; nulli iustius & æquius quàm S.M. Tuæ deberetur; cuius maiores ab sexta & virili stirpe, ducentos per annos, non solùm ex AVSTRIA gente

 pro-

propagati; ſed & omnes, Sanctiſſimi Ampliſſimique totius Europæ ordinis ac Senatus lectione AVGVSTI ſalutati ſunt. Gens IVLIA ſemper ex muliebri ſtirpe poſt Iulium propagata, tot adoptionibus (quia ſterileſcebat) ex Vipſania, Claudia, Domitia gente ſuffulcienda erat. mox Imperium quod Iulius, vt qui armis plus poterat, inuaſerat; quod Auguſtus bellis confectis, & pace terra marique parta legibus confirmauerat; illud veluti hereditarium eorum poſteritas vſque in Domitium Neronem, quartum ab Auguſto Cæſarem, occuparat. Ceterùm vt Tiberius ex Claudia gente Auguſti adſcititius erat; ita ſuperbus, ſæuus & crudelis fuit: Claudius fatuus & libertorum ſuorum ſeruus; Caligula & Nero generis humani faces & reipublicæ peſtes fuerunt. Contrà, omnes ex gente AVSTRIA Principes maioresque tui, CAESAR MAXIMILIANE, reipublicæ ſuæ ſalutares fuerunt. Argumento eſt quòd tum denique ab Sacroſancto Septemuirorum Senatu lecti ſunt, quum feſſum bellis ciuilibus Imperium, ſibi vindicem & otium quæreret; aut quum ab externa vi reſpublica armis eſſet aſſerenda. Atque vt iſta non altius repetamus, abauum tuum Diuum Maximilianum, belli gloria celebrem fuiſſe annales teſtantur; Diuum FERDINANDVM patrem, pacis artibus magnum; Diuum CAROLVM QVINTVM & patruum & ſocerum, in toga & in bello illuſtrem Europa, Aſia, Africa & America, victoriæ ipſius monumentis illuſtratæ, ad poſteritatis memoriam propagabunt. ita vt maiorum tuorum virtus tum maximè eluceſceret, quum laboranti reipublicæ lumen animi ingeniique ipſorum eſſet oſtendendum. Nec exigua quoque eſt virtus iſta S. M. Tuæ, qua Germaniam opinionibus diſcordem, pace & legibus ad otium obligaſti. Et maximum tam conſpicuæ in S. M. Tua virtutis argumentum eſt, quòd te vt ſalutarem Germaniæ ſuæ Principem Ampliſſimus Septemuirorum Senatus ſumma cum integritate, neglecto etiam more maiorum, AVGVSTVM legerit. Conſuetudine enim aliqua tenebatur, ne ex

eadem gente quæ potentia præpolleret, continui ſucceſſores Auguſti legerentur. verebantur enim Sapientiſſimi Principes ne aliquando audacioribus per Imperij diuturnitatem confirmatis, occaſio inuadendi rempublicam præberetur. Ceterùm eiuſdem Ampliſſimi Ordinis tantum de tua modeſtia & integritate iudicium & teſtimonium fuit, vt S. M. Tuam tantis regnorum opibus, maxima Imperij potentia florentem, & ab ſexta ſtirpe ex Imperatoribus continua ſucceſſione procreatum, ſocero generum, patri filium ſucceſſorem liberis ſuffragijs creauerit. Verùm vt Auguſto in republica proſpera admodum fortuna fuit & ſalutaris; ita domui ipſius aduerſa. quot enim ex vnica filia opprobria? neptis nepotiſque Agrippæ Poſthumi quot dedecora? tria illa verè ipſius AVGVSTI (vt ipſe dicere ſolebat) carcinomata tanta fuêre, vt orbitatem, cælibatumque non ſemel varijs ſuſpirijs anxio cùm gemitu, immo & mortem quatridui inedia exoptauerit. At S. M. Tuam DEVS OPT. MAX. lætiſſima prole parentem fecit; regum totius Europæ maximorum ſocerum, & regum & Reginarum nuper etiam auum. Numeratur vna fœminarum ab omni æuo Lampido Lacædemonia vt feliciſſima; quòd regis filia, regis vxor, regis mater fuerit. at quàm fecundi & Reipublicæ Chriſtianæ felicis vteri MARIA AVGVSTA, Heroina omnium ſæculorum nobiliſſima, vxor tua? patre Auguſto nata, Auguſti nurus, AVGVSTI vxor, mater reginarum duarum, auia nuper & Regis & Reginæ: quæque olim publicis & proſperis in Rempublicam ominibus votiſque certis Auguſtorum quoque parens ſalutabitur. Ecquid, inquam, antiquitas habet, quod tantæ nobilitati opponere; ecquid poſteritas habitura eſt, quod inter felicitatis & fecunditatis exempla magis admirari poterit? Cenſetur inter præcipuas AVGVSTI laudes, quòd ſui ſæculi ingenia omnibus modis fouerit: nec in hac parte maiorum tuorum virtus inferior eſt. & ne longè abiero, ecquis Diuo Carolo, quis Diuo Ferdinando in fouendis ſui ſæculi ingenijs be-

 nignior

nignior fuit? At nunc magnorum multorumque virorum oculi in S. M. Tuam conuersi sunt, qui vnà nobiscum testes atque exornatores esse cupiunt tuæ in viros doctos benignitatis, munificentiæ, atque liberalitatis. Ceterùm vt equidem superioribus annis Diuo Ferdinando patri tuo IVLIVM CAESAREM consecraueram; ita nunc AVGVSTVM CAESARIS filium S. M. Tuæ, hoc est Diui Ferdinandi filio, ex officio & ordine dedico. Patere itaque MAXIMILIANE AVGVSTE sub S. M. Tuæ nomine & auspicijs AVGVSTVM nostrum lucem ferre; eundemque post quindecim sæcula ex antiquitatis memoria (quantum exstare monumentorum de eodem obseruare potuimus) ab omni obliuione vindicatum, in publicum prodire. hoc interim supplico, vt S.M.Tua hanc meam operam strenæ loco anni ineuntis faustissimo omine, (vti & Augustus olim eandem KAL. IANVARIIS quotannis à suis ciuibus accipere solitus erat) benigno vultu ac sincero animo excipere digneris. DEVMQ. OPT. MAX. precabor vt S. M. Tuam reipublicæ Christianæ & Imperio diu conseruet incolumem.

Brugis Flandrorum Kal. Ianuarij post CHRISTVM natum M.D.LXXIIII.



HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI CIVIS ROMANI IN HISTORIAM CAESARIS AVGVSTI EX ANTIQVIS NVMISMATIBVS RESTITVTAM AD LECTOREM PRAEFATIO OMNINO NECESSARIA.





Iraberis forſan candide Lector, adparere Cæſarem Auguſtum decennio tardius quàm in editione Iulij Cæſaris polliciti eramus. Officij itaque mei eſſe putaui, hae in præfatione paucis & otij mei rationem interea tibi reddere, & quanto cum fœnore moræ illius vſuram tibi repræſentaturi ſumus, oſtendere. Faſtos noſtros Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum, qui ante annos aliquot in lucem prodierunt, ante Auguſtum fuiſſe præmittendos cenſebam. nam ni ita à nobis factum fuiſſet, ſique Faſtorum editionem diſtuliſſem donec Imperatorum vſque ad Iuſtinianum hiſtoriam produxiſſem, ὕστερον πρότερον me admiſſurum videbam; & lectoris deſiderio vtilitatique moram nimis longam oblaturum. Atque vt equidem, benigne Lector, nullum ſpiritum ſatis tranquillum duco, quò aliquid in reipublicæ litterariæ vtilitatem conferam: ita dilato in tempus Tiberio (qui iam multum proceſſerat, & quem forſan, vti hiſtoriæ & temporis ratio poſtular, proximè edendum non minus auidè quàm Auguſtum noſtrum hactenus exſpectas) ne quid ordinem ſeriemque ſæculorum perturbaremus, Græcorum numiſmatibus, quæ & antiquitate Cæſarum numiſmata & res geſtas ijs inſculptas præcedunt, manum admouendam prius, eaque in lucem primo quoque tempore proferenda putabam. Sunt itaque præ manibus libri quatuor, qui hiſtoriam vrbium & populorum Græciæ ex antiquis numiſmatibus reſtitutam proponent; quorum primus Siciliam & Magnam Græciam complectetur. Secundus autem liber Epirum, Acarnaniam, Amphilochiam, Ætoliam, Achaiam, Peloponneſum, Atticam, Bœotiam, Locridem, Theſſaliam, Macedoniam, Cherroneſum, Thraciam deſcribet. Tertius Cappadociam, Calatiam, Pontum, Bythiniam, Myſiam, Phrygiam, Mæoniam, Lydiam, Ioniam, Cariam; Doridem, Lyciam, Pamphyliam, Ciliciam, Syriam, Phœniciam, Ægyptum, Afrieam continebit. Quartus inſulas Græciæ; Corcyram, Leucadiam, Cephaleniam, Zacynthum, Cytheram, Ægialiam, Cretam, Aſtypaleam, Theraſiam, Melum, Calauriam, Æginam, Helenam, Cœam, Cycladas, Sporadas, Eubœam, Scyrum, Peparethum, Thaſum, Lemnum, Samothraciam, Tenedum, Leſbum, Chium, Samum, Icariam, Coam, Carpathum, Rhodum, Dolichen, Megiſten, Chelidoniam, Cyprum, Aradum, Melitam, & reliquas proſequitur. Quæ quidem lucubrationes, vt multum Auguſti editionem tardarunt; ita confido ipſas lectoris vtilitari & deſiderio ſatisfacturas.

Habes itaque, candide Lector, & tarditatis noſtræ & moræ iuſtas rationes; ſequitur, vt quemadmodum in editione Iulij Cæſaris tibi viam modumque intelligendi legendique characteres, notaſque toto libro ſparſas & paſſim obuias aperui; ita denuo hic (quia diuerſæ aliquot ab ijs obiter occurrent) multa ex Iulij Cæſaris editione repetenda, nec pauca ex Auguſti lectione adijcienda putem. Ad hæc, quæcunque hoc noſtro in opere ſpectantur numiſmata, in. XXXII. Capita digeſſimus, ſecundum eos qui in infima cuiuſque tabulæ ora ſignati ſunt numeros: quæ quidem Capita nunc ſingulas, nunc plures etiam tabulas complectuntur: è quibus primum vultus & capita Auguſti exhibet, ſequentia verò, partes auerſas ſiue diuerſa rerum ſimulachra & ſymbola, quæ in poſteriore numiſmatum parte ſpectantur, tibi proponunt: in eum ordinem quà id fieri potuit à nobis digeſta, quem temporis vel rei geſtæ ordo, vel ipſa argumentorum ſimilitudo exigere videbatur: ita vt quæcunque ad religionem ſiue res ſacras ſpectarent, in vnum caput; quæ verò ad res profanas, rem militarem, res geſtas, magiſtratus, aut aliud aliquod argumentum pertinerent, alia in alia Capita congeſta ſint. Subiectaque ipſis tabulis pauciſſimorum verborum ſententia, quid potiſſimum vnaquæque illarum contineret indicauimus, non inutili, nec tibi, vt ſpero, ingrato conſilio. Quod ſupereſt, litteræ illæ numerales, ſiue notæ arithmeticæ his tabellis, quæ in ipſa tabulæ ora ſiue mar-

gine dextris ſingulorum numiſmatum lateribus affixæ ſunt, inſcriptæ, ſignificant quem quæque in ſuo capite ordinem teneant: ita vt ſemper cum nouo capite numerus primarius repetatur. Characteres autem Græci α. β. γ. δ. ι. ζ. & reliqui in eiſdem tabellis numeris illis ſubiecti, amplitudinem ſiue exilitatem ipſius nummi demonſtrant: vt ſcilicet intelligas, nummum cui talis aliquis character adſcriptus eſt, ea eſſe magnitudine, quantum eſt interuallum & ambitus in figura hic ad calcem quæ ex circulis alijs alio maioribus conſtat, intra ſupremam omnium lineam circularem & alteram cui idem ille character, quem nummo additum vides, ſupraſcriptus eſt. Alij verò characteres, tabellis quæ nummo incumbunt, ſiue impoſitæ ſunt, inſcripti, metallum indicant, quo nummi ſub ipſis repræſentati cuſi ſunt: ita vt AV auro, AR argento, Æ ære nummum percuſſum tibi ſignificet. Si quibus autem plures huiuſmodi characteres ſupraſcripti erunt, hos totidem metalli generibus ſignatos intellige: ſi duo, duobus: ſi plures, tribus. Notæ autem arithmeticæ in iiſdem tabellis ſub dictis characteribus metallicis adſcriptæ in auerſarum partium tabellis, indicant cui capiti ſiue faciei ex præcedentibus ea pars auerſa reſpondeat & attribuenda ſit. Quæ quidem notæ numerales ſi plures erunt, totidem etiam capitibus hoc ſymbolum cui inſcriptæ erunt, ſubijci credas. Exemplo tibi ſit nummus primus in prima tabula ſecundi capitis nummorum Auguſti, in quo ſpectatur Cometes ſiue ſidus Crinitum, cui tabella incumbit his notis inſcripta AV. AR. hunc igitur nummum ſcias & argento & auro procuſum. In eadem tabella ſunt notæ numerales: 115. 117. & 120. hinc intelligas hanc partem auerſam ſubijci tribus diuerſis capitibus, ex his quæ primo capite repræſentantur: ſcilicet illi qui centeſimum decimumquintum ibi in ordine locum obtinet; iterum illi qui centeſimum 17; denique & illi qui centeſimum vigeſimum. Quod ni à nobis ita factum fuiſſet, præmiſſis ſemel, & in vnum caput ſeorſim coniectis quotquot in nummis occurrebant capitibus, quæcunque vel in aliquo à ſe inuicem differebant, ſingulis nummis ſua fuiſſent iungenda capita ſiue vultus: neque id ſine maximo temporis diſpendio, nulloque cum fructu, & ſummo cum faſtidio idem caput ſæpius repræſentandum: quando ſæpè, immo vt plurimum, vni atque eidem Capiti diuerſa, nonnunquam etiam decem vel plura ſubijciuntur ſymbola: & viciſſim vnum idemque ſymbolum poſt plura nonnunquam ſpectatur Capita: vti paſſim hoc ipſo in libro videre eſt. Sicubi autem in his partium auerſarum tabulis ſub notis metallicis iam dictis, non quidem notas arithmeticas, ſed litteram aliquam A. B. C. aut ſimilem conſpicies, tum quidem nummus ſubiectus non ad aliquod capitum vel vultuum præcedentium referendus erit; ſed ad vnum è ſymbolis in eadem tabula contentis eadem littera notatum, ſiue proximo illud loco ſitum erit, ſiue remotiori: ita vt duæ illæ partes coniunctæ vnum numiſma conſtituant. Et vbi plures eiuſmodi litteras ſupraſcriptas videbis, intellige partem illam ad plura ſymbola ſimilibus litteris notata referri debere, quæ ſingula ad illam partem relata tibi numiſma efficient. Exempli loco fuerit, primus nummus in tertia tabula ſecundi Capitis nummorum Auguſti, cui A. ſupraſcriptum eſt; in quo dextræ caduceum tenent: qui nummus cum proximo, qui ſecundus eſt in eadem Tabula, in quo eſt caput Concordiæ, cui & ipſi A. ſupraſcriptum eſt, vnum nummum conficiunt: ita vt vna pars aduerſa, altera auerſa ſit. Iterum in eadem Tabula, nummus tertius, in quo itidem duæ dextræ caduceum tenent, notatus littera B, cum altero in eadem tabula, qui vndecimus in ordine ſpectatur, cum capite Concordiæ, ſimili littera B. notatus, vnum ſimiliter nummum conſtituunt. Rurſus in Tabula prima capitis ſeptimi, nummus ſecundus ibi, qui habet caput victoriæ, notatus litteris B. & C. vnum nummum conſtituit cum proximo ſiue tertio ſimili littera B. notato, in quo Neptunus: ſimul etiam & alterum nummum cum octauo in eadem Tabula, cui C. littera ſupraſcripta eſt, in quo & ipſo Neptunus ſpectatur. Porrò ſi quibus in nummis Characteres ipſos inſcriptionum non omnino expreſſos aut perſcriptos, ſed veſtigia tantùm litterarum minutiſſimis punctis leuiter annotata animaduertes, intellige archetypum ipſum ex quo nummus ille primùm deſcriptus vel exceptus eſt, vetuſtate ipſa, temporiſque aut alia aliqua iniuria vel intertrimento ita labefactatum fuiſſe aut eroſum, aut ærugine alijſque ſordibus tenacius inhærentibus obductum, vt litteras caducas, fugientes aut latentes legere vel impoſſibile vel difficile admodum fuerit. Quod ipſum ſic in exemplaribus iſtis numiſmatum exactè reddere, fidei meæ eſſe credidi; potius quàm ex coniectura quantumuis probabili & veriſimili, id quod defeciſſe effluxiſſeque videri poterat, ſubſtituere. Huius rei tibi exemplum erit, nummus ille Græcus, qui Tabula ſecunda capitis. xix. decimumſextum locum obtinet; in quo eſt fœmina turrita inſiſtens proræ nauis, & ſpectantur veſtigia litterarum dictionis ΑΣΚΑΛΩΝΙΤΩΝ, fugientibus quinque poſtremis litteris: quas ideo per minutos apices vel potius puncta tantùm notare contenti fuimus. Idem videre eſt & in nummo trigeſimo ſecundo Tabulæ tertiæ capitis decimi noni. Adhæc occurrent capite primo, nummo 195. 197. & 203, Inſcriptiones & Tituli numerorum Tribuniciæ poteſtatis, ordine interrupto à nobis præteriti; nimirum TR. POT. XXV. vſque ad TR. POT. XXX. deinceps TR. POT. XXXV.

quod


quod benigne Lector non sine consilio & auctoritate Maecenatum meorum, Marci Laurini Domini de VVaterVliet, & eiusdem fratris Guidonis Laurini Domini de Klinkerlant, iccirco factum à nobis censebis, quòd seriem vniuersam annorum Tribuniciae Potestatis & continuam, quae hic omissa est, capite xxvj. comprehensam oculis subiecimus: vtpote TRIBVN. POTEST. XXVI. XXVII. XXXII. XXXIII. XXXIIII. XXXVI. XXXVII. quos nummos si in caput primum inserciendos iudicassent, vt nihil varietatis, ita nec vtilitatis praeter multiplicatam numerorum congeriem quidquam attulissent. Eadem ratione ipsorum sequuti consilium, in Capite. xxv. (in quo ex serie numerorum ab anno primo Tribuniciae potestatis vsque in trigesimum septimum siue vltimum progredi poteramus) quinctum quemque annum inseruisse contenti fuimus: scilicet primum, quinctum, decimum, & sic deinceps vsque ad tricesimum quinctum, quatuor quicebusque intermedijs annorum numeris omissis: vti in ipsa. xxv. Capitis Tabula videre est. Ceterum vt numismatum adspectus tibi ab vtilitate & voluptate commendatior esset; ex antiquitatum quae extant monumentis, Augusti vitam & res gestas secundum ordinem seriemque temporum prosequuti adiecimus. fructu enim lectionis simul & voluptate capieris maiore, dum ex numismatum & historiae comparatione, vtriusque inter se fidem & auctoritatem; & simul artificiosis vsqueadeo symbolis lucem è rebus gestis adferri, obseruabis. Et ne quid eorum quae vel ad ipsorum numismatum intelligentiam aliquid conferre possunt, vel ad historiam Augusti aliquo modo pertinent, meritò à nobis desideres, benigne Lector, simul & quò temporis ratio tibi exactius constaret, operaepretium me facturum credidi, si ea quae series eorum quae hoc opere continentur, ipso libri initio praefixa tibi indicat, subiungerem: & inter cetera tabulam genealogicam gentis Octauiae, eamque Fastorum Consularium partem, quae ad tempora Augusti nostri maximè spectat. Subiecimus etiam Inscriptiones ac Titulos honorarios tum ipsius Augusti, tum aliorum qui eundem necessitudine aliqua vel historiam nostram contingerent: atque in ijs explicandis quae nec vetustate collapsa (quando mors etiam saxis marmoribusque venit) nec exesa erant, omnem operam impendimus: sicubi autem cura nostra tuam explere exspectationem non potuit, vel vetustate consumtis vel adesis characteribus, verisimilem ex notarum vestigijs & antiquitatis cognitione coniecturam (vt folio. 196. & 197. manifestum est) adiecimus. Ceterùm in fragmento quod folio 193. maxima ex parte desideratum exstat; in anteriore marmoris parte legi tantùm poterat. /// ////// /// / /// / CAESAR

///////// /// //// ///// I

////// ///// //////// //////IC. Q. PR.

/////// ///////// ///COS. IN ASIA. Quae quidem litterae & verba postrema sunt inscriptionis cuiusdam quae ad aliquem Caesarum pertinuit, diuersae ab altera inscriptione C. Octauij huic opposita, primis cuiusque versus litteris ex marmorea tabula diffractis. qui Caesar Quaestor Praetorius & Proconsul in Asia fuerit: atque hunc verisimile est fuisse Sex. Iulium Caesarem, qui Sex. filius Sex. Nepos fuit, Caesaris Dictatoris gentilis, atque ab eodem dum in Pharnacem bellum moueret, primùm Pro Quaestore & postea Pro Consule Suriae praefectus; vbi & à militibus occisus est: vti historia nostra Augusta folio. 22. latius ac pleniùs prosequitur. Cuius te admonendum putauimus, ne lectionem cognominis CAESARIS postremam dictionem primi versus prioris illius inscriptionis, coniunctim legas cum C. OCTAVIVS & sequentibus oppositae inscriptionis dictionibus. Atque ita iam rationem instituti nostri planè ac dilucidè tibi constare arbitror.

Vale benigne Lector, & fruere.



IMP. CAESARIS AVGVSTI NVMISMATA.





C. Iulius Cæſar Diui F. Imp. Cos.
III Vir R. P. C.



C. Cæſar Diui Iuli F. Imp. Augur. Pont. Cos.
III. VIR R. P. C.
Imp. Cæſar Diui F. Augur. Pont. Imp. iter. Cos. iter.
III. VIR iterum R. P. C.



Imp. Cæsar Diui Iuli F.



Imp. Cæſar Diui Iuli. F.


Imp. Cæsar Diui F.



C. Cæſar Diui F. Augur, Pont. Imp. tert. Quart. V. VI. VII.
Cos. iter. tert. IIII. V. VI. P. P. LIBERTATIS. P. R. VINDEX.




Imp. Cæſar Auguſtus Diui F. Cos. VII. PATER PATRIAE
OB CIVIS SERVATOS.



Auguſtus Diui Iuli F.


97
AVGVSTVS
98
ΣΕΒΑΣΤ
99
AVGVSTVS
100
ΣΕΒΑΣΤΟΥ
101
AVGVSTVS
102
ΣΕΒΑΣΤΟΣ
103
ΣΕΒΑ ΣΤΟΣ
104
AVGVSTVS
105
ΣΕΒΑΣ
106
AVGVSTVS
107
ΣΕΒΑΣΤΟΣ
108
AVGVSTVS
C.P.
I

AVGVSTVS.



CAESAR AVGVSTVS.



Imp. Cæsar Auguſtus.



Imp. Cæſar Auguſtus.




Imp. Cæsar Diui F. Augustus Cos. VIII. IX. X. XI. XII.
Imp. VII. VIII. TRIBVNITIA POTESTATE.



Imp. Cæſar Diui F. Auguſtus Pont. Max. Cos. XI.
Tr. Pot. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. Imp. VIII. IX. X. XI. P. P.



Imp. Cæsar Diui F. Augustus Pont. Max. Cos. XI.
Tr. Pot. XI. XII. XIII. XIIII. Imp. XII. XIII. P. P.



Imp. Cæfar Diui F. Auguftus Pont. Max. Cos. XI. XII. XIII.
Tr. Pot. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII.
Imp. XIIII. P. P.



Imp. Cæsar Diui F. Augustus Pont. Max. Cos. XIII.
Tr. Pot. XXIII. XXIIII. XXV. XXX. XXXV
Imp. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.



DIVVS AVGVSTVS DIVI. F.




DIVVS AVGVSTVS PATER.




CAESAR AVGVSTVS. IVLIA AVGVSTA.

Diuus Cæſar Auguſtus Pater patriæ.


Diua Iulia Auguſta.








Diuus Augustus, Pater patriæ.





Iulij Cæsaris diuinitas & consecratio.



Iulij Cæsaris diuinitas & consecratio.



Cæsaris, Lepidi & Antonij in Triumuiratu
Reipublicæ constituendæ Concordia.



Cæſar Pontifex, Lepidus Pontifex Maximus, Antonius Augur.
III. VIRI Reipublicæ conſtituendæ.
Cum ſignis inſtrumentisque Pontificalibus & Auguralibus.



Bellum Ciuile Philippense cum Bruto & Caſsio.
Diui Iul.j percuſſoribus ac coniuratis.




Triumuiratus Reipublicæ conſtituendæ inter Cæſarem
Antonium & Lepidum iterato initus.
Tripodes vaſa ſacra, aliaque ſacerdotiorum inſignia atq; inſtrumenta.



Bellum Siculum aduersus Sex. Pompeium, M. Agrippæ potissimum duce gestum & confectum.


Neptuni statuæ. M. Agrippe effigies.



Bellum Siculum aduersus Sex. Pompeium Cn. F.
Trinacriæ simulachrum. Coronæ Rostratæ.



Bellum Siculum aduersus Sex. Pompeium.
Dianæ statuæ & simulachra Trophæumque nauale.




Bellum Ciuile Actiacum aduersus Antonium & Cleopatram.

Apollinis Actiaci simulachra. Trophœa naualia.



Bellum Alexandrinum aduersus Antonium & Cleopatram
Palmæ, Crocodili, Sphinges, spicarum manipuli
Ægipti atque Alexandriæ Symbola.



Res in Hispania T. & P. Carisijs potissimum ducibus gestæ.
Victoria, Trophea, Spolia, atque oppida Hispanica.



Res in Africa Scarpo Balboque ducibus gestæ.
Victoriæ atque Trophæa Africana.

Res in Africa M. Durmio & C. Mario & Lentulo ducibus gestæ Triumphique Africani.



Res in Africa gestæ, Triumphique Africani.




Res Parthicæ, Signaque a Parthis recepta.



Res Parthicæ

Arcus, Quadrigæ, Coronæ propter ſigna à parthis recepta.



Res Parthicæ.

Martis vltoris statuæ, & Templa, clipeiq́ue votiui propter signa à parthis recepta.

Res in Armenia geſtæ.

Armeniæ ſimulachrum. Caij Cæſaris in Armeniam expeditio.

Victoria ſpoliaque Armeniaca.



Res in Germania, Druso, Tiberio, Germanicoque ducibus gestæ.
Rheni simulachrum. Arcus Trophæa, Spoliaque Germanica.
Drusi, Tiberij, Germanicique effigies & statuæ.




Res Germanicæ.

Victoria, Trophæa, triumphi de Germanis.

Augustæ Vindelicorum simulachrum, cum nuce Pinea peculiari etiam nunc Vindelicorum symbolo & insigni.

Victoriæ variæ Triumphique diuersi de gentibus
populisque deuictis acti.






Victoriæ variæ.




Arcus Triumphales, statuæ equestres basesque honorariæ.




Arcus Triumphales atque honorarij cum quadrigis ac Trophæis. Columna rostrata, statuæ equestres atque aliæ, Bases & Cippi inscripti propter Vias potissimum Munitas, atque alia in Remp. merita Augusto decreti atque erecti.



Statuæ, coronæ Ciuicæ ſiue quercea, Aræ ex voto pro Salute & Reditu Cæſaris publicæ ſuſcepto poſita.



Coloniæ deductæ, Agriq́ue militibus veteranis adſignati attributiq́ue.




Coloniæ deductæ. Pleraque tum Hifpaniæ tum aliarum
Prouinciarum oppida ac municipia.
Variaque II Virorum colonijs deducendis, agrisque adfignandis nomina.

Coloniæ deductæ. Cæſarea Sebaſta, Berytus, Philippi atque aliæ.
Variaque II Virorum colonijs deducendis, agriſque
adſig nandis nomina.

Coloniæ deductæ.

Variaque II Virorum colonijs deducendis agrisque adsignandis nomina.



Coloniæ deductæ,

Variaque II Virorum colonijs deducendis agrisque adsignandis nomina.



Cæſarienſium, Nicopolitarum, Cydoniorum, atque aliarum Syriæ
Aſiæque ciuitatum numiſmata in Auguſti honorem procuſa.




Antiochensium, Sidoniorum, Seleucensium atque aliarum cum Syriæ Asiæque tum Europæ ciuitatum numismata in Augusti honorem procusa.



Thessalonicensium, Ephesiorum, Byzantinorum aliarumque Asiæ atque Europæ numismata in Augusti honorem procusa.

Pace Pop. Rom. terra marique per orbem terrarum parta
Templum Iani ab Augusto clusum.
Pacificæ legationes Regum populorumque.



SALVS GENERI HVMANO SVB AVGVSTO EXORTA.

Clypei votiui Coronæque in Augusti honorem decreti & positi.

IMP·T·VESPASIAN·AVG·RESTITVIT S C

M·COCCEIVS M·F·NERVA III·VIR ASI· EVR· AFR· S·P·Q·R·

IMP·T·CAES·AVG·RESTITVIT S C

C·A

IMP·DOMIT·CAES·AVG·RESTITVIT S C

C·CIB· D·D PVBL·

IMP·NER·CAES·AVG·REST· S C


CAESAR AVGVSTVS

IMP·CAES·TRAIAN·AVG·GER·DAC·PART·P·P·REST· S C


XIII XIIII XV XVI XVII XVIII XIX XX XXI XXII XXIII XXIIII

CAP· XXI


Imperium Orbis Terrarum per Europam Asiam & Africam
ab Augusto constitutum & stabilitum.



Coronæ Querceæ, quæ & Ciuicæ Augusto OB CIVIS SERVATOS decretæ & positæ.




Coronæ Quercex, quæ & Ciuicæ, Augusto OB CIVIS SERVATOS decretæ & positæ.
Triumvirorum Monetalium qui Auro Argento Aere sub Augusto
publicè flando feriundoque præerant nomina.




Coronæ Quercex, OB CIVIS SERVATOS Augusto decretæ & positæ.

Triumvirorum Monetalium sub Augusto nomina.

Coronæ Querceæ, Triumvirorumque Monetalium sub Augusto nomina.




Coronæ Quercex, Triumvirorumque Monetalium ſub Auguſto nomina.




Coronæ Quercex, Triumvirorumque Monetalium sub Augusto nomina.

I


Coronæ Querceæ, Triumvirorumque Monetalium sub Augusto nomina.




Triumvirorum Monetalium sub Augusto nomina, variaque monetariorum instrumenta.



Genitura Augusti sub sidere Capricorni felicissima, cui ipse quæcunque accidêre læta & prospera accepta tulisse, cuiusque hæc nota numis testari voluisse videtur.




Coronæ Laureæ siue Triumphales quas Augustus per singulos Tribuniciæ potestatis annos a primo ad tricesimum sextum in numismatibus signauit, concesso sibi (sicut prius & Iulio Cæsari) uti Lauream perpetuo gestaret.



Consulatuum atque annorum Tribuniciæ Poteſtatis
Auguſti ſeries & numerus.




Ludi Sæculares & Circenses, Venationes, aliaque id genus spectacula publicè Romæ atque alibi ab Augusto exhibita.




Caius & Lucius Cæsares Augusti filij, hic Augur ille Pontifex cum hastis puris, Clypeis, Tripodibus alijsque Pontificalibus Aguralibus & sacris insignibus.


Sellæ Curules coronatæ, Clypei, Ancilia, aliaque sacrorum insignia atque instrumenta.



Templa Iouis Tonantis & Olympij, Iunonis, Apollinis Palatini atque alia, tum ab ipso Augusto dicata atque exædificata, tum ab alijs Romæ ipsique Augusto simul consecrata exstructaque.



Templa per varias cum Græciæ tum Asiæ ciuitates Augusto dicata atque exstructa.
Herculis statua, clauaque Herculea.




Templa per diuerſas Aſiæ ciuitates. Dianæ Epheſiæ ſimulachra.
Iouis Ammonis atque Axuris capita.



Augusti consecratio & Diuinitas.

Thensæ siue quadrigæ Elephantum, statuæ sacræ Augusto post obitum decretæ.




Augusti consecratio & diuinitas. Aquilæ atque Aræ sacræ.




Augusti consecratio & diuinitas. Aquilæ atque Aræ sacræ.

Augusti consecratio & diuinitas. Fulminis figuræ variæ.



Diui Augusti Diuæque Iuliæ Augustæ Diuinitas, statuæ sacræ, Templa, ac Carpentum.



Augusti Cognationes & Affinitates. Adoptio, Liberi.








A **HISTORIA AVGVSTA**
SIVE
VITA ET RES GESTÆ
CAESARIS AVGVSTI,

AD IMP. MAXIMILIANVM II.
CAESAREM AVGVSTVM,

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITÆ VENLONIANI
CIVIS ROMANI.

B



CRIPTVRVS Vitam & Res geſtas Cæſaris Auguſti, MAXIMILIANE AVGVSTE, vrbis & orbis quondam Principis vt maximi, ita laudatiſsimi; operæpretium me facturum opinabar, ſi paullò altius (priusquàm eiuſdem acta, conſilia, dicta, factaque proſequerer) repeterem, quo modo adoleſcens ipſe, qui viros omnes audacia, iuuenes omnes prudentia ſuperauit, ad tantam amplitudinem à tam paruis initiis (Prætoriæ enim gentis patrem, & equeſtri familia
C tantùm, nullis imaginibus clarum habebat) profecerit, vt diuinę etiam maieſtatis cognomine AVGVSTVS ex S. C. etiam antequàm ætatis Prætoriæ eſſet, appellatus fuerit: Magiſter Equitum prius quàm ordinum ductor fuiſſet, crearetur: Imperator à Senatu antè quàm Magiſtratum cepiſſet, deſignaretur: ad hæc Conſul ante vigeſimum ætatis annum, Pater Patriæ ob conſeruatam Rempublicam à S. P. Q. R. ſalutatus, quum necdum triceſimum quartum attigiſſet. Quo conſilio igitur, qua fortitudine tot bellis, tot cladibus par eſſe potuerit: quo modo vexatos acerbiſsimis proſcriptionibus domi foriſque ciues, laceratam tot bellis ciuilibus Vrbem, terrarum Dominam ſua felicitate
D & rerum geſtarum amplitudine intra viceſimum annum recreauerit; nobis quoque dicendum erit. Vtpote qui tot tantasq; res geſſerit, quibus bellorum omnium motus ſedauit, gentes omnes pacauit, Rempublicam conſeruauit, & quantum humanis conſiliis præſtari potuit, æternam ſtabiliuit. Hiſtoriam itaque noſtram, quam, quia de rebus geſtis vitaque Auguſti conſcribendam ſumſimus, AVGVSTAM vocabimus, conſulto & ordine exorſuri videmur ab eo die qui propemodum Vrbi, certè Iulio Cæſari vltimus illuxit. Annus agebatur ab Vrbe condita DCCIX. C. Iulio Cæſare V. M. Antonio Coſs. quum in Cæſaris cædem Senatores plus quàm ſexaginta, vt Rempub-

licam ab vnius dominatione liberarent, coniurant. Inter quos facilè A
principes erant M. Brutus & C. Cassius, prælio Pharsalico à Cæsare con
seruati, & postea honoribus aucti. Diem cædis designant Idus Martias,
CAEDES CAESARIS quibus Senatus in Curia Pompeij indictus erat: Cæsarem ingressum,
& inopinantem præoccupant, pugionibus confodiunt, denique tribus
& viginti vulneribus conficiunt. Percussores perpetrata cæde stipati gla
diatorum manu, (quam D. Brutus in munus gladiatorium compara-
uerat) è Curia per forum in Capitolium, vt Diis libertatis assertoribus
vota exsoluerent, contendunt. Sunt qui eos opinentur metu perculsos,
(Plebis enim tum Prætorianorum & Emeritorum Cæsaris, qui passim
per Vrbem vagabantur, vim metuebant) atque vt se contra temerarios B
aduersariorum insultus defenderent, in Capitolium, vt arcem validam
& difficilem expugnatu, sese recepisse. In hoc rerum tumultu, Cinna
Cæsaris affinis, & paullò antè Prætor ab eodem creatus, nouo & auda-
ci exemplo magistratus sui insignia, vt à Tyranno data, abiicit; acer-
beque in Cæsaris dominationem inuectus, Tyrannicidas etiam præ-
mio dignos & ornandos esse contendebat. P. quoque Cornelius Do-
labella, qui vt Cæsari ad Parthicum bellum, quod moliebatur, profi-
ciscenti succederet, Consul designatus erat, vsus temporis occasione,
sumtisque statim à cæde Cæsaris magistratus insignibus in forum pro-
uolat, Consulatum occupat, impotentique linguæ morbo in Cæsarem C
dignitatis suæ auctore abusus, diem cædis Cæsaris natalem Vrbis nun-
cupandum clamitat. Hinc in Capitolium conscendentes percussores
fiducia confirmant, eosdemq; è Capitolio in forum deducunt: qui pro
Rostris de afferenda, quam ipsi S. P. Q. R. per cædem Tyranni vindi
cassent, libertate audacius & contumeliosius concionati, iniquis auri-
bus & auersis animis, secus quàm opinati erant, excipiuntur. Commi-
seratio enim, & tam funesta Cæsaris nimium popularis calamitas, om-
nium animos vltionis potius studio, quàm libertatis recuperatæ gaudio
præoccupauerat. hinc ipsi percussores in Capitolium reuertuntur. La-
titabat interea Antonius depositis Consulatus insignibus, veritus ne & D
ipse cædi, tanq́ propugnator regni Cæsariani destinatus esset. M. Aimi-
lius Lepidus verò Magister Equitum in castris Prætoriis erat, ibidemq;
certior factus de morte Cæsaris, sub noctem cum Prætorianis forū oc-
cupat, ac primo insequentis diluculo acerbissima in percussores oratio-
ne inuectus est. Tum Antonius Lepidi armis confirmatior, assumtis
iterum Consularibus insignibus & ipse è latebris in forū properat, tan-
quam cædem Cæsaris cum Lepido vlturus. Primùm de Capitolio cum
percussoribus incendendo deliberatur: sed à tam præcipiti cōsilio mul
tis de causis reuocātur. deterrebat cōstantia Senatus in fouendis omni
cura

A cura patricidis: auocabat quoque à tam atroci instituto tot gentium familiarumque nobilissimarum, tot virorum Principum, qui ipsorum salutem propugnaturi metuebantur, necessitudo & deprecatio: tardabat insuper non minimùm animorum in vltionem concitatorum impetum formido & metus à D. Bruto, qui proximam Galliam legionibus præoccuparat. Simulato itaque pacis & libertatis studio, donec rebus suis pro animi sententia confirmatis, metuque amoto, ad ingenium singuli (quo sub prætextu Cæsarem vlciscendi, Reipublicæ seruitutem moliebantur) redire possent; Consul Antonius de præsenti rerum statu relaturus, Senatum in æde Telluris indicit, ante diem decimum

B sextum Kal. April. M. Cicero (quem plerique huius coniurationis minimè conscium fuisse tradunt) quo potuit studio & diligentia pacis fundamenta iecit: renouatoque vetustissimo illo Atheniensium exemplo, quo olim in publicis discordiis sedandis ciuitas illa vsa fuerat, ἀμνηστίαν inducendam, omnemq; odiorum & dissidiorum memoriam sempiterna obliuione sepeliendam censuit. atque in eius sententiam S. C. factum est. Habuit & Antonius (quò personam suam tantò constantius ageret) orationem de concordia: filiusq; ipsius in Capitolium missus pacis obses fuit. atque ita percussores è Capitolio descenderunt: Brutusque apud Lepidum, Cassius apud Antonium, ceterorum verò

AMNESTIA INDVCTA.

C alij apud alios cœnarunt. Mirus simulator Antonius fuit, donec se suáque præsidiis contra omnem metum muniisset; quod qua calliditate assequutus fuerit, iam ex ordine prosequemur. Euicerat multa cõtentione in Senatu L. Calpurnius Piso socer Cæsaris, vt testamentũ ipsius (etiamsi Cassius illud abolendum potius suaderet) vrgente Antonio, & Bruto assentiente, palàm recitaretur; ipse verò Cæsar publico funere efferretur. Testamento itaque quod Cæsar ante sex menses in Lauicano suo fecerat, & apud virginem Vestalem Maximam deposuerat, prolato, populus id palàm recitari iussit. Hæredes scripti erant ex dodrante C. Octauius, Cæsaris ex Attia sororis suæ Iuliæ filia nepos, L. Pi-

TESTAMENTVM CAESARIS.

D narius, & Q. Pedius ex quadrante. C. Octauium insuper in gentem Iuliam, familiamq; Cæsarum, & in filium adoptabat; quodq; vel maximè exacerbabat omnium animos ad indignationem scelesti facinoris, D. Brutum percussorẽ suum in secundis hæredibus scripserat; Populo autem trecenos sestertios legabat, & hortos circa Tiberim publicabat. Effertur interea Cæsaris funus, prosequente vniuerso Senatu ac Magistratu, frequentique ciuium militumq; custodia stipatum pro Rostris deponitur. Ibi tum M. Antonius vsus oportunitate, quòd animos ciuiũ ad dolorem ex testamento conceptũ emolliisse perspiceret, laudatione funebri ad lamentationem simul & indignationem cõposita, gestibus

ADOPTIO C. OCTAVII IN GENTEM IVLIAM.

FVNVS CAESARIS

præterea, & cruentata Cæsaris toga, tum & imagine eius cærea immaniter & fœdissimè lacerata & sanguine fœdata, populi animos contra obliuionis vel ἀμνηστίας decretum, ad commiserationem & ad percussi vltionem accendebat: vsqueadeò vt plebs quasi rabie acta, cum facibus è rogo raptis ad domum Bruti Cassijq; & aliorum cõtenderet: ægreq; tandem manibus, precibusque vicinorum ab incendio repelleretur. Heluius Cinna Tribunus plebis fortè furentibus occurrit: eum esse Cinnam Prætorem, qui pridie proiecta purpura Cęsarem vt Tyrannũ cõtumeliosè appellarat, errore nominis suspicati, ita discerpsêre, vt nullum membrum ad sepulturam integrum colligi potuerit: caput eius hastæ infixum ad terrorem circumlatum. Furor semel cõcitatæ plebis sedari neutiq̃ potuisset, nisi milites furentem armis repreßissent, atque audacissimum quemque de saxo Tarpeio præcipitassent: & Consules per edictum omnes qui milites non erant, arma deponere iussissent. Antonius interea maximam sibi inuidiam, quia plebem ad cędis vltionem irritasset, apud Senatum & optimates conflat: sed eandem artibus & vanitate sua feliciter vsus, in fauorem & securitatem cõuertit. C. quidam Marius, qui à plęrisque Amatius vocatur, sese Marij filium, & proinde Cæsaris affinem mentitus, aram fecerat Cęsaris pro Rostris, vbi & crematus fuerat: minatus insuper Consulibus, vt qui vltionẽ cædis Cęsaris partium studio, aut regni affectatione eluderent. Eum Antonius Consul vt noua moliente compręhendi, & nouo exemplo inauditum interfici iussit. Senatus id facinus, etsi inauditum, laudat: plebs autem Antonio indignatur, minatur, denique odio accenditur. Antonius optimatium se studiosum & Pompeianarum partium apud Patres simulat: refert Sex. Pompeium Magni filium, vt Respublica commodius pacari posit, esse reuocandum, eiq; pro paternis bonis in ærarium relatis, HS bis millies de publico reddendum. adhęc eidem, sicut prius patri, maris imperium & classem esse decernendam. Sextus itaq; ex Hispania S.C. euocatur. Antonio verò tanq̃ Reip. & Pompeianarũ partium studioso, quò à plebis impetu tutior foret, vt stipatores ex veteranorũ copia sibi deligeret, Senatus permittit. Hinc selectissimos quosq; etiam ordinum ductores, vti securius iam regnaret, ad sex millia sibi adiungit. Senatui postea de tanta copia nescio quid suspicanti, respondit, militem à se dimissurum vbi primùm plebis furorem cõpressisset. Percussores interea sibi prius à seditiosorum tumultu, nũc etiam ab Antonio armato metuentes, in prouincias à Cęsare decretas, & post eius cędem à Senatu cõfirmatas, tanq̃ fuga dilapsi sunt. In Galliam Cisalpinã D Brutus, C. Trebonius in Asiam, L. Tullius Cymber in Bithyniam. M. Bruto Macedonia, Cassio Syria designata fuerat: sed vterque iam vulgo cõtemtior, ab Vrbe

ARA CAESARIS.

SEX. POMPEIVS PRAEFECT. CLASSIS ET ORAE MARITIMAE

COHORS PRAETORIA ANTONIANA

PROVINCIAE PERCVSSORIB. DECRETAE.

A B C D

A Vrbe in Campaniam secessit: quòd necter adhuc Prætura defunctus, non sine ambitionis inuidia in prouincias ꝓficisci posset. Sed vt hic Antonius illorũ quoq; spem infirmaret, sibiq; res suas confirmaret, Dolabellæ collegę suo auctor fuit, vt vel inconsultis Patribus Suriã sibi dari peteret, vnà cum legionibus ad bellum Parthicum à Cæsare præmissis. Vtrumq; lege obtinuit Dolabella, Antonio potissimùm annitente: qui vicissim Senatus consulto Macedoniam sibi occupat. Patrum interim precibus hoc dedit, vt Bruto Creta, Cassio Cyrene prouinciæ designarentur. Antonius vt plura dominationis, quam affectabat, prępsidia sibi constitueret, M. Lepidũ in Cęsaris locũ Pontificem Maximũ, translatis B populi ad Pontificum collegium suffragiis, cooptat; filiumq; eius sibi generũ asciscit. Calpurnia Cæsaris vxor, siue metu ob mariti cædẽ, siue Antonij Consulis perculsa minis, pecuniã & acta Cęsaris in eius domũ transferri permiserat: sed quòd Cęsaris acta & cõsilia nondũ publicata essent, ea Antonius in multorũ gratiam domesticis nundinationib. corrumpebat, adulterabat, aut vendebat; Taberij, qui Cæsari à manib. fuerat, opera in ea & fraude vsus. Sestertiûm etiam septies millies à Cæsare ad Opis ædem depositũ Antonius occupat. C. interea Octauius (qui postea sub Augusti cognomine imperiũ tenuit) cùm Cęsar auunculus ipsius magnus Romæ interficeretur, iam annũ agens XVIII. Apol C loniæ litteris & militarib. disciplinis operam dabat: eò enim in expeditionẽ Parthicã à Cæsare præmissus fuerat, ab eodem anteq̃ Vrbe excederet Magister Equitũ in locũ Lepidi creatus. Sexto aũt postq̃ Apolloniam venerat mense, de Cæsaris cęde certior factus, in Italiã profectus, Neapolim venit XIIII. Kal. Maij. hinc Romam properãs magna vndiq; affluentium veteranorũ & amicorũ frequentia excipitur. Vrbemq; ingressuro arcus Iridis colore variegatus capiti eius liquido & sereno cælo omine prospero circumfulsisse visus est. Antonius tamẽ superbè & cõtemtius exceptũ neglexit: ea ratione se assecuturũ sperans, vt Octauius hæreditatẽ Cæsaris, cuius inuidiã sustinere adolescens nõ auderet, recu D saret: eamq; ipse, qui se quoq; Cęsaris & filium & hæredẽ iactabat, pręoccupare posset. cuius adeundę, propter inuidiosum Cęsaris nomen & fortunã, nec L. Marcium Philippum vitricum, nec ipsam Attiam matrẽ Octauio auctores fore credebat. Sed Octauius auunculi Cæsaris de se iudicio, q̃ vitrico aut matri credere maluit: adiensq; Prętorẽ Vrbanum C. Antonium, & adoptionem se ratam habere professus est, & nomen Cæsaris assumsit. ita vt cùm C. Octauius prius nominaretur, deinceps C. Julius Cæsar Octauianus de more appellatus sit. Antonius verò, vt crescentem Cæsaris potentiam labefactaret, legem Curiatam de adoptione Octauij, ne rogaretur per quosdam è Tribunis plebis impedierat.

M. AEMILIVS LEPIDVS PONTIFEX MAXIMVS.

C. IVLIVS CAESAR OCTAVIANVS.

LEX CVRIATA.

Verùm Cæſar eandem proximo anno in Conſulatu ſuo pertulit. Ea lege adoptiui idem iuris aſſequebantur, quo legitimi filij vtebantur: nimirũ vt & propinquos, gentem, familiam, & libertos adoptantium obtinerent. Nec hoc contentus Antonius, prenſationi quoq; Cæſaris obſiſtebat; qui vt in Heluij Cinnę Tribuniplebis per errorem cęſi locum Tribunus pl. à collegio coóptaretur, petierat; Luciumq; Antoniũ fratrẽ ſuum in eius locum ſuffecit. Hanc Antonij in ſe contumeliam magno animo diſsimulauit Cæſar: maluitq; ad ſumma & ſublimia potius cũ periculo, q̃ ad mediocria vel humilia tutò contendere. Hinc à Ti. Canutio Tribunopl. cõcionem impetrat: Populiq; fauorem Cæſaris legato, quod repręſentaturum ſe breui affirmat, & largiore vel de ſuo in poſterum liberalitate ſibi cõciliat. Antonius poſt hęc Cæſarẽ ad colloquium in hortos Pompeianos admittit: quẽ Cæſar vtpote Conſulem, humaniter & modeſtè veluti patrem appellat, & vt ſibi contra patris ſui percuſſores auxilio ſit, petit, vtque pecuniam apud ſe depoſitam cõcedat, qua populo legatum paternum pręſtare poſsit. Ea petentem Antonius ſuperbè & cõtumelioſè repellit. Octauius itaq; quò legatũ Populi Ro. quod promiſerat, perſolueret, proprium patrimoniũ, & quidquid pręterea ex teſtamẽto Cęſaris ipſi obuenerat, venale proſcripſit, Populoq; legatum perſoluit. Qua beneficentia Plebem ita ſibi deuinxit, vt Antonium ſimul omnibus inuidioſiſsimũ redderet. Optimatibus autem ea Antonij & Cæſaris ſimultas è Republica eſſe viſa eſt, quã etiam oblata occaſione accendebãt. Torpebat enim Antonij dominatione oppreſſa ciuitas; eam Cæſaris, adoleſcentis vt acris, ita & magnanimi, conſilio & armis olim cõtra Antoniũ aſſerendam præſagiebant: Ciceronis quoq; qui Cæſarẽ in ſuam fidem acceperat, auctoritatẽ in hoc ſequuti. Quòd ſi cũ Antonio in gratiam rediret Cæſar, verebãtur ne dum vltionẽ iſte, ille dominationẽ vrgeret, Remp. coitione & ſociatis armis opprimerẽt. Optimam Ciceronis de Cęſare ſpem, in quã erectus erat, confirmabat laudatiſſ. ciuium L. Philippi & C. Marcelli neceſſariorũ Cæſaris arctiſſima commendatio: adhæc quòd ſe Conſule natus eſſet; quodq; eundem, ſecundum quietẽ, & ex oraculo Iouis Capitolini, pręuiderat bella ciuilia omnia eſſe reſtincturum, & confecturũ. Ludos interea Latinos Cæſar ob Veneris Genetricis ædem, quã prælio Pharſalico Cæſar vouerat, perfectam ſuis ſumtibus, ſplendidiſsimè facit: ijs ludis ſidus crinitũ per ſeptem dies omnibus conſpicuum duabus ferè horis ante Solis occaſum ſub ſeptemtrionib. oriebatur. Vulgus credidit Cæſaris animam inter Deorum immortalium numina receptam eo ſidere ſignificari: quo nomine Cometes capiti & vertici ſimulacri Cæſaris, quod in foro Octauianus conſecrauit, adiectus eſt: variiſque inſuper numiſmatibus

LVDI LATINI FACTI.

SIDVS CAESARIS

A & Templis, alijsque monumentis publicis sydus illud insculptum. Interea Romæ inter Cæsarem & Antonium, vti natura dissimilimos, ira in voluntates diuersissimas distractos, indies magis ac magis gliscebat odium, & partium studia crescebant. Antonius enim ob Consulatum, & quia C. Antonium Prætorem Vrbanum, L. Antonium Tribunum Plebis fratres habebat, in prouinciis mandandis, Populi suffragiis, vel inuito Senatu, quidquid audebat, poterat. C. itaque fratri Macedoniam Populi beneficio impetrat: quæ iam antea M. Bruto ab ipso Cæsare decreta, postea & ab ipso Senatu confirmata fuerat. Sibi verò Galliam Citeriorem opibus & milite florentem, quam D. Brutus, tam ab ipso Cæsare, quàm S. C. sibi assignatam administrabat, Populi itidem beneficio assequutus est. Nullaq; interea Cæsaris ratione habita, B contumelijs insuper & iniuria affectum, veluti vitæ suæ insidiatorem, apud optimates & milites traducit: vt vim adolescentis, opibus splendidi, partium studiis validi, gratia insuper Optimatium, & Populi fauore subnixi (cui percussoribus immissis exitium moliebatur) sine scelere, & iure præoccupasse videretur. Hinc Cæsar irritatus indignatione & dolore, detecta Antonij vanitate, torpentes ciuium animos contra eiusdem dominationem excitat: sibique simul & Reipublicæ, priuato tamen consilio, optimè fidentique animo ad infringendos Antonij conatus consulit. Veteranos enim Cæsaris è Calatia & Casilino Coloniis C quingenis denariis donatos exciuit. Hac Cæsaris liberalitate illectæ, Martia quoque & Quarta legiones (quę ex Macedonia ab Antonio reuocatę appulerant) signa ad Octauium vti Cęsaris filium transferunt. Horum exemplum secuti & alij complures, sęuitiam insuper & crudelitatem Antonij exosi, qua passim in castris vsque ad trecentos trucidari iusserat, causatus eos à Cæsare aut à partibus largitione corruptos, ad Cæsarem deficiunt. Quo nuncio allato, Antonius ita mente concidit, vt paludatus in Galliam citeriorem, quam rogatione & beneficio Populi obtinuerat, ante diem quartum Kalend. Decembris properaret. D. Brutus, qui eandem Prouinciam ex Cæsaris actis & S. C. tenebat, vt irrumpentem in eam Antonium moraretur, simulans se ad vrbem properare, Mutinæ cum exercitu subsistit; seque ab eodem ibi circumuallatum obsideri patitur. Senatus consultum itaque factum, quum primùm noui Coss. C. Vibius Pansa, A. Hirtius iniissent Kal. Ianuar. (Cicerone potissimùm censente) vt Cæsar Octauianus, quia priuato consilio pro Republica arma contra Antonium sumserat, pro Prætore bellum gereret, Senator esset, decénio tempestiuius q̃ per legẽ Annalem liceret, magistratus caperet, sentẽtiam loco Prætorio diceret, quantãq; pecuniam militibus earũ legionũ, quę Antoniũ deseruissent, D

BELLVM MVTINENSE

C. VIBIVS PANSA A. HIRTIVS COSS.

parta

parta victoria pollicitus esset, tanta publicè daretur; & vt Cæsar impe- A
rio Proprætorio vnà cum nouis Coss. & exercitu eo quem haberet, bel-
lum administraret. Nouo etiam exemplo Statua ipsi aurea Equestris,
censente Philippo decreta. Importunis ad hæc Cicero & Canutius Tri
bunus Plebis continuisque actionibus, tum & acerrimis contentioni-
bus euicêre, vt Antonius à Senatu hostis iudicaretur, necdum exspecta-
to Legatorum, qui ad Antonium missi erant, responso; L. Pisone &
Q. Fufio Caleno Antonij causam contra Ciceronem nequidquam in
Senatu defendentibus. Factum igitur S. C. quod plerumque in atroci
negotio solet: Darent operam Coss. ne quid Respublica detrimenti ca
peret. decretumq; Coss. vnà cum Cæsare bellum aduersus Antonium. B
Hirtius itaq; paludatus ab Vrbe profectus, ad Cæsarem, qui hactenus
Foro Cornelij cum exercitu hiemauerat, legiones Martiam & Quartã
à Cæsare ex mandato Senatus, ipso Cæsare ad omnia dissimulante, ac-
cepit. Hirtium Pansa habitis delectibus, aliquot post diebus consecu-
tus est. Cæsar atque Hirtius Bononiam nullo præsidio firmatam occu
pant: propiusq; ad Mutinam promotis castris, Brutum arcta obsidio-
ne, & commeatuum inopia pressum, de suo aduentu atque auxilio cer
tiorem faciunt. Præliis aliquot secundis Antonius ferocior factus, reli-
ctis qui Cæsaris & Hirtij castra oppugnarent, clam in Pansam cum co-
piis aduenientem Bononiam versus, XVII. Kal. Maij contendit; ac C
tum prosperè, ipso etiam Consule grauiter in eo prælio vulnerato, pu-
gnauit. Hirtius audito eius pugnæ euentu, relicto in castris Cæsare, An
tonio vtpote victori securius & ordinibus dissolutis in castra redeunti,
cum parte exercitus occurrit: ac fusis eius copiis, ipsoq; in fugam verso,
Pansæ cladem insigni victoria, cetero quin non sine suorum clade, cor
rexit. Ob eam victoriam Consules & Cęsar, tam à militibus, q̃ à Senatu
ex Ciceronis sentẽtia Imperatores appellati sunt: quamuis Pansa malè,
Cæsar ne pugnasset quidem. Paucis pòst diebus, Antonius quamquam
prælio abstinere decreuisset, veritus tamen ne Hirtius & Cæsar, qui co
pias propius Mutinam admouerant, eandem liberato Decimo occu- D
parent, legiones in pugnam producit, & summa vtrinque contentione
decertatum est. Eo in prælio Pontius Aquila (qui & ipse vnus ex Cęsa-
ris percussoribus fuerat) cæsus est. Huic Senatus, veluti qui pro Patria
cecidisset, statuam decreuit. Antonius fugatus, & castris atque exercitu
exutus, ad M. Lepidũ Procõsulem in Galliam vlteriorẽ, vt eius legiones
in suã voluntatẽ pertraheret, cũ paucis profugit. Hirtius dum in castra
hostium irrũpit, circa Prætoriũ Antonij fortiter pugnã capessens, cæsus
est. Pansa verò Bononię ex vulnere in prelio accepto moritur, postq̃ Cę
sarẽ, qui eò ad se venerat, de Senatus in ipsũ maleuolẽtia, & de Antonij
recon-

STATVA EQVESTRIS CAESARI DECRETA.

ANTONIVS HOSTIS IVDICATVS.

CAESAR IMPERATOR.

A reconciliatione moribundus, vt patris cædem commodius vlcisceretur, monuisset. Bruto itaque & Mutina obsidione liberatis, solus Cæsar incolumis ea victoria potitus est: quumque de D. Bruto Patris sui percussore pœnas sumere potuisset, ipsum tamen incolumem dimisit. Senatus autem, qui vti prius in timore benignus fuit, ita nunc in victoria ingratus, vt Cæsarem deprimeret, cuncta quæ Cæsari tribuenda erant, ea omnia Bruto, tanquam victori, decreuit; eiusdemq; exercitum, alioquin Imperatori suo fidissimum, mutuis suspicionibus & discordia inuoluere, præmiorumque iniqua inter victores distributione, incõsulto etiam Cæsare, corrumpere conati sunt. Hinc Cæsar, tot ac tantis iniu-
B rijs irritatus, quum intelligeret metu iam amoto, Senatum Pompeianis partibus fauere: seque nisi maturè obsisteret, cõmissis inter se partium reliquijs conterendum; adhæc Ciceronem censuisse, quòd ipse Cæsar ornandus & tollendus esset, cùm aliud diceret, aliud intelligeret: nõnulli etiam Puerum ipsum per cõtumeliam appellassent, mutatis consilijs causam Optimatium sine cunctatione & Ciceronem ipsum deseruit.

Interim Antonius fuga Alpes transgressus, primùm à colloquio Lepidi aliquot diebus est repulsus, deinde quum in conspectum militum frequentius se ingessisset, ab ijsdem corruptis per auersam castrorum portam proruto vallo receptus est: ac tandem Lepido & Antonio reconciliatis, Imperatoris quidem nomine Lepidus vtebatur, summa ta-
C men rerum & potentia penes Antonium erat. Confestim itaque Antonius cum decem legionibus in D. Brutum mouit: ac statim L. Munatius Plancus, qui Galliæ vlteriori cum tribus legionibus præerat, mox & C. Asinius Pollio, qui Hispaniam cum duabus legionibus administrabat, D. Bruto, cuius partes hactenus sequuti fuerant, deserto, ad Antonium signa transtulêre. Decimus Brutus cum quattuor veteranis & sex tironum legionibus, quas contra Antonium ex S. C. ducebat, fame & inopia pressus, constituerat ad M. Brutum & Cassium in Macedoniam fugere. Sed legiones tædio & difficultate itineris quod proposue-
D rat deterritæ, sex tironum ad Cæsarem, quattuor veteranæ ad Antonium deficiunt: ipse cùm Aquileiam peteret, à latronibus captus, & à Capeno Sequano, qui illi Galliarum parti præerat, iussu Antonij, & submisso percussore Furio, occisus est, caputque Antonio missum. Ita Decimus Brutus parricidij pœnas Cæsari dedit, sesquianno post eum peremtum. Paullò pòst & Minucius Basillus etiam percussorum vnus, à proprijs seruis, quos per iram castrauerat, interemtus est. Percussorum nemo vltra triennium vixit, violentáque morte omnes periêre; pars naufragio, pars prælio; nonnulli, & eodem pugione quo Cæsarem violauerant, sibi vim & manus intulêre. Cæsar iram indignatio-

B nemque

nemq́ue ex Senatus in se iniuria conceptam reprimit,& ad tempus dis- A
simulat: & quò Patrum animos tentaret,triumphum à Senatu,ob rem feliciter suis auspicijs bello Mutinensi gestam, petit: quem tum, quòd contra leges postulare videretur non obtinuit; tum etiam quòd extraordinarium imperium administrasset; quodq́ue magis Consulum, quàm ipsius imperium fuisset,bellum alienis,non suis auspiciis gessisse dicerent. Vt tamen aliquid ipsius postulatis tribuerent,ornamenta Consularia decernunt, locumq́ue inter Consulares sententiam dicendi: ad hæc,vt legibus solutus proximo anno Præturam, inde biennio pòst Consulatum caperet. Ea Senatus decreta,quia Cæsaris animum ad ampliora aspirantem minimè explebant; Consulatum, quia Respublica B
Consulibus orbata erat,sibi lege Annali ex S. C. soluto per Ciceronem à Senatu postulat. Sed cùm eam quoque petitionem varijs artibus, & dilatis nonnunquam Comitijs,à Patribus eludi & produci videret, Consulatum vi & armis occupare, & quò ad eam rem firmior esset, Antonium sibi aliqua fœderis societate coniungere constituit. Hinc frequentiora deinceps inter Cæsarem & Antonium litterarum commercia; reconciliationis quoque & fœderis arctior necessitudo vrgebatur; vtq́ue res suas maiori etiam subsidio stabiliret, augeretq́ue, omni officiorum genere Antonium sibi & Lepidum demereri studet. Qumq́ue hoc tandem effecisset, vt milites inter se iureiurando sancirent, cum nullo C
exercitu qui C. Cæsaris fuisset, bellum se gesturos; quadringentos Romam ad Senatum misit, qui Consulatum ipsi exercitus nomine peterent. Qui postquam in Senatu militum postulata exposuissent, cunctante Patrum cōcilio, Cornelius Centurio Princeps legationis reiecto sagulo ostendens gladij capulum ausus est dicere; Hic faciet, si vos non feceritis. Militibus itaque re infecta ad se reuersis, Antonium & Lepidum in Italiam accersit, ipse transmisso Rubicone octo legiones hostiliter versus Vrbem mouere cœpit. Quo nuntio allato omnia in Vrbe plena pauoris erant. Patres, vt in tumultu solet, præ ceteris consternati, legatos ad Cæsarem mittunt, qui Consulatum absenti deferrent, D
quiq; legionibus duplum eius quod polliciti fuerant,donatiui nomine repræsentarent. Interea dum legati proficiscuntur,Senatus collectis ex priore consternatione animis, idq; potissimum earum legionum fiducia, quæ ab Africa euocatæ appulerant,armis omnia experienda prius quàm Patriæ libertatem prodendam decernunt: hinc ea quæ prius per legatos Cæsari detulissent reuocanda censent: sagaque, depositis togis, sumunt. Cæsar offensus tam pudenda Senatus inconstantia, equites, vt populo se pacatum aduenire nunciarent, præmittit; admotisq; propius legionibus, Vrbem sine certamine, faustis acclamationibus, & officiosissima

A sima,non plebis tantùm,sed & Patrum aggratulatione,occupat. Comitijsque Centuriatis Consul cum Q. Pedio cohærede creatus est, pridie Natalis sui, X. Kal. Octobris, quum postridie viginti annos expleret. Occupatoque ad hunc modum Consulatu & Vrbe, legem rogauit de quæstione in eos habenda,quorum opera Cæsar pater suus occisus fuisset: perrogauit eam Q. Pedius,vnde & lex Pedia dicta est:omnibusque qui Cæsarem interfecerant,vel eius facinoris conscij fuerant, damnatis, aqua & igni interdictum est: postulatiq; ea lege in primis M.& D.Bruti,C.Cassius,P.Casca: inter reliquos & Sex.Pompeius,quamquam nec particeps,nec conscius quidem cædis Cæsaris,sed quòd eidem hostis fue-

B rat. Ceterùm,P. Dolabella,qui propter C.Trebonium vnum è percussoribus interemtum, hostis S. C. iudicatus fuerat, Populi suffragijs & lege lata absolutus est. His itaque ipso Consulatus initio ita constitutis, in hoc præcipuè incumbebat,vt quamprimùm patris cædem vlcisceretur. Verùm,quia suas facultates inferiores videbat,quàm vt solus Cassij Brutique viribus (qui iam septemdecim,vel vt alij tradidêre,viginti legiones sub signis habebant) resistere posset; Senatui,antequam factionum studia inualescerent, Antonium & Lepidum reconciliat: eosque validissimis copijs instructos sibi fœdere coniungit. Congressus horum trium per triduum occultus fit,ante diem VIII.Kal.Decembris,in agro

C Bononiensi, siue, vt Appianus,Mutinensi, loco flumine circumfluo; ibique Populi Ro.Imperium quasi possessionem priuatam inter se partiti sunt: ita vt Cæsar vtramque Libyam cum Sicilia & Sardinia; Lepidus Hispanias, & Galliam Narbonensem; Antonius reliquas haberet Gallias: placuitque vt ipsi Triumuiri Reipublicæ constituendæ dicerentur, idq; cum summo imperio in quinquennium, magistratus omnes nec Senatu,nec populo consulto,quibus ipsi vellent,mandarent. Lepidum itaque in D.Bruti occisi locum, in insequentè annum Consulem creant,eumque Romam ac reliquam Italiam tueri iubent.Antonius & Cæsar M. Brutum & Cassium bello persequi constituunt: Militibus

D præter cetera donatiua post victoriam,missionem,& Colonias XVIII. Italicas,opibus & fertilitate præcipuas, promittunt: Proscriptionem & cædem ciuium inimicorum edunt; præmium proscriptorum percussoribus,quique caput proscripti ad Triumviros referrent,ingenuis quidem XXV. millia HS. in singula capita, seruis dimidium eius, & ius ciuitatis cum libertate: totidem indicibus illorum qui proscriptos celassent, aut protexissent. Crimen coitionis tam exsecrandæ, qua per violentissimam & impotentissimam Triumuirorum dominationem Respublica calamitosissimè dilaniabatur, sustinebant Antonius & Lepidus; quorũ crudelitas optimis cædem, reliquis seruitutem moliebatur.

C. CAESAR OCTAVIAN. Q. PEDIVS COSS.

TRIVMVIRATVS REIP. CONSTITVENDAE IN QVINQVENNIVM INITVS.

M. LEPIDVS COS. DESIG. ITER.

PROSCRIPTIO.

Simultates enim, quas imperante Cæsare, cum optimo quoque, partim A odio, partim inuidia susceperant, eas in hoc sæuissimo dominatu non deponebãt, sed insolentissimè & crudelissimè exercebant. Cæsar autem vti neque natura, neque voluntate crudelis, clementiam patris sui popularem sectabatur: amariq; & diligi, quàm timeri præoptabat. Neque enim, quia recens & sine certamine ad Consulatum obrepserat, in aliquem odij aut vindictæ cum alicuius periculo exercendæ, præterquam in patris sui percussores, satis iustam, immo ne legitimam quidem caussam habebat. Quare Cæsar diu, ne qua proscriptio fieret, intercedebat ac repugnabat: sed frustrà aduersus duos pessimos & sanguinarios collegas: qui vlciscendi & puniendi dolorem suum in eos, per quos hostes B iudicati fuerant, studio inflammati, in ceruices & bona aduersariorum impotentius ferebantur: neque eos à nefario furore, necessitudinum aut propinquitatis vinculum, aut denique pietas, aut religio reuocabat. Maximam contentionem Ciceronis proscriptio præbebat: quum Antonius nullam conditionem, nisi ille prius interficeretur, acciperet: & Lepidus quidem Antonio assentiretur; Cæsar autem vtrique repugnaret. Tandem tamen Cæsar collegarum victus importunitate, & ipse assensit, quamquam inuitus: permutatióque proscribendorum in exitium Ciceronis facta; ita vt Ciceronem Cæsar; L. Aemilium Paullum fratrem suum Lepidus; L. Cæsarem auunculum suum & Consu- C larem Antonius proscribi permitteret. quod odium auunculo Antonius reposuit, quia hostis ab eodem in Senatu appellatus fuerat; vt & à Paullo fratre Lepidus. L. tamen Cæsarem Iulia Antonij mater vtpote fratrem, precibus à filio extorsit. Paullum dissimulante Lepido fratre Centurionum pietas seruauit. Cicero, qui patriam conseruarat, qui per tot annos publicam & priuatam ciuium salutem defenderat, nunc desertus proditur. Qui quum angoribus & tædio vitæ cõfectus, quod sors iniqua cogebat, fortiter ferendum duxisset; immotam ceruicem M. Popillio Lænati (quem ipse patricidij reum à manifesta morte patrocinio suo eripuerat) feriendam præbuit. Capite præciso tam stolida fuit mili- D tum crudelitas, vt manum quoque dexteram, aliquid in Antonium scripsisse exprobrantes, præciderint. Caput & manum Ciceronis ipse Lænas Antonio comitia in foro habenti eminus ostendit: quo ille spectaculo maximè delectatus, Tribunũ coronauit, & HS. decies ei pro maximo præmio dedit. Fuluia Antonij vxor caput in manus sumsit: eiq; atrocibus verbis illudens & conspuens genibus imposuit, & linguam ex ore extractam acubus, quibus ad capitis ornamentum vtebatur, compunxit, additis multis ijsque exsecrandis opprobrijs. Demùm, post multa ludibria idem caput vnà cum manibus iussu Antonij pro Rostris, lo-

co

A co præ alijs conspicuo, positum est: vt vnde in Antonium Cicero concionatus fuerat, ibidem & caput eius inter duas manus conspiceretur. Ciceroni solicitam & senilem vitam Antonius, quam natura circuitu fatali & breui repetitura fuerat, eripuit VII. Idus Decembris, quum vixisset annos ferè LXIIII. Subit hoc loco mirari Antonij in Cicerone puniendo obcæcatam libidinem; qui stupiditate dubites ne maiore an amentia, crediderit tam sæua, quam tunc exercebat, dominationis licentia, sequentis ætatis de se iudicandi libertatem metu opprimi, vel tanti facinoris memoriam exstingui posse: immo contrà ipsi hoc, & omnibus olim Tyrannis euenit, semperque euenturum est. Violentia namque B illa tam effrenata, per quam nobilibus ingenijs vita eripitur, auctoritatem ijsdem apud posteritatem confirmat, virtutisque testimonium grauissimum tribuit, & gratam memoriam conseruat. Neque enim qui eadem sæuitia vsi sunt, aliud sibi quàm æternam ignominiam, oppressis commiserationem & sempiternam gloriam peperêre. Ciceronis in Antonium scripta omnis posteritas mirabitur; Antonij in eundem sceleris atrocitatem exsecrabitur. sed redeamus eò, vnde nos dolor & indignatio deflexerat. Fortunam eius temporis tot ciuibus calamitosam, nec quisquam satis digna commiseratione deflere, nedum describere possit. Verùm, quod è re legentium esse futurum opinati sumus, exempla C quæ in tam perturbata Republica, & nobilissimorum ciuium cæde, pietatis, fortitudinis, industriæ commendationem ad imitandum; aut contrà impietatis perfidiæq; turpitudinem ad deterrendum habebant, collecta propositurí sumus. In proscriptos itaque vxorum fidem fuisse magnam, filiorum egregiam; libertorum mediam; seruorum aliquam; variam tamen vniuersorum; & vt præmiorum spes, aut scelerum licentia inuitabat, infidam reperiemus. ANIMI enim mortalium fluxa & inconstanti mobilitate variantur cum fortuna. Felicitas inuidiosos, miseria contemtos facit. Firmissimum itáque est, in fatali casu inuictum habere animum, & fortiter necessitati parentem, nihil quod homini D accidere possit, intolerãdum; humanos casus virtute inferiores putare. Fortitudinẽ & cautionem in periculis gloriam semper; salutem persæpè tueri; inimicorum quoque impetus retardare & infringere: at ediuersò ignauæ & proiectæ formidini comites esse contemtum & desperationem: hinc fati necessitatem vrgeri, hinc perniciem irruere. Proscriptorum Tabulæ passim, & varijs Vrbis regionibus figebantur. Auctores habeo, qui prima tabula CXXX. altera CL. Senatores proscriptos: Equitum verò duo millia referant. Proscripturiebat enim Antonij animus: ad cuius furiosi & temulenti libidinem, Fuluiæ obcætata rapiendi auiditas faces & furias accendebat, vt numerus proscriptorum

in incertum augeretur: quos namque per armorum licentiam percuſſores vel per errorem,vel vlti priuatas iniurias,aut,ſi lucrum oſtenderetur, ob alienas ſimultates trucidauerant, eos vti iure cæſos, in tabulas illas ſanguinarias adſcribi patiebantur. Miſerabilis in Vrbe, in agris fugientium trepidatio; latitantium angor; fœda cruentaque ciuium ſtrages ad militum ludibrium morientium; trunca proiectaque cadauera; pro Roſtris in auctoramentum ſceleſti facinoris capita ſanguine & ſanie ſtillantia; funeſtiora omnia quàm Sulla furente. Funeribus cæſorũ tamen iuſta ſoluere Triumuiri patiebantur: ſed quos acerbo luctu affecerant, eos lugere non ſinebant. Atque vt caſus alienos ſine dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia ſolet eſſe iucunda: ita temporum varietates, fortunæ viciſsitudines, etiamſi experientibus ob concurſum calamitatum peracerbæ ſunt; tamen virorum excellentium ancipites variosque caſus ideo memorandos duximus,quòd habeant admirationem,exſpectationem; lætitiam, moleſtiam; ſpem,timorẽ: qui ſi exitu notabili concluduntur, explent Lectoris animũ varietate,ſimul exemplis & prudentia erudiunt. Fratrem itaque ſuum C. Plotium Plancus, T. Quinctium ſocerum Aſinius Conſules deſignati proſcripſerunt. Initio cædis violatus eſt, alioqui ſacroſanctus Tribunusplebis Saluius Otho: is imminentem cladem præſentiens,extremam ſuis cœnam dabat: irrumpit Centurio,cõuiuis trepidatione attonitis,Saluius porrecta ceruice ſe feriendum præbet. Minucius Prætor in foro dum Comitia haberet,repentina cæde præoccupatus eſt.Prætor L.Villius Annalis pro filio Quæſturæ candidato prenſabat; is fuga è percuſſorum manibus elapſus, in ſuburbio apud clientulum humili & vili caſa ſecurus latitabat: ſed filij, qui patrimonij inuadendi deſiderio flagrabat,indicio proditus, à militibus trucidatus eſt. Filius tanto ſcelere contaminatus, ab ijſdem militibus,quos ebrius & tumultuãs laceſsierat,veluti ipſius ſupplicio tantam impietatẽ expiaturis, paulò pòſt confoditur. C.Toranio Prætorio,& Cæſaris tutori, perditus & diſſolutus filius,quem pater ſuæ ſalutis deprecatorem fore confidebat, mortem ab Antonio, vt hæreditatem tempeſtiuius cerneret, impetrauit. Atqui idem quum vitio ſuo decoxiſſet,furti damnatus in exſilium pulſus,inedia contabuit. Sed tantis ſceleribus opponamus pietatis exempla. Q. Ciceronem Prætorium filius latebris condiderat, neque quidquam tormentis, vt patrem proderet,concedebat: ſed ille tanta filij conſtantia & fortitudine ad miſerationem fractus, vltrò ſe feriendum obtulit, contendente filio vt ſe prius quàm patrem iugularent: ſed ea percuſſorum miſericordia fuit, vt vtriſque eadem celeritate vitam eriperent. Egnatij pater & filius mutuis complexibus inhærentes, vno ictu trucidati ſunt. C. Hoſidium Getam filius,

A filius, cui vt mortuo funus parauerat, elusis percussoribus cædi subtractum aluit, & ad pacem vsque conseruauit. Arruntius postquam filio persuasisset, vt quod in patrem necessitas iuberet, fortiter ferret, se feriendum prębuit: filius mox desiderio patris & miseratione victus, mœrore & inediâ contabuit. Arrianum filius non proscriptus, quoad pater viuebat, fugæ comes protexit & conseruauit. Vxorum quoque fides in maritos præclara fuit; quorum saluti plurimæ aut latebris, aut fuga, aut deprecatione consuluêre: flagitiosarum perfidia haud ita multi periêre. Tanusia vxor T. Iunium, quem aliquamdiu Philopæmen libertus cælauerat, deprecatione à Cæsare impetrauit: libertus ob fidem in B patronum postea à Cæsare Equestri dignitate honoratus est. Q. Ligarium, quem vxoris fides protexerat, seruæ perfidia prodidit: marito itaque iugulato vxor superstes esse noluit, & se inedia consumsit. Q. Lucretius Vespillo, quum se incerta & periculosa fuga aliquamdiu fatigasset, inopia & egestate coactus ad Thuriam vxorem obrepsit: quæ maritum inter laquearia & tectum abdidit, fouitque, quoad vitam ipsi à Triumuiris per amicos deprecata esset: eo beneficio seruatus ad meliora tempora Lucretius, Consulatum cum C. Sentio Saturnino postea assecutus est. Appuleio vxor fugæ comes, & salutis caussa fuit. Antius, stragulis ab vxore obuolutus pro sarcina ad mare delatus, fuga in Sici- C liam elabitur. C. Côponium seruauit quamquam parum honesta vxoris seruitus: maluit ea Antonio se prostituere, quàm mariti vitam perdere. Contrà, nonnullæ maritis infidæ, iisdem proditis coniugij necessitudinē violarunt. Septimij vxor cum quodam Antonij necessario stupri consuetudinem habebat: ea vt adulteri cōnubio potiretur, mariti proscriptionem ab Antonio (quod per eius familiarem facilè potuit) impetrat. Septimius probri domestici & nefario vxoris scelere se circumscriptum ignorans, proditur, cæditur, & tam flagitiosæ nuptiarum pactiones mariti sanguine sanciuntur. Q. Vettius Salassus bene abditus latebat in occulto: sed dum de sua salute & latebra vxorem facit certio- D rem, per eandem percussoribus indicatur. quod ille ex alto despiciens, dum ad proprium arbitrium, quàm ad vxoris ludibrium mori præoptat, cædem voluntario præcipitio anteuertit. Fuluium seruæ olim concubinæ perfidia percussoribus prodidit: idque vt suum dolorem vlcisceretur; ea namque amoris stimulis & zelotypia ardens angebatur, quòd se spreta & neglecta Fuluius (etiamsi libertate donatam & dotatam elocasset) vxorem legitimam duxisset. Proposuimus vxorum pietatem & impietatem, sequitur vt de libertorum & seruorum fide & perfidia agamus. P. Nasonem Prætorium libertus, quem carissimum habuerat, prodidit; ille proditorem manibus suis peremtum vltus, percussoribus

ſoribus ſe iugulandum obtulit. L. Lucceius viaticum & fugæ ſubſidium, duobus libertis commiſerat; quod quum ab iiſdem direptum & fuga elapſis ablatum intellexit, cædi ſe ſponte obiecit. Haterium bene cælatum ſerui auaritia prodidit. Q. Caſſius Varus liberti perfidia proditus, poſtea elapſus atque inter arundineta latitans, ibique à Minturnenſibus pro latrone captus, dum ſibi, vt latrocinij conſcios proderet, tormenta parari videt; Conſularem ſe eſſe, ne ſeruilem in modum torqueretur, profeſſus eſt. verùm dum tumultuantibus ipſis ob præſentem calamitatem fidem non facit, à ſuperueniente Centurione trucidatus eſt. Sed ſummam multorum erga dominos fidem, vt longum, ita operoſum eſſet cuncta per ſingulos repetere: quæ verò memoriam poſteritatis merentur paucis perſtringam. C. Plotium Planci Conſularis & Cenſorij fratrem conſtantiſſima ſeruorum fides conſeruauerat, ſi mollis ille & voluptuarius vnguentorum quibus perfricabatur odore, militum ſagacitati latebras ſuas non detexiſſet. Serui à militibus diu torti, ne dominum ſuum proderent, ad omnia tormentorum genera contumaces erant. Plotius ob tam conſtantem ſeruorum in ſe fidem, commiſeratione victus; eos à cruciatu liberaturus è latebris ſuis proſilit, iugulumque militibus obijcit. Ap. Claudius cuiuſdam indicio periturus veſtem cùm ſeruo permutat; ſeruus ſe eodem habitu percuſſoribus obijcit, & pro domino iugulatur, ipſo Appio fuga elapſo. Eadem fuit ſerui in Menenium fides; qui quum in lecticam domini ſui ſe ſuccollandum conieciſſet, deceptis percuſſoribus pro hero ceruicem feriendam præbuit; Menenius verò in Siciliam euaſit. Vrbinio Panopioni mira etiam ſerui fides ſaluti fuit; qui quum dominum militibus ad eius cædem accurrentibus indicatum eſſe deprehenderet, commutata cum eo veſte, annulo etiam permutato, illum poſtico clam emiſit; ſe autem in cubiculum recepit & in lectum compoſuit; & pro Panopione occidi magna conſtantia permiſit. Nec fuit ſtigmatici cuiuſdam in Antium Reſtionem minor fides & conſtantia: cuius animum neque contumelioſus dolor, quodque notis eum Reſtio paullò antè ob nequitiam compunxerat; neque ipſa heri proſcripti calamitas vltioni opportuna labefecit; quin ob gratam beneficiorum præteritorum memoriam, domino ſuo ſingularem in ea neceſſitate fidem præſtaret. percuſſores imminere videns, ſenem fortuitò obuium obtruncat; in eo vltum ſe herum ſuum mentitur; & dum ſtigmata ſibi inuſta oſtentat, facilè percuſſoribus fidem facit; iiſque aliò dilapſis, ipſe cum Reſtione ſaluo in Siciliam traijcit. Marcium Cenſorinum ſeruorum pietas domi ſuæ vſque ad tempora feliciora protexit, dum fuga ad Pompeium elaberetur. Q. Oppium decrepitum & mori paratum, nobili & vetuſto ab AENEA pietatis

A tatis exemplo, filius humeris exceptum sustulit, & seruatum in Siciliam vsque deduxit. Excellentia nobilitatáque per id tempus Sex. Pompeij in calamitosos ciues pietatis officia, gratam etiam nunc memoriam apud posteros merentur. Is Siciliç partem occuparat, & classe maritimas aliquot Italiæ oras firmauerat: submißis itaque ad omnia littora nauibus, fugientium portus erat & perfugium. dum conseruatoribus proscriptorum duplum eius, quod percussoribus eorundem à Triumuiris constitutum erat, repræsentaret; oberrantesque exciperet; exceptos hospitaliter & benignè haberet, insuper honorib. (vti inter alios P. Lentulum Prætura) ornaret. Plurimis quoq; tutus receptus erat apud Bru-
B tum & Caßium in Macedonia; aliquibus & apud Cornificium in Africa: aliorum plerique fortiter moriebantur; nõnulli animosè, nec inulti perniciem euadebant. Erant & qui sibi manus inferrent, ne ad arbitrium percussoris caderent. Quidam etiam qui è Sullana tempestate emerserant, nunc fortuna reflante depreßi sunt. In his M. Fidustius Senator Sullæ gladios euaserat; verùm post XXXVI. annos iterum proscriptus, Antonij euadere non potuit. Idem variantis semper fortunæ ludibrium, L. Philuscium & nunc eandem calamitatem cum pernicie experiri coëgit. T. Labienus, qui olim crudelitatis Sullanæ satelles fuerat, scelerum suorum conscientia hucvsque cruciatus, vitamque per-
C tæsus, pro foribus suis sella expositus, vltrò se percussoribus feriendum præbuit. Statius Samnis Senator, idemque octogenarius, proscriptus fuerat; hic vt coruos (quod dicitur) hiantes deluderet, corruptis & proiectis etiam ad diripiendum opibus suis, domum quoque suam pro rogo incendit, & in ea combustus est. Aponium fides seruorum aliquamdiu protexerat; verùm, quum seruilis & sordidi victus tædio angeretur, militibus se feriendum prodidit. Cestius diu seruorum pietate tectus, tandem angore, & disquirentium, omniaque scrutantium Centurionum formidine pauoreque fractus, tædium eum vitæ cœpit: rogo itaque à seruis accendi iusso, in eum se viuum præcipitauit. Ser.
D Sulpicio Rufo Consulari exitiosa fuit insula, quam Fuluiæ vendere noluerat; vt Ampio Balbo prædij sui, ad cuius possesionem Fuluia inhiabat, amœnitas: & iste scelere serui sui proditus fuerat. sed idem populo iubente paullò pòst in crucem actus, tanti facinoris pœnas dabat. Nonium Strumam Senatorem, Antonius vt eiusdem smaragdo (quem auellanæ magnitudine vicies sestertiûm æstimatũ poßidebat) potiretur, proscripsit: sed fuga elapsus, & ablato secum ex omnibus fortunis smaragdo, Antonij feritatem & luxuriam elusit. Atteius Capito temerè irrumpentes ad se milites interficiebat, donec turba & multitudine oppressus, vnà cum ceteris nec inultus caderet. Vetulinus aliquot prælijs

percuſſores in ſe immiſſos profligarat, filio etiam ſecum conſeruato; A ſed dum in Siciliam nauigat, in freto Siculo à militum multitudine oppreſſus, trucidatus eſt. Sicilius Coronas Senator, quia Brutũ & Caſſium, quos lex Pedia damnauerat, ſolus abſoluerat, proſcriptus fuerat; ſed is, quò percuſſorum manus euaderet, ſe pro veſpillone geſsit, agnitus tamẽ interficitur. Triumuiri aũt in eorum qui percuſsi, aut lege Pedia damnati erant, locum, ſiue Magiſtratum ille geſsiſſet, ſiue Sacerdotium curaſſet, non ex legibus alium ſurrogabant; ſed quemlibet ad ſuam libidinem ſufficiebant. Proſcriptorum verò bona voci præconis ſubijciebant: ceterùm, ſectorem nullum ad haſtam auctionatum admittebant, qui miles non eſſet: cumque ille per laſciuiam & licentiam omnia viliſ- B ſimè liceretur, pretioſiſsima quæque minimò addicebantur. Alia ad direptionem militum publicabantur: nonnulla donabantur. Vxoribus tamen percuſſorum dotem ex bonis eorum ſe repræſentaturos, filijs itidem patrimonij partem decimam, filiabus viceſimã promiſerant. quod paucis profuit: multis cùm exigerent, etiam exitioſum fuit. Interim in Vrbe, & per totam Italiam pecuniæ acerbiſsimè imperabantur: annui prouentus dimidium à poſſeſſoribus agrorum; ab inquilinis annuum locationis pretium; à dominis, quique proprias ædes habitabant, æſtimatæ locationis dimidium exigebatur. Largitiones confirmandorum militum cauſſa fiebant profuſiſsimæ; bonaque aduerſariorum iiſdem C diripienda concedebantur: legiones in locupletiſsimas vrbes in hiberna deducebantur, ciuibus militem de ſuo alere coactis. Accedebat adhæc, quòd decimæ facultatum à quolibet diuitum cenſus ſui æſtimationem profeſſo, tributi nomine exigebantur. Cuius modò rei nomen inueniri poterat, hoc eſſe ſatis ad cogendas pecunias videbatur: & partim metus, partim patientia iam omnibus ſeruiendi conſuetudinem attulerat.

PERCVSSORES PROFLIGATIS HOSTIB. EORVM PROVINCIAS OCCVPANT.

Intereà dum ad hunc modum Italia per Triumuiros, concurſu tot miſeriarum labefactatur & conuellitur, M. Brutus oppreſſo C. Antonio Macedoniam; C. Caſsius deuicto Dolabella Suriam; Sex. Pompeius Siciliam profligato Pompeio Bithynico; L. Ceſtius Africam Q. Cor- D nificio & D. Lælio debellatis, occupant. Quod qua ratione, quo conſilio, & euentu ſinguli confecerint, iam ex ordine dicturi ſumus. M. Brutus, & paucis poſt eum diebus C. Caſſius è Velia ſoluentes, ſiue ob metum à Cæſare, ſiue ne quam belli ciuilis occaſionem ſua præſentia mouerent, in Græciam nauigaturi ſub autumnum Italia ceſſerant: quúmq; in Piræum appuliſſent, ab Athenienſibus non ſolùm excepti, ſed & honoribus ornati ſunt, ſtatua illis ex ære iuxta Harmodij & Ariſtogitonis poſita: vt quemadmodum illis ob Hipparchi Tyrãni cædem ante quin gentos annos à gratis ciuib. tale honoris monumentũ poſitũ fuerat; ita & his

A &his nunc Cæſare, qui Rempublicam per vim occuparat, interfecto, ſociatis eodem in loco, ob rei geſtæ ſimilitudinem & commendationē, ſtatuis, ſempiternam tanti facinoris teſtificationem conſecrarent. Sunt qui baſi ſtatuæ M. Bruto poſitæ inſcriptum fuiſſe referant, L.Brutum ipſius quondam gentilem eodem tempore Tarquinios regno expuliſſe, quo Harmodius & Ariſtogiton, interfecto Hipparcho, Athenienſes à Piſiſtratidarum tyrannide liberaſſent. Caſſius adiuncto ſibi M. Meſſalla Coruino, in Suriam ipſi à Cæſare decretam & S.C. confirmatam, etiamſi vitioſo plebiſcito in eam P. Dolabella contenderet, nauigare conſtituerat. vſurus in ea, vti confidebat, recuperanda, & rerum à ſe

B geſtarum gloria, & ſociorum fidiſſimorum, quos à Parthici belli periculo liberaſſet, fidelitate & conſtantia. M. Brutus accepto in contubernium M.Cicerone Oratoris filio, qui Athenis ſapientiæ ſtudijs operam dabat, ad Macedoniam contra violentas M. Antonij contentiones retinendam, omnes cogitationes & conatus conuerterat. Quò poſtquam C.Antonium, vt eam Prouinciam M.Fratris ſui auſpicijs occuparet, Q. Hortenſio ſucceſſurum, properare intellexiſſet; M. Ciceronem (cuius induſtriam & vigilantiam Brutus multis commendarat) cum equitatu eò præmittit. Ipſe ab Antiſtio vetere C.Trebonij Quæſtore ſeſtertiûm quadringenties conficit: exercitúmque tum ex eo milite qui paſſim è

C clade Pompeij Pharſalica ſuperſtes oberrabat, tum ex eo qui magnis itineribus ſe extendentem Dolabellam, vel morbo vel alia de cauſſa impeditus aſſequi non poterat, collectitium conſcribit, & ſub ſignis habet: & Græciam, quæ nullius præſidio tenebatur, proinde promtè eius voluntatem & auctoritatem ſequutam occupat. M. Cicero vbi in Macedoniam peruenit, legionem vnam à L. Piſone C.Antonij legato recipit. Equitatus bipartitò ad Dolabellam ducebatur: ex hoc quingenti, qui à Cinna per Theſſaliam ducebantur, eo relicto ad Brutum ſeſe contulerunt: reliquos in Macedonia Cn. Domitius Ampulus à legato Suriæ abduxit. Brutus in Demetriadem profectus, infinita armorum genera,

D quæ mandato C. Cæſaris ad Parthicum bellum comparata fuerant, & ad Antonium deportabantur, occupat. Brutus celeritate vſus, eodem tempore in Macedoniam, quo C.Antonius in Illuricum peruenit. Ibi tum Q. Hortenſius & M.Appuleius, qui exercitum in Macedonia cōparauerant, ſe cum Bruto coniungunt. Antonius, vt ſeptem P.Vatinij legiones præoccuparet, Dyrrachium & Apolloniam ſumma feſtinatione contendebat: ſed Brutum tardabant aſpera & prærupta loca, niuoſa præterea & frigida in montibus tempeſtas. Legiones tamen, Antonio per Vatinium, quem etiam oderant, repulſo, ad Brutū deficiunt: ipſi quoq; Apolloniatę Antonio excluſo, exercitus cōſenſum ſequūtur.

Hinc Antonius, tribus cohortibus è ſeptem, cum quibus ad Buthrotum A contendebat, per Brutum interceptis & conciſis, coactus eſt ad Bullidem deflectere, aliquot interim copiolis ad ipſum ex itinere affluentibus. Verùm, dum ibidem loca præſidijs obſepta & clauſa ſuperare nititur, à Cicerone Bruti legato victus, in præcipitia & loca paludibus intercisa depulſus, equitatu vndique cinctus, & à Bruto velut indagine captus, ſe cùm exercitu in Bruti fidem & poteſtatem dat. Eum Brutus ad tempus benignè & liberaliter Apolloniæ habuit, Prætorijs etiam ornamentis, ſed ſine imperio ipſi conceſſis. Tenebat itaque Brutus Græciam, Illuricum, Macedoniam; octo legionum exercitum, & equitatum. Quúmque ea omnia miſſis ad Senatum litteris, in S. P. Q. R. poteſtatem traderet, Senatus conſultum factum eſt, quo Bruto Macedonia B prouincia, Illuricum, & Græcia, cum Proconſulari imperio, quoad ipſi ex S. C. ſuccederetur, decernebatur. M. itaque Brutus ab equitatu iam & reliquis copijs inſtructus, & imperio inſuper ſibi S.C. decreto confirmatus, vbi intellexiſſet M. Antonium Reipublicæ hoſtem declaratum à Cæſare oppugnari, eidem Cæſari vt ſecum in gratiam redeat, coniunctiſque viribus Antonium vtrique aduerſarium opprimere pergat, per literas perſuadere conatur. ſed certior factus ſe ab ea ſpe, quia Cæſar Conſulatum inuaſiſſet, eſſe deiectum; denique eundem cum Antonio & Lepido ſocietate, fœdereque coniunctum; Cæſaris adhæc percuſſores C lege Pedia condemnatos: abiecta ſtatim reconciliationis cogitatione, omnibus viribus ſibi annitendum cenſet, vt exiſtimationem dignitatemque ſuam ab inimicis tueretur. C. interim Antonius per Tribunos & Centuriones aliquot, quos largitione promiſſiſque corruperat, Bruti exercitum ad ſeditionem concitare aggreditur: ſperans ſe in eo tumultu facilè euaſurum. ſed interceptis nonnullorum litteris, Brutus Antonij conatus priuſquam inualeſcerent oppreſſit. Verùm, vt exercitum à turbidis conſilijs & nouarum rerum ſtudio retraheret, relicto in Macedonia Proprætore Q. Hortenſio, ipſe in Theſſaliam mouet: & vti ſociorum opibus ſuas copias aleret, in Aſiam traijcit; Deiotarum Gallo- D græciæ Regem, qui Caſſio ob ſenium ſe excuſauerat, in ſuas partes traducit; auxilia vndique comparat; pecunias cogit. C. Antonium interea M. Antonius per vim liberare conatus fuerat. hinc C. Clodius iuſſu Q. Hortenſij, M. Bruti mandatum in hoc ſequuti, C. Antonium interfici imperauit. M. Brutus eo occiſo, D. Bruti gentilis, ſimul & M. Ciceronis ſui neceſſarij cædem vltus eſt; vtrumque enim M. Antonij crudelitate percuſſum eſſe intellexerat. Viciſſim M. Antonius in campis Philippicis victor, quum Q. Hortenſium cepiſſet, vt dolorem ſuum puniret, eundem ad fratris ſui tumulum iugulari iuſſit, M. Brutus certior factus

M. BRVTVS IMPERATOR.

de

A de maximo belli apparatu M. Antonij & Cæsaris, eosque terra marique in Macedoniam incubituros, in Prouinciam suam, vt ad omnia subita belli occurrere & eorum impetus reprimere posset, properat. quum in Thraciam appulisset, XII. cohortes P. Dolabellæ, quæ in Chersonneso vagabantur, ad se traducit: Regnumque Sadalis, cuius ipse moriens populum Romanum hæredem testamento instituerat, occupat. Hinc in Bessos montis Æmi accolas mouet; quos postquam opera Rascupolidis Reguli adiutus imperata facere coëgisset, Imperator ab exercitu salutatus est. Ibi & Polemocratiam viduam, cuius maritus in ea regione Regulus ab hostibus cæsus fuerat, ad se confugientem simul cum
B Almo filio, cui vt deserto vim ab iisdem mater metuebat, in suam populique Ro. fidem & clientelam M. Brutus, vnà cum infinita auri argentique copia suscepit: Cyzicenis puerum quousque eius iniurias per opportunitatem vlcisci posset, educandum commendauit. ex auro autem & argento, quod rude acceperat, pecuniam signari fecit, quæ aduersa parte ipsius imaginem, auersa pileum inter duos pugiones & EIDVS MARTIAS exprimeret: monumentum eius, quòd eodem die occiso per ipsos Cæsare Libertatem Reipublicæ asseruissent. Verùm Brutus quum Cæsarem & Antonium tardius quàm nunciatum fuerat, moliri intelligeret, in Asiam redijt, vt cum Lycijs adhuc cunctantibus societatem confirmaret: aut ni parerent, armis ad imperata cogeret. Atque hæc quidem à Bruto in ipsius Prouincia armorumque cum Cassio societate gesta sunt. BRVTI NVMISMA.

C Nunc ordo postulat, vt quæ in Suria contra P. Dolabellam Cassius, quæque pro recuperanda sibi Prouincia, & in edomanda Rhodiorum contumacia feliciter gesserit, prosequamur. Admirandum sanè ab omni sæculorum memoria haud temerè duos reperiri posse, eósque eiusdem facinoris necessitudine coniunctos; quos aut fortuna pronius comitata fuerit: aut rursus veluti fatigata celerius, quàm M. Brutum & C. Cassium deseruerit. Cassius itaque dum in Suriam, vt P. Dolabellæ conatus anteD uerteret, properandum sibi statuisset, Smyrnæ C. Trebonium Asiæ Procons. conuenit: à quo & P. Lentulo Proquæstore, pecunia, milite, & armis instructus, in Suriam accelerat; præmissum P. Dolabellæ equitatum opera Lentuli occupat, & in suam sententiam deducit; Ciliciæ Regulum Tarcondimotum & Tarsenses Iuliorum clientes etiam inuitos ad societatem compellit; hinc in Suriam transit, quam Q. Cæcilij Bassi audacia scelereque turbatam reperit. Bassus Eques Romanus è clade Pharsalica elapsus, Tyri primùm negotiatorem, vt securius latitaret, aliquamdiu se esse simulabat: inde vbi dolus successisset (vt erat ingenio irrequieto & ambitioso) præsidia quæ Tyri erant, ad defectio-



nem pellicere & inducere cœpit. Præerat tunc Suriæ pro quæstore Sex. A
Iulius Cæsar, quem ob gentilitatis necessitudinem Cæsar Dictator, dum contra Pharnacem per Palestinam moueret, illi Prouinciæ cum imperio & vna legione præfecerat: is in voluptates proiectus, disciplinæ militaris seueritatem remiserat. hinc militem, vt fit, in otio dissolutius & licentius agentem, Bassus implere promissis, donis corrumpere, factionibus dissociare; ita vt iam omnia ex licentia ac libidine militum, nihil ex instituto & disciplina, aut eius qui præerat imperio gereretur. Erupit demùm per factiosos seditio in præcipitem amentiam, cui dum Iulius obsistere nititur, iaculis à principibus seditionis configitur. defectionis auctores signa ad Bassum furoris ducem transferunt. Vbi B
ad saniorem mentem singuli rediissent, pœnitere eos & erroris & sceleris cœpit, sanabiles exaggerare facinoris atrocitatem: Iaculis obrutum Dictatoris gentilem; nomen gentis Iuliæ, stirpem Cæsarum esse in eo exstinctam; Quæstorem, Legatum Cæsaris, suorum scelere, suorum telis, contra sacramenti religionem, suis in castris esse oppressum: acerrimum domesticæ labis vltorem Cæsarem, pœnam noxæ meritam supplicio exacturum. Insanabiles verò, quia ob facinoris atrocitatem de venia & clementia Cæsaris desperabant, ferocius agunt, fide data acceptaque coniurant; sacramento etiam Q. Bassum, quem Prætorem salutarant, obstringunt, nisi deprecatione istius insaniæ gratiam à Cæsare impetrarent, armis salutem suam tuerentur. L. Statium Murcum, C
vt de flagitiosis pœnas sumeret, cum tribus legionibus à Cęsare missum acriter repellunt. Murco Q. Marcius Crispus, cum totidem legionibus è Bithynia accesserat. Bassus autem conscripta & altera legione, se in Apameam (quæ Cæles Suriæ vrbs est, Marsya flumine diuisa) confert; eam Cæsariani cum sex legionibus obsidione cingunt. Superuenit C. Cassius, qui Murco & Crispo benignè salutatis, eosdem de calamitoso rerum Romanarum statu, de Senatus voluntate docet, sociandas esse vires, Rempublicam à seruitute & crudelitate vindicandam ostendit. illi persuasi exercitus tradunt, & fortissimo animo vnà cum ipso Rei- D
publicæ caussam suscipiunt. Bassus cum duabus legionibus Apameam clausam tenebat: quæ vi expugnanda fuisset, nisi milites missis ad Cassium legatis se eius voluntati permisissent. A. Allienus Dolabellæ legatus, quattuor, quas ex Ægypto in Suriam deduxerat legiones, C. Cassio tradit. Ita Cassius Suria Prouincia constituta, & duodecim legionum iam Imperator, de tam prospero rerum suarum successu ad Senatum scribit; se, sua, exercitumque comparatum in S.P.Q.R. potestatem permittit. P. verò Dolabella, quum intellexisset Suriam à Cassio esse occupatam, copias suas confirmaturus, in Asia (quam se armis inua-

A uasurum,& deiecto C. Trebonio Proconsule occupaturum confidebat)substitit. Sed Pergamo & Smyrna per eundem Trebonium,vnum è Cæsaris percussoribus, exclusus est: ipse noctu reuersus, ex inopinato Smyrnam inuadit, & vrbem ex insidijs occupat. Trebonius in cubili suo deprehensus,& in seruilem modum omni cruciatu à Samario crudelitatis Dolabellæ ministro per biduum, vt de pecunia publica profiteretur,laceratus,trucidatus est.Caput pilo præfixum gestari & circumferri iussit,cadauer truncum in mare proijci; caput deinde per vias silice stratas, milites sibi inuicem pro pila mittentes, per ludibrium & iram ita contriuerant,vt nulla adpareret facies. Id vbi ad Senatum perlatum,

B Dolabella ab eodem hostis est iudicatus. C.Cassio ad Dolabellam bello prosequendum,imperium S.C. delatum; atque censente Cicerone, Cassio Suria, Asia, Bithynia, Pontus, prouinciæ decretæ: vt ijs & oræ maritimæ classique cum imperio Proconsulari, & optima lege, quoad ipsi ex S.C.succederetur,præesset.Egerat & Cassius per litteras cum Cæsare de reconciliatione, sed de lege Pedia certior factus, deposita reconciliationis cura, animum ad belli apparatum magna contentione terra marique conuertit. P. Dolabella interea præmisso cum vna legione Octauio Mario, Asiam,quam cæde Trebonij occupauerat,diripiebat: pecuniam, classem, arma acerbissimè imperabat. L. Lucilium Lusci-

C num classis suæ præfectum in Suriam cum nauali apparatu præmittit; ipse in Ciliciam profectus,deiecto ab Ægis Cassij præsidio, à Tarsensibus recipitur. Inde in Suriam digressus, & ab Antiochia repulsus, cum collectitio exercitu, quem ex Græcorum militum numero comparatum habebat, & duabus legionibus, Laodicæam Cæsaris partibus studentem profectus, à ciuibus recipitur.Ea Phœniciæ vrbs est, & situ firmissima,& ad commeatuum commoditatem peropportuna, ab occasu enim portum habet amplissimum; ipsa Lyco fluuio imposita, Asopo & Capro à lateribus abluitur: qui vt peninsulæ formam faciunt, ita isthmum in continente CCL. passibus latum relinquunt. P.Dolabella

D partem muri demolitus,castra oppido coniungit. C.Cassius ex Palæstina cum decem legionibus, cohortibus auxiliarijs viginti, equitum verò quatuor millibus mouet:Dolabellam à continente arctissima obsidione cingit; isthmum, quem diximus, ne quà hostibus eruptio pateret,aggere & vallo claudit. Dolabella nauali prælio, variante fortuna, classe Ægyptia ac duce Serapione vsus, nunc victus, nunc victor; tandem à Statio Murco classis Cassianæ præfecto fractus, fugatusque,& in Laodicæam compulsus est.Murcus dum classe distributa,per Cassium Parmensem, Sestilium Rufum, & P.Turulium legatos, commeatum omnem & annonæ commercia intercludit, obsidioque & terra & mari

con-

continuatur,Dolabella ad vltimum inopię famemque deductus (libra A
enim panis quinquaginta sestertijs venibat) frustrà eruptionem aliquoties tentauit,quòd subinde à Cassio in vrbem repelleretur: quumq; ab ipsius oppidi expugnatione,ob Octauij Marsi (qui Dolabellæ legatus erat) vigilantiam,depelleretur; neque noctu colloquium cum Centurionibus,quo eos ad proditionem sollicitabat,Cassio procederet. interdiu dum Marsus,nocturnis vigilijs defatigatus,quieti se daret,Cassij milites à Quinctio Quæstore muneribus victo,per portas minores admissus, oppidum inuasit. Dolabella vbi hostem receptum,vrbem captam intellexit,ne viuus in potestatem inimicorum perueniret,satelliti se feriendum præbuit; Marsus verò ipse sibi manus intulit. Cadauera Cassius sepeliri permisit: milites autem Dolabellæ statim sacramento suo adegit. Ceterùm,in Laodicænos,eosq; potissimùm,quorum consilio Dolabella receptus fuerat,animaduertit; ciuitatem publica priuataque pecunia multatam,militumq; direptioni cōcessam, grauissimè afflixit. Expeditionem inde Cassius in Ægyptum cogitat,vt Reginam Cleopatram, quæ classe Dolabellam iuuerat, vlcisceretur; regnumque ipsius vacuum ,quòd Allienus præsidium inde paullò antè deduxerat, occuparet. Verùm, ab ea opportunitate M.Bruti litteris auocatur: quibus vt in auxilium ipsi contra Cæsarem & Antonium properaret, vrgebat. B

LAODICAEA CAPTA.

Tullium Cimbrum,qui ex Bithynia copias ad Cassium deducebat, Tarsenses excluserant, contumelijsq; irritato insultauerant: quam iniuriam vt Cassius puniret, tributum centies & ter sestertiûm ijs imperat. Milites ad eam pecuniam cogendam missi,omnia crudelissimè exsequebantur; ciuibusq; ob iniquam collationem ad inopiam redactis, libera etiam corpora,nulli ordini,nulli sexui,aut ætati parcentes,ad seruitutem vendebant: donec Cassius superueniens, miserorum ciuium patientia emollitus,eosdem liberos esse iuberet. Inde cum omnibus copijs in Ioniam profectus,cum M.Bruto Smyrnæ de summa rerum colloquium habet. Ibi Brutus,quia Decidium Saxam & Norbanum Flaccum partium Legatos Ionium mare traiecisse nunciatum erat,coniunctis copijs in Macedoniam properandum contendebat: Cassius tamen priusquàm in Europam traijcerent, Lyciorum & Rhodiorum contumaciam,nequid hostile aut infestum à tergo relinquerent,contundendam euicit. Lycios sibi Brutus, Cassius Rhodios sumit. Rhodij ob rei naualis peritiam,cōfidentius apud Myndum cum Cassianorum classe concurrentes,vincuntur: atque iterum altero nauali prælio apud Rhodum à Statio Murco superātur. Hinc Cassius Rhodum terra per P.Lentulum,mari per Statium Murcum octoginta nauibus obsessam,ad deditionem se compulsurum cōfidebat: sed quorundam opera, siue pro- C D
ditione

A ditione, qui hoc pacto eius clementiam ciuibus demereri studebant, in vrbem receptus, statim medio in foro pro tribunali sedens in quinquaginta nominatim citatos animaduerti iussit. Vigintiquinque alijs, qui ad vocem præconis non apparebant, aqua & igne interdixit: atque ita in Rhodios alumnos quondam suos inclementer crudeliterque consuluit: Archelaum, quo ibi in litteris Græcis perdiscendis præceptore vsus fuerat, à ciuibus suis missum, ac pro iisdem deprecantem, superbius quàm modestiam Romanam decebat, reiecit. Ita tamen vt eorum quos supra memorauimus supplicio contentus, militem à direptione & vexatione ciuium abstinere iuberet. Ceterùm Rhodios, tamquam fœderis, quod M. Marcello, Ser. Sulpicio COSS. renouatum erat, quo Rhodij iurauerant, eosdem hostes se habituros, quos S. P. Q. R. iudicasset, violatores condemnat, vtpote qui Dolabellam hostem à Senatu iudicatum nauibus, socijsque naualibus iuuissent. Mox per præconem quidquid auri, argenti, rudis, facti, signati ve, publicè aut priuatim in vrbe cuiquam, aut in fanis esset, vt id ad diem constitutum repræsentaretur, imperat: ijs qui quidquam eius celarent, aut dolo malo interuerterent, capitale fore edicit; ingenuis rerum celatarum indicibus decimas, seruis libertatem proponit. Plena erat lictorum, differtáque præfectis atque exactoribus Rhodus, suo etiam priuato compendio in acerbissima coactione seruientibus; qui vt honesta præscriptione facinus turpissimum tegerent, calumniabantur, quam in rerum imperatarum professione fraudem edicto ciues fecerant, eam se supplicio cui obnoxij erant condonato, direptis tantùm rebus multare. Despoliatis tanta acerbitate Rhodijs, ceteras ipsis fortunas Cassius iubet esse liberas, amicitiamque P. R. comiter seruare. Ariobarzanem Cappadociæ Regem, quia nullam cum ipso societatem coïre voluerat, equitatu præmisso oppressum occidit. Asiæ decem annorum tributum extra ordinem, idque ex censu conferendum, vsque ad sestertiûm octogies millies, & sine dilatione repræsentandum imperat: censitis, quibus collatio ad manum non esset, vt ab argentarijs, quibus fiducia, fundo, vel pignore cauerent, pecuniam centesimis fœnerarentur: ea lege, vt si quando, idq; intra triennium, sortem redderent, quidquid fœnoris nomine persolutum esset, à capite deduceretur, vsura fœneratorib. ex P. R. vectigalibus persolueretur. Relictoq; ibi ad præsidium L. Varo, Cassius aduersus classem, quam fama erat ex Ægypto à Cleopatra Cęsari & Antonio commeatu & bellico apparatu instructis. venire, Statium Murcũ cũ sexaginta nauibus, & legione vna ad Tænarũ Peloponnesi promontorium opperiri; & si eam intercipere non posset, saltem eius nauigationem impedire iussit. Brutus interea in Lyciam Rhodiorũ prouinciam

RHODVS CAPTA.

B, C, D (margin letters)

(eam namque Antiocho debellato, P.R. Rhodijs dederat) profectus, A
eandem per turbulentissimas Naucratis Præfecti conciones concitata multitudine armatam, aditusque ipsos à milite varijs munitionibus impeditos, montes rupesque contra irruptionem præsidijs firmatos reperit. Sed circumducto, perque semitas occultato equitatu, Lycios ad corporum curam dispersos, à fronte & à tergo opprimit: sexcenti trucidantur; ceteri ea prima belli offensione consternati, dilabuntur. Brutus captiuos absque redemptione dimisit. Cupiebat enim populares beneficio potius, quàm metu obstrictos, ab armis ad fidem & societatem reuocare. Mista deinceps prælia, & tumultuosa magis, quàm magna, sed Romanis secunda fuêre. Dumque infesto inde agmine B
hostium semper cedentium vestigijs acriter insistit, eos tandem ad Xanthum Lyciæ vrbem assequutus, congredi ausos concidisset, ni Xanthij tutum fugientibus receptum in vrbem aperuissent. Ciuitas ea longè opulentissima, ad Xanthum fluuium, vnde & nomen habet, sita erat, passuum ferè decem millibus à mari Lycio: ea libertatis vsque ad perniciem & olim, & tum quoque studiosa fuit. Cingebatur vndique fossa quinquaginta pedes alta, centum lata; quæ impetum Bruti aliquandiu retardabat: donec aggere iniecto, magna vtrinque contentione multoque sanguine eam superasset. Inde vrbem vineis, vt ariete muros vndique quateret, aggressus est. Abundabat multitudi- C
ne militum Brutus; ad sexaginta enim millia in armis habuisse creditur. Oppidani itaque ad omnia tuenda obeundaque varijs artibus distinebantur; sed irritus ipsorum labor fuit; quòd muri crebris arietum ictibus pulsati, pluribúsque partibus conquassati, frequentibus vrbem ruinis nudauerant. hinc spes, hinc desperatio animos irritabant. Bruto nimirum cepisse se vrbem per ruinas apertam si paullulùm adniteretur credente; Xanthijs verò pro nudata mœnibus patria, corpora opponentibus; nemine vsquam pedem referente, ne relicto à se loco hostis potiretur; donec tam anceps certamen nox superueniens diremisset. Oppidani noctu cum facibus erumpentes, incendio ma- D
chinas corrumpere conantur: eos vti prohiberet Brutus, incautius occurrens, vndique ab affluente multitudine oppressus perierat; nisi milites per mediam flammam irrumpentes periclitantem protexissent. Proximo deinde die Brutus totis viribus vrbem aggressus, impetuque per muri partem ruinis stratam facto, oppidum magna vi & summo cum discrimine tandem sub noctem capit. Xanthij, ne præda militum fierent, plura in se ipsos victi, facinora ediderunt, quàm victores etiam crudelissimi facturi fuerant: repentè enim omnes statim à capta vrbe in priuatas propriasque ædes dilapsi, coniuges, liberos,

XANTHVS CAPTA.

A liberos, necessarios omnes, qui vltrò etiam se iugulandos præbebant, interficiunt: eiulatus & gemitus morientium tota vrbe exaudiebantur. Quos Brutus vel impetu, vel ferocia militum ad prędam discurrentium exciri suspicatus, per præcones suis denunciari iubet, vt ab omni vi & direptione abstinerent. Mox vbi Xanthios, veluti in rabiem actos, immodico libertatis tuendæ studio tam malè sibi suisq; consulere cognouit (vt erat vir clementia & misericordia singulari) illacrumauit: oblataque per pręconem libertate & omnium incolumitate, milites insuper incendium, quod Xanthij proprijs tectis passim tota vrbe excitauerant, restinguere iussit. Sed ne sic quidem furentes ad sanitatem reuocare po

B tuit: immo efferaciores facti, omnibus suis magna crudelitate interfectis, & in rogum compositis, flammas subijciunt: sibique ipsi manum inferentes, moribundi se vti vnà cremarentur, super suorum cadauera prosternunt: nec nisi si quē vincula, aut alia necessitas, mori prohibuit, quisquam viuus in potestatem venit. Auctores habeo, qui centum & quinquaginta tantùm ex tota vrbe captos scribant: eosque benificentia Bruti, & militum summo labore (militibus enim præmia, si quem Xanthiorum conseruassent, proposuisse dicitur) priusquàm voluntario se facinore conficerent, præoccupatos. Fatale huic vrbi fuisse obseruatum est, quòd tertia iam conuersione intra quingentesimum annum busta

C ciuium suorum pro libertate proprijs manibus morienrium cōtegeret. Congruunt sanè calamitatum istarum in hac vrbe conuersiones, cum decretoriis numeris, quos sapientiæ magistri magnis Repuspublicis fatales esse decreuerunt. Cyro namque Rege, duceque eiusdem Harpalo, simili clade Xanthios fuisse confectos, qualem post annos CCXLIIII. ab Alexandri Magni ducibus experti, quaq; iam post annum quingentesimum à Bruto afflicti sunt, ab antiquitate obseruatum est. Brutus eos qui conseruati erant, animo ægros, libertate donatos consolatur: & quia Xanthij antequàm victoris clementiam vniuersi experiri possent, durius & atrocius in se ipsos consuluissent; singulos iam suo beneficio

D seruatos, vt bono sint animo erigit, consolatosque in spem meliorem inducit, & comiter à se dimittit: quò Patarensibus, Myrijs, ceterisque eadem ferocia contactis, clementiæ & salutis exspectationem ex victoris lenitate cōfirmaret. Lycios autem partim per vim edomitos, partim veniam clementiamq; ostentando, in fidem socialem receptos, Brutus auro argentóque signato multat, totique Lyciæ sestertiūm ter millies imperat. Ibi dum prouinciam obit, eamque legibus datis constituit; offertur ei Theodotus Chius, is qui ante quadriennium de Pompeij Magni capite sententiam dixerat, occidendum eum esse, non recipiendum à Rege Ptolemæo; subijciens hanc scilicet caussam, quòd

mortui non morderent. In eum Brutus, omni prius cruciatus genere A
enecatum, vt manibus Pompeij parcẽtaret, crucis supplicio animaduerti iussit. Inde Lyciorum classe, quam ipsis imperauerat, ad Hellespontum præmissa, Sardeis ad Casium proficiscitur, vt coniunctis copijs in Europam traijcerẽt. Statius Murcus interea, quia tempestatibus afflictam disiectamque Cleopatræ classem, quæ aduersarijs mittebatur, exploratum habebat; à Tænaro soluens Brundusium versus nauigat; & quò M. Antonium legiones transportare paratum prohiberet, Insulam quæ contra Brundusinum portum est, occupat; quòd præstare arbitrabatur vnũ locum, è quo necessarius Antonianis erat egressus, obsidere, quàm omnia littora ac portus custodia clausos tenere. Erat eo tempore Antonius Brundusij, qui virtuti militum confisus, naues aliquot cratibus B
pluteisque constratas delecto milite armat, & in Murcum immittit; signoque dato congreditur; ea ibi veteranorum vis erat, vt primo statim impetu vnam ex Murci quadriremibus cum remigibus defensoribusq; caperent, reliquas verò turpiter refugere cogerẽt. Ad hoc detrimentum accessit, quòd equitibus per oram maritimam ab Antonio dispositis, Murciani ab aquatione prohiberentur: qua necessitate & ignominia Murcus permotus, à Brundusio discessit; omissaq; Antonianorum obsidione circa Corcyram substitit. Interea Cæsar contra Sex. Pompeium, præmisso cum classe Saluio Saluidieno, profectus, per litteras ab Antonio Brundusium euocatur: hinc omisso in aliud tempus Pompeio, ad C
Antonium cursum dirigit. Vbi Brundusium venit, exercitu & suo & Antonij nauibus imposito soluunt; ventumq; nacti idoneum, Corcyram Africi beneficio vsi, superant. Murcus, vt eorum nauigationem prohiberet, ibidem in statione erat: sed quia impeditis nauibus suis, dispersisque remigibus, satis maturè concurrere non poterat, Cæsar & Antonius custodias eius sine offensione præteruecti, Dyrrachium appellunt; militemq; in continentem expositum, à nausea recreant. Hîc Cæsar graui valetudine affectus, decumbit. Antonius autem exercitum in Macedoniam rapit: quò & Cæsar aliquot pòst diebus, vtcunque sibi ad D
huc displiceret, subsequutus est, quò maturius cum Decidio Saxa & C. Norbano se coniungere possent. Brutus & Casius in Lydia apud Sardeis mutua faustaque exercituum aggratulatione excepti, Imperatores salutantur: offensionibusque, quas ex anxio nimis & sedulo amicorum studio, vel mutua æmulatione conceperant, sincerè depositis, de summa rerum consultant, ac postridie copias ex Asia in Europam transportare constituunt. Concubia nocte Bruto (vt erat minimi somni, & animo, ob ingens quod moliebatur bellum, angoribus & curis impedito) omnibus altissimo somno ac silentio sopitis, atque ipso tenui admodùm

A modùm lumine vtente,ſpectrum quoddam monſtroſa imagine terribile intrare videbatur; Brutoque quiſnam hominū aut Deorum eſſet, aut quid ſibi vellet,percunctari auſo;imago reſpondit; Tuus,ô Brute,malus ſum Genius,apud Philippos iterum me videbis. tum ille imperterritus, videbo, inquit. Quæ quum poſtridie Caſſio, qui Epicureus erat, referret,dicebat ille ludibrium eſſe,ex vi imaginatrice conceptum ab eo cuius ſenſus nimio curarum æſtu vexati, mentem vſqueadeò exagitaſſent, vt talia ſpectra ſibi offerri hallucinaretur. Differebatur ſuper ea re, quando litteræ ijs à Murco redduntur, Cæſarem & Antonium mare cum legionibus traieciſſe,rectaque in Macedoniam contendere:per-
B opportunè ſibi acceſſiſſe Cn. Domitium Ahenobarbum: nauibus itáque longis centum quinquaginta, & trium legionum exercitu, ne qua hoſtium auxilia aut commeatus ab Italia ſubueherentur ſeſe prohibituros: & quia res nullam vltra cunctationem reciperet, monet vt ipſi Dijs bene iuuantibus, properarent. His litteris lectis, claſſem Abydum conuenire iubent:eodemque omnes peditum equitumque copias contrahunt: edicunt ad hæc, vt milites in naues ordine ac ſine tumultu conſcenderent; gubernatores Seſton aduerſam curſu peterent. Primo itáque diluculo ſoluentes, vento ſecundo vehementique vſi, proſpera nauigatione cum claſſe vniuerſa Seſton appellunt; copijsque omnibus ad
C Cherſonneſum expoſitis,primò Lyſimachiam,hinc ad Melanis ſinum perueniūt: eo loci placuit recenſeri copias. Caſsius nouem, Brutus octo compara uerat legiones: duæ ſupererant valde attenuatæ,quas ſupplementi nomine inter alias conſcripſerāt. ita vt legionariorum octoginta millia cenſerentur. Equitum ex ſocijs & mercenarijs ſex millia Brutus habebat, totidem Caſsius: ad hæc quinque millia ab amicis ſocijsque Regibus acceperant,auxiliarium præterea,quos coëgerant,peditum numerum infinitum. Luſtrato exercitu,ſingulis nummos mille quingentos donatiui nomine repræſentarunt. Placuit deinceps non vltra morando tempus circa Cherſoneſum terere,ſed extemplò in Macedoniam
D mouere,vt caſtra cum hoſtium caſtris conferrent. Inſederant cum octo legionibus,Decidius Saxa præruptas Turpilorum, C.Norbanus anguſtas Sapęorū fauces; ſecundum quas Philippici campi ad mare Ægęum clauduntur: rati ita fore,vt Bruto Caſsioque itinera aditusq; omnes in Macedoniam præcluderent. Reguli earum ditionum duo fratres erant; hic Rhaſcupolis qui Bruti, alter Raſcus qui Cæſaris partes ſequebatur. Rhaſcupolis cōſultus de itinere,duo itinera ad Cæſarianos patere oſtendit: vnum, quo obrepi quidem ad præſidia hoſtium ex inſidijs poſſet, ſed longis ambagibus deuium; adhęc via ſilueſtri & anguſta,& propter locorum iniquitatem omni generi vexationis obnoxia: alterum expe- BELLVM PHILIPPENSE

ditum, certum, & publicum esse, & quod rectà secundum maritimas A
vrbes per Aemum, Maroniam, & Abderam, ad Serrium vsque promontorium, & ad saltus Sapæorum duceret: sed vbi eò peruentum esset, cum offensione enitendum: plæraque enim ibi inuia loca, angustis etiam faucibus, præsidio insuper insessis; adhæc iniquis locis frequenter subeundum exercitui fore, vnde nullus esset nisi cum summa difficultate receptus. Concilio habito, ea placuit via, quæ rectà ad Sapæos tenderet; ratis hostem eas insedisse fauces, non tam eos arcendi, quàm expediendi commeatus, & ex campis Philippicis pabulandi caussa: qui vbi copijs omnibus se à frõte & à tergo vrgeri, à lateribus classe infestari circumspexerint, metu ne reditu intercluderentur, dilapsuros, transitumq; ipsis patefacturos. Vbi ea sententia placuisset, versus Sapæos exercitum ducunt. Tullius Cimber classe Neapolim (ea vrbs littoralis est B
Thaso opposita) præteruectus, legionem & aliquot sagittarios exponit, ibique castra metatur. C. Norbanus, quum hostes adesse conspiceret, ex Sapæorum faucibus digressus, Decidium è Turpilis euocat, cõtractis in vnum copijs hostium iter interclusurus. Tum Casiani patefactas Decidij discessu Turpilorum fauces subeunt. Norbanus & Decidius Sapæorum saltus, ne quis transitus pateret, præsidiis occludunt. Sollicitis eo nuncio Casianis, quia neq; manere in loco infesto & inopi, neq; regredi sine detrimento, tenentibus iam superiora hostibus, poterant: C
ibi Rhascupolis iterum consulit, circuitum esse sub montium, quos insedissent, radicibus, tridui itinere; sed aridum, siluestre, angustum, confragosum, & densitate siluarum vsqueadeò opacum, vt furto etiam fallere hostem transeuntes possent; quartis inde castris ad Harpessum fluuium peruenturos: illinc vsque ad campos Philippicos, qui hostibus à tergo sint, iter vnius diei superesse; posse eosdem à commeatu & pabulatione prohibitos, sine prælio & sedendo, ex tuto & opportuno ad omnia loco, ad inopiam & deditionem compelli. Consilium tam fidum sequutis, sed multo cum labore & locorũ asperitate vexatis, læto euentu successerat; nisi Rascus Decidio & Norbano hostes per latebras sil- D
uarum deuio itinere cõtendere ad Philippos indicasset: interclusis ipsis à tergo, quid à fronte patiendum esset, ostendit: quare dum satis adhuc tutum, monet vt deflexo ad læuam itinere secundum Strymonis ripas ad Amphipolim se subducerent. Nec illi segnes ad consilium conclamatis vasis profecti sunt, tam opportuno tempore, vt ex itinere puluerem primosq; Casiani exercitus antecursores cernerent, & primis deinde castris Amphipolim peruenirent, idque sine offensione vlla. Parte alia, quo tempore Casiani in campos Philippicos digresi sunt, eodem & Tullius Cimber se cum ijs coniunxit. Nunciatur interea Antonium
cum

A cum suis & Cæsaris copijs, quàm maximis poterat itineribus (trecenta enim millia passuum intra tricesimum diem superauerat) ad Amphipolim contendere. Cæsarem etsi valetudine adhuc affecta, subsequi tamen, & cum equitibus aliquot impedimentisque præmisis agmen cogere, vt se quàm celerrimè cum Antonio coniungat; Decidium & Norbanum munire Amphipolim, frumentoque & commeatu vndique coacto instruere, vt Antonium ab omnibus rebus paratißimi exciperent. Placuit itaque omisso Norbano contractis vndique copijs ad Philippos statiua habere, castraque munire: inuitabat adhęc & loci opportunitas, per quam ipsi omnium rerum copia abundare, hostem ad summam B inopiam cogere possent. Philippis nomen fecit Macedoniæ Rex Philippus Amynthæ filius, quum anteà Dathos, & prius etiam à fontium copia Crenidæ fuissent appellati. Sita est vrbs in prærupto tumulo, ad citeriorem Zygastis fluminis ripam; à Septentrione clauditur Pangæorum saltu, per quem Rhascupolis Caßianos traduxit; ab Austro Neapolim vsque, & sinum Strymonicum, per octo millia passuum paludibus præcingitur; Orientem Sapæorum & Turpilorum fauces, quas diximus, præcludunt; ab Occidente campi, qui ab vrbe nomen habent, Philippici, perpetua versus Amphipolim decliuitate ad quadraginta passuum millia patent. Attollitur ea planicies tribus potißimùm collibus; C quorum vnus, qui à Philippis mille quingentis paßibus distat, aurifodinis celebris, Asylum vocatur: ab eo mille passus, reliqui duo; & illi totidem inter se paßibus discreti, versus Neapolim distant; è quibus Septemtrionalem Brutus, Australem Caßius occupat. Vterque collem suũ postquam castrametati sunt, fossa valloque à fronte præmuniit; latus vnum paludes stagnaque ad Strymonem vsque fluuium tutabantur, alterum infesti & prærupti saltus muniebant, rupibusq; ita in arduum abscisis, vt etiam expeditis situ suo, nedum lacessitis, aditu essent insuperabiles. Per spacium, quod inter duos colles ad mille passus patebat, murum in altitudinem pedum sedecim, fossamque perducũt: eo opere D perfecto, præsidia disponunt, castella communiunt, quò facilius si se inuitis hostes transire conarentur, prohiberi posſent. A tergo ipsis omnia secura & opportuna erant: Ægæum mare, & claßis, quæ commeatum supportaret, expedita: neque enim vllus ventus flare poterat, quin aliqua ex parte secundum cursum haberet. Thasus insula, quæ duodecim millibus passuum distabat, pro horreo erat. Neapolis, quæ octo tantùm millibus aberat, triremibus portum & stationem tutißimam prębebat. Interea Antonius superata Amphipoli, eaque L. Pinario cum præsidio, vt illinc commeatus exercitui subueherentur, commissa, in Brutum & Caßium omnes belli vires conuertit: magna fiducia, audaciaq; maiore

castra

castra hostium castris opponit: ibi quosdam frumentatores ex insidijs adortus, fortiter & multa cum clade à Cassianis profligatur. Quo nuncio Cæsar consternatus (substiterat enim adhuc Amphipoli, vt valetudinem confirmaret) ad castra sua properat: veritus ne Antonius vel se absente opprimeretur, aut aliquam pacis conditionem vel societatem coactus, se neglecto subiret. Verùm, quia angustijs rei frumentariæ adducti, neque manere in loco inopi, neque regredi sine periculo & detrimento possent; quòd cedentibus hostis instaret: consumtisque longè lateque frumentis, ingens passim per itinera annonæ caritas, ac certa fames futura esset; nihil aliud restabat, quàm vt audacter commissum, pertinaciori audacia, (quæ prudens interdum in exitu est) corrigerent. Copias igitur continentibus aliquot diebus, vt confirmatiorem exercitum indies redderent, ad castra hostium vsque, iniquis etiam locis subijciunt; quò eos ita ad pugnam elicerent; neque enim inde se illi recipere sine detrimento, quò temerè progressi erant, potuissent, si hostis è superiori loco incitatius in eos irruisset. Sed ij, quia Antonium ad summam inopiam breui deuenturum præsentiebant, nullam pugnandi potestatem faciebant. Incredibilem itaque rem Antonius aggreditur; consiliumque non segne ab audacia capit: vt hostem prælium detrectantem à commeatu, qui Neapoli subuehebatur, prohiberet: & pari conditione secum decertare cogeret. Productis enim, vt assueuerat, in aciem legionibus, ea consuetudine omnem eius quod moliebatur suspicionem auertit: subductisque clanculum aliquot è legionibus, per easdem paludem (quam à Cassij castris vsque ad mare pertinere diximus) aggere consternit; locaque quæ propter altitudinem ingesta deuorarent, pontibus coniungit; tanta vigilantia & industria, vt decimo die in vlteriorem ripam castella aliquot erecta, cohortium suarum præsidio confirmaret. Fefellerat hucvsque hostes prospero errore Antonius; sed eo deprehenso, Cassius transuersam paludem exaggerare cœpit: vt transeuntium commercia arceret, simul & cohortes præmissas ab omni auxilio interseptas opprimeret. Duplicem aciem, ne quid quotidianæ consuetudinis desideraretur, Antonius producit, & æquo loco pugnandi potestatem facit; sinistrum cornu Cæsar regebat, Antonius dextrum; Cassio Antonius, vt Cæsari Brutus & Messalla opponebantur. Antonius vbi cognouit quid Cassius moliretur, audendum aliquid, dum eius milites in aggere comportando muniendoque distinentur, constituit; & vt erat irarum impotens, ita & dolore efferatus, quia suorum receptui & citeriori paludis ripa metuebat, aciem suam contra Cassium per aduersum collem, veluti castra inuasuram, magno cursu incitat. Ad tantam audaciam primùm obstupefactus Bruti miles sub-

A B C D

A subsistit:mox temeritatē miratus,signa à latere inferre, nequidquā obsistētibus Tribunis:enitentesq; iniquis locis Antonianos deturbare sternereq; cœpit. Cæsariani,quia Brutū magna cum ferocia irruere,& Antonianos iniquitate locorum impeditos perturbari videbāt,signa & ipsi in auersos inferunt: totamq; aciem ex ancipiti prælio in se cōuertunt. Renouatur ab omnibus clamor;impetus fit veluti ex superiori loco in temerè densēq; subeuntes acerrimus. Haud secus ergo quàm torrētis modo funduntur sternunturq; Cæsariani:dumq; alios super alios sese inferentes sustinere nequeunt,impetu impulsuq; subsequentiū ordines perturbātur. Fugientes in castra Brutus & Messalla equitatu persequuntur, B turbæque fugientiū permisti intra vallū penetrāt:oppressisq; ijs qui præsidio relicti erant,tam Cæsaris quàm Antonij castra capiuntur. Ex Cæsarianis decem ferè millia,tribuni militum sedecim, centuriones notissimæ virtutis viginti,equites mille ceciderūt. Ipse Cæsar etiamsi valetudine tenuissima vtebatur,à M. Artorio medico(qui Cæsaris castra ab hostibus proximo die capienda secundū quietem viderat)præmonitus, in aciem se receperat,quæ res ipsi saluti fuit: hostes namque lecticam eius vacuam iaculis pilisq; confixerant:asseuerātes Bruto,cui etiam gladios cruentatos ostentabāt, ipsum quoque Cæsarem à se confectū esse. Antonius verò postquam quod petebat(nimirum vt acies concurrerent)se C vidit assequutū, spatium tamen circumagendi signa, aciemq; vertendi non haberet;felici audacia,proruto vallo, fossaq; impleta, in Cassianos cōtra aduersum tumulū irrūpit;nec eius impetū remorabatur,quòd in collem armatis vndiq; infestū suos ad omnes hostiū ictus non sine pernicie subijceret. Vrget igitur instatq; vbique Antonius;magnaq; ferocia & militū ardore obuijs quibusq; prostratis, ad aciem Cassij perrumpit. Hîc cunctis admiratione pauētibus,dum alij trepidè cedūt,alij segniter signa sequūtur,tota turbatur acies,deinde prorsus fuga,& vincente pudorem metu terga dabāt. Fugatos Antonius persequitur:ad castra pauci, præcipua pars ad Bruti stationes cōtendebāt. Castra Cassij eodem im- D petu capit Antonius;ibi minimùm certaminis fuit,paucis qui præsidio relicti erāt,subita Antonianorū irruptione oppressis & conrrucidatis. Interea Cassianis,qui in palude operabātur,spatium se armādi datum;infestisq; signis Antonianos inuadunt. Verùm vbi castra capta, hostémq; victorē magna in se ferocia irruere cernunt, pedem referre & fluctuare acies cœpit;ita Cassiani dum concitatā in se Antonianorū vim tolerare non possent,partim in medio cæsi,partim fuga dilapsi,&in paludē profligati sunt. Cecidêre Cassianorū octo millia, equitū sociorúmque duo millia. Ancipiti itáq; Marte eo die pugnatū est. Antonius Cassij sinistrū cornu vicit,eiusq; castris potitus est:diuersa ex parte Brutus Cęsaris aciē fregit,& hostem castris exuit. Cassius quia rem inclinatam, & se castris

exutum videbat, cursu in proximũ tumulum se subducit. Verùm, quia A
ex eo neque in longinquum despicere, neque de fortuna Bruti cæterorúmque aliquid certius distinguere poterat, (tum quòd puluis densissimus toto campo ob mistam concurrentium & discurrentium turbam excitus, prospectum adimebat; tum quòd ipse Caßius hebetiore visu fuisse traditur) Titinnium euocatum speculatum misit: quem quum Bruti equites, vti victores, mutuis amplexibus exciperent, similibusque officijs reditum ipsius remorarentur; Caßius & ipsum ab hostibus interceptum suspicatus, equitésq; Bruti, qui gratulabundi cum Titinnio ad se contenderent, hostes qui irruerent esse opinatus, lacerna caput circumdat, interritusq; ceruicem extentam Pindaro liberto (quem ad huiusmodi neceßitatem à Craßiana clade secum habebat) feriendum præbet. Vixdum Caßio caput præcisum erat, cùm Titinnius superueniens Brutum victorem nunciat; qui quum Imperatorem prostratũ videret; Sequar, inquit, eum, quẽ mea occidit tarditas: strictoq; gladio incubuit. Brutus, vbi Caßij aciẽ profligatã, & castra eius capta intellexisset; relictis Antonij Cæsarisq; castris, signa in Antonianos, vt cladem eam vlcisceretur, conuertere mouereq; cœpit: verùm quũ nuncius etiam accurreret, qui Caßium in semetipsum tam perditè consuluisse ostenderet, cõmiseratione rei tam atrocis indoluisse illacrumasseque dicitur, adhæc nobili laudatione eundem vt vltimũ Romanorũ honorasse. Cadauer verò, ne C
ob præcipitatam ducis sui mortẽ exercitus de summa rerum desperaret, clanculùm in Thasum insulam ad sepulturã transportari, militésq; fuga dispersos colligi iußit; leniterq; verbis castigatos, sed & muneribus donatos confirmat, & suis coniungit. Antonius interea & Cæsar, quia magnam suorũ stragem, castrísq; se & necessarijs etiã rebus exutos se cognoscebant, graues adhuc sibi labores restare, maximisque insuper cõmeatuum difficultatib. se implicari videbant; sollicitéq; super ea re consultantibus, superuenit sub noctem Demetrius Caßij seruus, qui paludamentum & ensem domino suo interfecto detracta, vt certã ipsis de occiso fidem ijs indicijs faceret, adferebat. Erectis eo nuncio placuit, proximo die ex superiore instituto nihil remittere; sed vt ex vtrisq; castris copias educerent, aciéq; instructa hostibus pugnandi potestatem facerent. D
quòd si ne tum quidem illi prodirent, confeßionem ipsis tanquã victis quodammodo expressuros, Brutiq; auctoritatem vel apud suos hoc nomine leuiorem futuram; suorum contrà militum animos à terrore confirmaturos. sin autẽ manus conserendi potestas fieret, Bruto suam tantùm aciem & militem vtilem, Caßianum duce & armis spoliatũ, inutilem futurũ; vtpote metu pauoréq; torpidum, & ad noui ignotiq; ducis imperia segnem & contumacem. Contrà Brutus, vt famam & opinionem retineret, cùm castra in colle haberet, aciem ad infimas montis radices
dices

A dices instruebat; expectans si fortè iniquis se locis Antoniani subijcerent. Sed cùm illi non procurrerent, neque signa inferrent, & ipse eos ludificaturus suos cōtinuit. atque ita tum vel æquato timore, vel simili vtrobique ducum consilio, æqua vtrinq; cōditione discessum. Brutus deinceps summam rerum periculo committendam non putabat, neque in casum vniuersæ dimicationis, quam omnibus artibus hostis expetebat, deueniendum: tam quòd sibi à tergo cōmeatus abundè subueheretur, & loco insuper munito & saluberrimo cōsedisset; quàm quòd Antonio & Cæsari contrà inter arenas Philippicas, stagnaq; gelu horrentia frigoreque squalentia hibernandum esset; posse itaq; se vel sedendo vincere, B bellumq; conficere. Nec erat ipse fortis neque audax ad sanguinem ciuilem: non esse igitur cur alteri prælio suorum salutem committeret, aut fortunam iterū periclitaretur. præsertim cùm non minus summi imperatoris esse iudicaret, consilio q̃ gladio superare. Adhęc mouebatur misericordia ciuiū, quos si ad prælium res deueniret, interficiendos videbat; quibus saluis atque incolumibus ad clementiam suam receptum, quàm ad hostium libidinem exitium cladem̄que patere malebat. Quod Bruti consilium, quamuis plerisque vt cunctatione lentum, & velut à timore profectum, non probaretur, ille tamē in sententia perstitit; nocturnisq; excursionibus hostem infestās, Zygastis etiam fluuij auersione partem C castrorum inundat, bellum̄que ducendo tempus trahit. Hostes autem, quibus desperatio inopiam acuebat, consumtis longè lateq; frumentis, & hieme impendente, ob penuriam ingrauescentem sublevari non poterant: adhæc nuncius cladis in Ionio mari acceptæ eosdem perterruit. Statius enim Murcus & Domitius Ahenobarbus prelio nauali maximo cum Cæsarianarū partium detrimento, Domitium Caluinū classemq; cui deducendę præerat, eodem die expugnasse afflixisseq; nunciabatur, quo Cæsaris Cassijq; acies in campis Philippicis cladem alternis in prælio offensionib. & intulissent & accepissent. Caluinus, qui seuerioribus Cæsaris vrgebatur literis, vbi primùm Aquilones (ij namq; per aliquot D dies tenuerant) cecidēre, Martiam & Quartam legiones, Prætoriámque duorum millium cohortem, adhæc quattuor equitum alas, & euocatos aliquot ad Cæsariani exercitus supplementū, in naues onerarias imposuerat, iisque in subsidium aliquot triremes adiunxerat: Africumq; & tempestatē nauigando idoneam nactus, Brundisio soluit. Murcus verò & Ahenobarbus, vt supra demonstratum est, ad Corcyram, vt mari portubusque Cæsarianos prohiberent, in statione erant: qui simulatque è speculis Caluinū cum classe vela in altum facere cōspexissent, cum CL. longis nauibus toto impetu in classem Cęsarianā inuehūtur, laceratāq; & diu vexatā, partim deprimūt, partim incēdunt. XVII. triremes capiūt.

 lbj

Ibi dum Martiæ legionis veterani nihil ex pristina virtute remittunt, A
pugnatum est ab ijs acriter, vt à viris fortibus in extrema spe salutis debuerat. Murcus tanto eorum impetu præliandique ardore perculsus, arte non vi rem gerit; nauiumque quàm virorum certamen fieri maluit; ignem itaque nauibus inijci, easque crebris rostratarum ictibus conquassari, ne sui ex propinquo vires conferrent, iusserat: ita pertinaciam eorum, quos neque conferta manu, neque vlla vi prosternere potuisset, incendio consumsit, aut vnà cum nauibus afflictis perforatisque depressit. Pauci tabulis aut malis armamentisque nauium subnixi ad littora enatarunt. Sed qui animo infirmiores erant, salute propè iam desperata Murco se dedidêre. Caluinus quinctodemùm die redux Brun- B
dusium rediit. Antonius & Cæsar interea in diem ex rapto viuebant; sed vix vnde raperent quidquam ipsis reliquum erat; & quò cladis in mari acceptæ famam præuenirent, omnibus artibus operam dabant, vt in casum vniuersæ dimicationis deueniretur. Aciem itaque producunt, locoque æquissimo pugnandi potestatem faciunt. & quòd ipsis Bruti consilia haud secus quàm sua nota essent, adesse gerendæ rei fortunam & victoriæ occasionem confidebant. Brutum namque ex perfugis didicerant militari propè seditione vrgeri: milites otium, socij moram, principes ducis ambitionem increpare: palamque vociferari, ideo tempus bello ducendo terere, quò diutius imperaret: Prætorios Senatoriosque C
viros pro seruis habere; exercitum pugnæ auidum intra vallum velut obsidione clausum, continere; carpere quidem agmen hostium, palatosque excipere, verùm iusta acie collatisque signis nolle congredi. Et iam is ardor omnibus ad dimicandum erat, ea victoriæ fiducia, vt quidquid intercederet temporis, id reditum in patriam morari videretur. Vbi itaque hostium aciem sub signis stare conspiciunt, Brutum vt campo patenti cum ijs congrediendi potestatem faceret, nec oblatam vincendi occasionem omitteret, cuncti non sine conuitijs flagitabant; concurrunt Legati, Centuriones, Tribuni militum: ne dubitaret prælium committere, omnium esse militum paratissimos animos, nec sustineri D
eorum impetum diutius posse, quòd hostis iam minimè toleranda superbia insultaret. Brutus, quia à præoccupatis vana fiducia militibus tuta consilia contemni videbat; veteranosque qui sub Dictatore meruerant, transitionem ad Cæsarem meditari, si res longius differretur, per indicium intellexisset: neque suos imperij maiestate à præcipiti ferocitate cohibere posset (quòd seueritatem disciplinæ cum nimia comitate, æquato cum quamplurimis imperio miscuerat, ita vt regi, non regere exercitum videretur) tandem victus multitudinis consensui cessit; signoque pugnæ proposito cum omnibus copijs in campum descen-

A cendit: hoc tantùm precatus, ne qui casus consilium suum laudabile efficeret. Dumque hortando consulendóque tempus extrahitur, diei haud multum supererat: sollicitisque & pendentibus animis, vtrinque augurium magno cum silentio captabatur. Duæ enim aquilæ infestis rostris vnguibusque pertinaciter inter se pugnabant; donec illa quæ à Bruti parte aduolauerat victa cederet, & fuga dilaberetur. Hinc Cæsariani auspicio tam secundo confirmati, magna alacritate procurrunt: prælium, vt quod maximum vnquam, pari spe & fiducia sui æquis vtrinque viribus committitur: Cæsarianis ferociam augebat, quòd ferro famem expugnaturi essent; quódque, vti credebant, iam ad finem la-
B borum ac periculorum peruenissent; Brutianos verecundia accendebar; & subiectus oculis Brutus, ingens hortamentum, ad omnia pro Republica audenda. At herculè illo die ita anceps certamen stetisse dicitur, vt aliquandiu in neutram partem acies incliuauerit, donec in Cassianos turbatis ordinibus fluctuanteque acie dissipatos, Antoniani renouato clamore concitati signa inferrent, trepidantésque funderent fugaréntque. Ab ijs itáque terror & fuga cœpit; quum apud Brutianos constans adhuc & pertinax prælium esset, disparibus tamen animis: Antoniani enim spe, ira, ardore, atque auiditate victoriæ concitantur, & in hostem rapiuntur: Brutiani necessitate & pudore, inuiti magis resistunt,
C quàm manus conferunt; postremò & ipsi quum omnia circum se strage ac fuga Cassianorum repleta conspicerent, metu attoniti segnius repugnant. Ibi Antonius prope væcors cum equitatu suo irruens, maximo impetu ordines perrumpit. Instant Decidius & Norbanus, perculsos sternunt: ita dum pauori cedit pudor, funduntur Brutiani. Cæsaris verò equitatus, simulatque territos hostes vidit, instans, nullum perturbatis vel respirandi respiciendique spacium dedit. Aderat in Bruti partibus Catonis filius, is vociferare, quo fugerent? quámue in fuga spem haberent? quò multitudo omnis consternata præceps ferebatur; omnia ibi à Cæsaris milite obsepta ostendere. Deinde vbi nulla vi per-
D culsos fugientésque cohiberi posse videt, equum in confertissimam hostium aciem concitat: seséque inferens & patrem Catonem nomine inclamans, infestis vndique telis obrutus est. Itidem Brutus Tribunos nomine increpans, rogitánsque: siccine pugnaturos milites spopondissent? Vbi nunc illi clamores sunt arma poscentium? Vbi minæ vel iniussu imperatoris prælium inituros? En nunc ipsum imperatorem clara voce ipsos ad pugnam ciere, armatumque ante prima signa incedere: ecquis sequeretur eorum, qui modò ducturos sese in hostem vociferabantur? iráne in castris feroces, in acie pauidi essent? Vera audiebantur; sed inconsultus pauor obstabat pudori; & præ strepitu ac tu-
 multu,

multũ,nec consilium nec imperiũ accipi poterat; alij fugientes pugnan A
tium adhuc globo illati hærebãt; alios in pugnam redeuntes auertebat fugientium agmen. Deinde postquam in omnes partes nequidquam impetum fieri vident, (à lateribus enim lacubus,à fronte hostium acie claudebãtur) vniuersa simul multitudo effuso cursu consternata ad castra ferebatur. Sed quòd ea Cæsariani iam occupassent,ab ijsdem facilè deturbantur: & iam nec lacus, nec flumina obstant pauori; armaq; & viri alij super alios præcipitantur. Deinde vbi vna omnium vox,victoribus arma ponere iubentibus,perterritisque vitæ beneficium offerentibus, per totam ferebatur aciem, omnésque rem perditam viderent,

CLADES PHILIPPENSIS.

abiectis armis in fidem Cæsaris Antoniique venêre. L.Lucilius Luscinus,postquam Rasci equites insistere,& vndique ad capiendum Brutũ B
prouolare,nec ipsi spem effugiendi superesse videt,vt eos à Bruto auerteret,persequentibus se offert,Brutúmque se mentitus,quò magis falleret, petit,vt ad Antonium,non ad Cæsarem, quem vt patris sui percussorem fore implacabilem simulabat,deduceretur. Brutus interea superato Gangetis fluuioli alueo,in tumulum quendam satis munitũ cum aliquot fugæ comitibus subsistit,fortunam pugnę exspectans;sed postquam castra capta,milites hostium fidem sequutos cognouisset, omni prorsus spe abiecta ingemuit, virtutémque, quam coluisset, à qua tam fœdè desertus esset,vt fortunæ inseruientem accusauit: atq; vt ne quid- C
quam deinceps sibi à victoribus metuendum haberet,Stratonẽ Ægeatem,vt manum sibi morituro commodaret, exorauit: ille gladium in latus Bruti,vbi cor emicat, inflixit; Brutus verò, vt ictum iuuaret, sese impulit,exspirauítque, annum agens septimum & tricesimum. Bruti exemplum secuti sunt è principibus Romanis circiter XL. inter quos Liuius Drusus Liuiæ Augustæ pater, Quinctilius Varus, & Antistius Labeo Antistij Iurisconsulti pater,celebrantur.Bruti cadauer Antonius purpurea veste honoratum cremari,cinerésq; Seruiliæ matri Porciæ'q; vxori ipsius transmitti iussit.Cæsarem caput eius Romam,vt Dictatoris statuæ subijceretur, misisse, Suetonius auctor est. Dio verò scribit, D
oborta in traijciendo tempestate,cum ceteris rebus iacturam capitis fuisse factam. Nec aliud bellum cruentius cæde clarissimorum ciuium fuit,quàm Philippense.Cæsi sunt eo prælio L.Cassius imperatoris Cassij fratris filius,& Cn.Licinius Lucullus. Q. Hortensius iussu Antonij, vt & M.Fauonius iugulati sunt. Lucilium Luscinum in numerũ amicorum recepit Antonius; vti Cæsar M.Messallam & Stratonem Ægeatem. Exercitus fuga dissipatus, se denuò sub Messalla collegerat; sed quum illi res inclinatas sustinere se posse diffiderent, victoribus sese dedidêre. Statius Murcus cum classe octoginta nauium, & duabus legionibus,

A nibus, ad Sex. Pompeium in Siciliam fugit. Cn. Ahenobarbus occupatis ſeptuaginta nauibus & tribus legionibus, cũ magno conſilia ſua ſequentium comitatu, fugæ fortunæque ſe commiſit; & aliquandiu Ionium mare cum magno aduerſariorum ſuorum detrimẽto infeſtauit, donec ad Antonium, fidem Aſinij Pollionis ſequutus, paullò ante fœdus Brundiſinum, ſponte ſua deficeret. Caſsius Parmenſis & P. Turulius ad res Aſiæ ordinandas à Bruto miſsi fuerant: & tunc quidem veluti fato quodam ad triſtiorem exitum, poſtquàm opes Antonij (à quo recepti erãt) ad Actium fractæ ſunt, conſeruati videntur. Conſtat apud auctores præcipuam Philippenſis prælij laudem penes Antonium fuiſſe. Cæſar B namque, quia ex aqua intercute langueſcebat, munia imperatoris ob incommodam valetudinem obire non poterat. Debellatis hoſtibus placuit Antonium in Orientem ad res Aſiæ ordinandas, & pecuniam militibus cogendam (promiſerant enim ſeſterriûm vicena millia viritim) proficiſci: Cæſarem verò à perturbata valetudine recreandum in Italiam reuerti, & colonias militibus promiſſas aſsignare; Italiæ motus, quos collega ipſorum Lepidus excitaſſet, quem & cum Sex. Pompeio ſocietatem coijſſe rumor erat, præoccupare aut opprimere. Conuenerat, ſi in eo crimine Lepidus eſſe conuinceretur, quòd coactus abdicare, etiam prouinciis ipſi fœdere Triumuirali attributis ſpoliaretur, eáſ-C que ſibi ita compararent, vt Antonius Galliam & Africam, Cęſar Hiſpaniam & Numidiam teneret: de reliquis prouincijs, vt nondum pacatis, nihil decretum. Cùm Cæſar nullam profectioni ſuæ moram interponeret, morbo Brudiſij ex defatigatione nimia ingraueſcẽte, aliquandiu vſqueadeò affectus eſt, vt rumores de morte eius paſsim increbreſcerẽt; ſed ſeneſcente paullatim morbo, confirmataque valetudine, Vrbem ingreſſus eſt, L. Antonio & P. Seruilio Conſulatum iam inituris; rebusq; ex præſcripto cum Antonij legatis Romæ compoſitis, M. Lepidum, vt qui criminibus de abſente oblatis non teneretur, abſoluit, & Africã habere permiſit, vti cum Antonio conuenerat. Verùm, quum emeritos, D quorum opera Caſſium Brutumque deuicerant, in militares Colonias deducere, vt Antonio receperat, aggrederetur; in odium acerbiſſimum motumque belli ſeditione & periculo ſuo grauiſſimum venit: dum poſſeſſores ſe agris eijci, veterani non pro ſpe meritorum ſe haberi queruntur. Eam acerbitatem Fuluia Antonij vxor, nihil muliebre præter corpus gerens, augebat. L. Antonius, fiducia fraternæ poteſtatis, & Conſulatus quem gerebat, res nouas moliebatur: vrebatur Fuluia callidis Manij (is M. Antonij procurator erat) artibus. Is M. Antonium Cleopatræ amoribus captum irretitumque, motu tamen Italico à Cleopatra in Italiam reuocari & auelli poſſe oſtendebat. L. Antonius itaque Fuluiæ

L. ANTONIVS P. SERVILIVS COSS.

BELLVM PERVSINVM.

Fuluiæ vſus conſilio, modò apud veteranos Cæſarem criminatus, modò eos qui agros amiſerant ad arma conciens, magnum exercitum conflauerat. Ex altera parte Fuluia omnia armis tumultuque miſcebat: & Præneſte belli ſedem ſibi delegerat. Quum verò Legatis (qui exercituum duces potiſſimi erant) de concordia vltrò citroque miſſis, nihil ob Fuluiæ contumaciam (quæ gladio accincta in caſtris oberrans etiam imperatoria munia obibat) proficeretur, Cæſar ſimultate iam erumpente, Clodiam Fuluiæ filiam ſibi in fœdere Triumuirali deſponſatam, adhuc virginem repudiat: & in Nurſinos Sentinatesque (qui Lucij & Fuluiæ partes ſequebantur) exercitum ducit. L. Interea Antonius nocte celeriter ad Vrbem contendit; eamque per Nouium quendam admiſſus hoſtiliter inuaſit: M. Lepido, qui cuſtodiæ Vrbis cum exercitu præerat, profligato. Cæſar Sentinates Q. Saluidieno obſidendos permiſit: ipſe Romam profectus Antonij conatus oppreſſit, ipſumque Antonium Vrbe eiecit: atque illinc in Galliam contendentem ex itinere intercepit; Peruſiæque ſe includentem, varijs operibus & munimentis cinctum diu obſedit. Tandem aliquoties magna vi erumpere conantem, ſed repulſum, fame ad deditionem coëgit, veniamque petenti dedit. Atque ita tantus motus, qui diu Italiam vexaturus videbatur, cæque odiorum acerbitates, ſine prælio & ſanguine ſopitæ ſunt: Cn. Domitio Caluino, C. Aſinio Pollione coss. Peruſia incenſa eſt. Eius incendij initium fecit Ceſtius Macedonicus eius loci princeps: qui ſubiecto rebus ac penatibus ſuis igne, transfixum ſe gladio flammæ intulit. Eaque vento vehementiore diſperſa, totam vrbem incendio conſumſit. Produnt auctores quidam, Cæſarem in dedititios aliquot Decuriones crudeliter conſuluiſſe; augent etiam alij facti eius inuidiam, qui eoſdem ad aram Diuo Iulio ſacram Idibus Martijs hoſtiarum more mactatos ſcribant: certior fama tenet eum in Ti. Cannutium, C. Flauium, Clodium Bithynicum, vt in factioſos & inimicos, animaduerti iuſſiſſe. Nurſinis in deditionem acceptis grandem pecuniam imperauit: eam quia pendere nequirent, extorres vrbe ſua & agris expulit. tum quòd nunc partium ſtudia iuuiſſent, tum quòd olim Nurſinorum, qui in auxilijs prælio Mutinenſi cecidiſſent, tumulo publicè exſtructo adſcripſerant, pro libertate eos occubuiſſe. Ti. Claudius Nero Prætorius, Tiberij Cæſaris pater, victoris clementiam ſibi minimè experiendam ſtatuit: manensque in partibus Fuluiæ, & retentis Prætorijs inſignibus primò Præneſte, inde Neapolim euaſit: profeſſusque eorum qui agris pulſi erant patrocinium, & ſeruis ad pileum vocatis, nouum exarſiſſet bellum, niſi id Cæſaris celeritate, & in Neapolim irruptione oppreſſum ſepultúmque fuiſſet. Claudius fuga elapſus vnà cum

Margin notes: A (line 1), B (line 11), C (line 22), D (line 35).

CN. DOMIT. CALVINVS C. ASINIVS POLLIO COSS.

PERVSIAE CLADES.

A cum vxore Liuia, paullò pòst ipsius Cæsaris futura, ad Sex. Pompeium in Siciliam peruenit; à quo superbè & negligenter exceptus, ad M. Antonium in Achaiam traiecit. Cæsar post Fufij Caleni mortem, occupatis vndecim M. Antonij legionibus, prouinciisque fœdere Triumuirali ipsi concessis, pacata iam vniuersa Italia, vt & Rempublicam tot iterum factionibus laceratam, seditionibusque exagitatam, ordinaret & componeret, Romam reuersus est. Fuluia, vbi L. Antonium deuictum, conatus Claudij Neronis oppressos cognouit, ipsa cum suis & communibus Antonij liberis Puteolos, mox Brundisium fugit: quæ vt Antonium necessitudinum suarum commiseratione, calumnian-
B doque in Cæsarem accenderet, vnà cum Planco fugæ comite Athenas versus nauigauit. Iulia etiam Antonij mater perturbata nonnullorum artibus, qui in Cæsarem eius facti inuidiam transferre moliebantur, ad Sex. Pompeium perfugerat: sed comiter ab eodem habita, deducentibus L. Scribonio & Sentio Saturnino, ad filium transmissa fuerat, consilio sollicitandi Antonium, vt bellum Cæsari, sociatis cum Pompeio viribum, soueret. Cæsar à parte altera, vt à turbulentis consilijs, conspirationibusque Rempublicam purgaret, L. Antonium Hispaniæ legionibusque Hispanicis præfecit; atque ira specie honoris ablegauit. Sed ne quid nouarum rerum moliri posset, Sex. Peduceium
C & C. Luceium legatos ipsi adiunxit; mandatisque secretioribus, vt eius consilia obseruarent, conatibusque nouis maturè obsisterent, instruxit. M. verò Lepidum Triumuirum, de collegarum iniuria, ob iniquam prouinciarum diuisionem, conquerentem, cum sex M. Antonij legionibus, quas Cæsar suis rebus parum addictas suspicabatur, in Africam ablegat. L. Sestius Numidiam Antonij nomine præoccupatam obtinuerat: Africam quoque in eiusdem potestatem, oppresso Fufidio Phangone Cæsaris præfecto, redegerat. Sed Lepido cum validissimis copijs venienti, vtranque prouinciam ex Antonij Cæsarisque comparatione Lepido attributam tradidit. Antonius interea M. LEPIDVS IN AFRICAM MISSVS.
D Asiæ prouincias obibat: easque grauissimis tributis & direptionibus vexatas, nouarum insuper legum nundinationibus exhauriebat. Ipse ad omne luxuriæ genus & nequitiæ dissolutè proijci, cum pallio crepidisque inambulare, turpissimè, fœdissimeque perbacchari, æquè segniter molliterque Asiæ amœnitate frui, exercitum omnem licentia corrumpere. Cleopatra quoque ad se euocata, cum eadem expostulat; Ecquur deserto Cæsare, Cassium opibus iuuisset? Illa negare se aliquod Cassio decreuisse auxilium; purgare se, quod classis, quam Cæsari subsidio instructam misisset, tempestate disiecta afflictaque

F fuerat

A contabuisse, consumtaque creditur. Antonius interea Ahenobarbum apud Corcyram cum classe occurrentem in amicitiam recipit; & cùm in Italiam appulisset, hostiliter omnia aggressus, Sipuntem per Pompeium occupat; Brundisiumque aliquamdiu obsessum, repulso P. Seruilio Rullo Caesaris duce, oppugnat. Caesar inuicem & cum suis copijs contra Antonium mouens, eiusdem conatus obseruabat; & per M. Agrippam (quem cõtra Sex. Pompeium Bruttiorum oram infestantem miserat) repulso Pompeio Sipuntem recepit. In tanto rerum totiusque adeò Italiae tumultu, opportunè de Fuluiae morte nunciatur. Erectis eo nuncio omnium ad spem pacificationis animis, facemque belli iam

BELLVM INTER ANTONIVM ET CAESAREM.

B exardescentis exstinctam ominãtibus, extemplò milites ordinumque ductores vtrinque Imperatorum suorum iras mutuis colloquijs demulcent: odiaque animis inclusa blandis percunctationibus eliciunt: aperta, interpretationibus molliunt: pacemque magna cum totius Italiae laetitia, foedere & necessitudine stabiliunt. Cn. igitur Domitio Caluino, C. Asinio Pollione coss. amicitiam & pacis foedera per conuentionem, interprete M. Cocceio Nerua vtriusque partium necessario, Cilnio Maecenate Caesaris; Asinio Pollione Antonij legatis praesentibus, in haec verba, his legibus fecerunt. M. Antonius, C. Caesar Imperatores amicitiam pacemque inter se comiter seruanto, & sine dolo malo co-

C lunto. M. Antonio ius, imperium, arbitriumque in omnibus prouincijs, insulisque, terra marique versus Orientem ab Hadriatico sinu vsque ad Euphratem esto. C. Caesari iisdem legibus ius imperiumque versus Occidentem vsque ad Oceanum esto. Vtrique in Italiam liberum, sed pari legionum numero delectum habento. Antonio contra Parthos belli ius esto: Caesari contra Sex. Pompeium. Africam M. Lepidus aequo, vt data est, foedere habeto. Summae quoque foederis asscriptum fuit, vt Consulatus mandandi, abrogandi, abdicatorũ vel non ineuntium locũ sufficiendi quem vellent, potestas vtrique aequalis esset. In has ferè leges inter Antonium Caesaremq; ictum foedus, & Cn. Ahe-

FOEDVS BRVNDISINVM.

D nobarbus in gratiam à Caesare receptus est. Adiunctum quoq; publicae paci priuatũ ex necessitudine vinculum; Antonio enim Octauia maior Caesaris ex Ancharia soror, in matrimonium collocatur. amboq; quòd alter alteri recõciliatus esset, cũ triumphali veste ouãtes in Vrbem equis inuecti sunt. Lugebat etiamnum per id tempus C. Marcellum maritũ Octauia; sed ea legibus soluta, quibus cautum erat, ne viduis nubendi post mariti mortem ante decimum mensem tempus legitimum esset, maturantur nuptiae: nouaeque affinitatis opportunitate vsurus Caesar, Antonium initę cum Pompeio societatis adhuc memorem impellit, vt eum per legatos moneat, ne prioribus suis promissis nimium fretus,

CAESARIS ET ANTONII OVATIO.

 bello

bello Cæsarem lacessere pergat: si ab eiusdem prouincijs non abstineat, A
se quoque ipsius amicitiæ renunciare: necessariúmque sibi ex fœdere
BELLVM SICVLVM. sociatis cum Cæsare armis, bellum contra ipsum gerere. Ceterùm Pompeius ea denunciatione neutiquam deterritus, Etruriam infestat; & per Menam libertum, M. Lurium Agrippam Cæsaris præfectum Sardinia eijcit, insulamque partim vi, partim deditione occupat. Menas qui mutabilis & vani semper ingenij fuerat, vt voluntatem deserendi Pompeium, & se transitionis opportunitatem captare aliqua cum fide etiam Cæsari iudicaret, Helenum Cæsaris libertum in Sardinia captum, non redemtum, sed benignè habitum gratis dimisit. Antonius Manium Aquillium, qui Fuluiam ad Perusinum bellum furore & zelotypia accensam instigauerat, vt publicæ calamitatis auctorem occidit: Cæsarique Saluidienum, vt res nouas molientem, prodidit: transitionisque pacta sibi dum nuper Brundisium obsidebat per nuncios obtulisse, patefecit. Saluidienus obscurissimo loco natus, exercitui Gallico à Cæsare præfectus fuerat, ab eodem Consul cùm adhuc Equestris tantùm ordinis esset designatus in annum DCCXIIII. sed postea à Cæsare in Senatu accusatus condemnatusque, antequam iniret occisus est. Sex. Pompeius denuntiatione Antonij etiam obstinatior, ferociorq; factus, mare Tyrrhenum, oras Italiæ maritimas, litoraque omnia latrocinijs infestare, arctis commeatibus ciuitatem vexare, frumenti commercia, occupata Sardinia, vastataque nuper Corsica, impedire & auertere. Et iam fames in Vrbe dominari, neque laxari annona, quòd nullis adhuc viribus mare à piratis liberari poterat. Ciues itáque veluti obsidione clausi vociferari, vltimam inopiam instare; Pompeium per æqua per iniqua reconciliandum. Etiam plebs iram fame vrgente non supprimebat: duos nunc pro vno acceptos immoderata infinitaque potestate dominos: qui soluti atque licentia effrenati, omnes legum metus, omniaque supplicia in viros insontes, & populares vertissent: fame se ab ijsdem sicut hostes peti: cibo victuque fraudari: nouósque tandem tyrannos exortos, qui aut mori miseros, aut turpius seruire iubeant. Hinc plebes D in furorem rabiémque acta, in Antonium Cæsaremque impetum facere; violentísque tandem precibus obtinuêre, vt legati de pácis conditionibus ad Pompeium mitterentur. Verùm vt & necessitudo Sextum flecteret, matrem eius Muciam ad demulcendum filium legauêre. Cæsar & Antonius ad Scribonium Libonem Sexti socerum (cuius etiam sororē Cæsar duxerat) mandata per amicos dedêre, vt generum, quantum gratia & auctoritate posset, ad pacis conditiones flecteret: locum ipsis ac tempus colloquij cum Pompeio peteret. Statius Murcus super ea legatione à Sexto consultus, pacis oblatæ occasionem accipiendam osten-

A ostendit: præoccupandos eo beneficio ciuium animos, quos ab inopia frugum & fame liberaret; & clarissimos viros, qui proscripti fuerant, aut aliis de causis ad ipsum confugerant, Reipublicæ restitueret. Murci auctoritatem variis criminationibus Menas ludificabat; eum esse partium muneribus corruptum, & ad transitionem paratum; bello hostes esse frangendos, infesto mari, grauique annona populares: atque ita cogendos, vt vel iniquis Pompei postulatis satisfacerent; pacis leges à victore victis imperandas, non victori à victis accipiendas. Obtinuit tamen Murci sententia; & postulatam à populo Romano pacem, Cæsar & Antonius cum Pompeio circa Misenum fecerunt: Ita vt ille Siciliam,
B Sardiniam, & Achaiam per quinquennium haberet, maria à piratis liberaret, commeatum in Vrbem mitteret, præsidia ex omnibus Italiæ locis deduceret: Antonius vicissim & Cæsar proscriptos (nisi si qui ob cædem Cæsaris damnati essent) restituta quarta bonorum parte reciperent. His ita compositis, quum Pompeius in naui sua Cæsarem & Antonium cœna exciperet, salsè & facetè illudens, se in Carinis suis cœnam dare dicebat: referens dicterium ad loci nomen, in quo paterna eius domus ab Antonio possidebatur. Hoc pacis fœdere clarissimi viri M. Silanus, Sentius Saturninus, L. Arruntius, M. Titius, & Claudius Nero, ex Antonii beneficio Reipublicæ restituti sunt. Statium Murcũ, qui aduentu
C suo classéq; validissima vires Pompeii duplicauerat, falsis Menæ & Menecratis libertorum criminationibus insimulatum, Pompeius per insidias Syracusis interfecerat. Sextus enim Pompeius, vt erat litterarum rudis, & sermone barbarus; ita impetu strenuus, manu promtus, fide patri dissimillimus, animo ad seruitium vsque proiecto fractóque, nobilissimis inuidebat, vilissimis inseruiebat, libertorũ suorum ipse quasi libertus. Menas tempore capto monebat ex insidiis esse adoriendum Antonium & Cæsarem, quos in potestate iam in nauibus exceptos habebat: liberandam à dominis Rempublicam, patris fratrisq; manibus eorum nece parentandum. Contrà Pompeius, spreto callino quidem,
D sed infido consilio, scelestam liberti perfidiam egregio dicto retorsit: Vtinam, inquiens, hoc sine me Mena efficere posses; peierare enim Menæ, non Pompeio proprium. Consulatus deinde in quadriennium ita ex fœdere compararunt, vt M. Antonius & Scribonius Libo in annum DCCXIX. designati essent; Antonius in suum locum quẽ vellet sufficere posset: proximè Cæsar & Sex. Pompeius: tertio deinde anno Domitius Ahenobarbus & C. Sosius; quarto Cæsar & Antonius tertiùm Consules essent. hæc cum pacis legibus adscripta fuère; easque conscriptas & consignatas Vestalibus seruandas miserunt. Cæsar itaque & Antonius sanctissimis totius Italiæ acclamationib. excepti, in Vrbem,

PAX CVM SEX. POMPEIO FACTA.

ANTONIVS COS. DES. ITER. ET TERT.

Sex. verò Pompeius in Siciliã reuersi sunt, L. Martio Censorino, C. Caluisio Sabino COSS. quo tempore etiam Triumuirorum Reipublicæ Constituendæ acta agendaque, à Senatu Populoque Romano rata esse iussa sunt. Antonius ex Vrbe in transmarinas prouincias comitante Octauia profectus, Athenis subsistens ex Suria laureatas litteras accipit: P. Ventidium in agro Cyrrestico ingẽtem Parthorum stragem dedisse; exercitum hostium cæsum: imperatoremque ipsum Pacorum regis filium in prælio cecidisse, legiones esse incolumes. quo nuncio Antonius non tam recreatus est, quàm inuidentia æmulationeque cruciatus. Obseruatum est, eodem die Pacorum à Ventidio victum, quo & quindecim ante annos Crassiana clades accepta fuerat. Pacori caput Ventidius oppidatim circũferri iussit, manibus scilicet M. & P. Crassorum, ipsiusq; Saxæ nuper admodùm cæsi eo modo parentaturus; simul Suriæ contumaciam fracturus; quæ in Pacorum propensissima, eiusdem clade ad deditionem compulsa est. Postquam litteræ in Senatu de Ventidij victoria recitatæ sunt, Patres quòd Antonij auspicijs Ventidius rem benè & feliciter contra Parthos gessisset, Crassianamque cladem vltus esset, supplicationes Antonio & Ventidio, & vtrisque triumphum decreuerũnt. Quos honores sibi cum Ventidio communicatos inuidens Antonius, imperium Ventidio abrogauit: & exercitu eius accepto, ipsum collaudatũ ad Vrbem remisit. Ventidius autem tum hisce rebus gestis insignis, tum ipsius fortunæ inconstantia (bis enim ipse captiuus in triumphum bello sociali ductus fuerat) postea solus & primus de Parthorum bellicosissima gente triumphauit. Cæsar in Galliam bellico tumultu inquietam profectus, M. Agrippam cum imperio & exercitu in eandem præmiserat: Agrippa victor Aquitanos imperata facere coëgit; & pacata Gallia, rebusque prosperè gestis, Romanorum secundus Rhenum transmisit. Cn. Caluinus Proconsul Cæretanos in Hispania domuit: cladem que à Peduceio legato acceptam, idque militum vel pauore, vel potius contumacia, qui cùm vincere possent, vinci maluerunt, correxit: postea acerbissima concione in exercitum desertorem & militaris disciplinæ proditorem inuectus, veteri & nobili exemplo decimum quemque è duabus centurijs sorte ad supplicium delegit: inter hos & Iubellium primipili Centurionem fuste percussit. Cæsar interea, ne otium, disciplinæ militari perniciosissimum, militem corrumperet, eundem crebris in Illurico Delmatiaque expeditionibus, patientia periculorum & bellorum experientia confirmabat. Per id ferè tempus, repudiata ob morum quam culpabat peruersitatem Scribonia, Cæsar Liuiam Ti. Neronis vxorem iam sexto mense grauidam, in suum matrimonium, despondente etiam Nerone marito, ad se

L. MARTIVS CENSORIN. C. CALVISIVS SABINVS COSS.

P. VENTIDII CONTRA PARTHOS RES GEST.

P. VENTIDII TRIVMPHVS

LIVIA CAESARI NVBIT.

A B C D

A se traduxit; consultis interim per ludibrium Pontificibus, an Liuia cōcepto, necdum edito partu, ritè in alienam domum enuberet. Interea crescente indies & classe & fama Pompei, quodq; is pacem, quam ex conditione acceperat, non præstaret; & mare subinde latrocinijs vexaret, arctis iterum Italia commeatibus vtebatur, vsqueadeò vt vix aliquid leuamenti ex pactione ad Misenum facta sentiretur. Menas enim, qui Pompei rebus imperitabat, calumniando pacem interpretationibus eludebat; eamque sponsionem non ex fœdere conceptam, inducias non pacem vocādam Pompeio persuaserat: sed idem arte & consilio quorundam, qui pacem & otium maluissent, vel hinc potissimùm

BELLVM SICVLVM CVM. SEX. POMPEIO

B quòd Helenum libertum Cæsaris à se captum remiserat, vilior deinceps & suspectior Pompeio ad omnia factus est. Eam contumeliam vlturus Menas, transitionem cum Cæsare paciscitur; classem Pompeij prodit; Sardiniam & Corsicam cum tribus legionibus Cæsari tradit. Cæsar Menam in amicitiam receptum ingenuitati asserit, & in Equitum censum adscribit, Caluisióq; legatum esse iubet. Pompeius fugitiuum suum à Cæsare reposcit, negatur. Hoc causatus Pompeius, tum & hoc, quòd Achaiam prouinciasque ex formula pactionis sibi concessas Antonius vexare non cessaret, per se non stare quò minus leges pacis ratæ essent, proinde iustas se belli caussas habere. Hinc Cæsar Antonium ex

C Græcia, Lepidum ex Africa, vtrosque in auxilium & consilium acciuit. Antonius Cæsaris litteras sequutus, Brundisium venit; sed subitò, ne salutato quidem Cæsare, (seu prodigio quodam deterritus, seu quòd ad bellum imparatus venerat) cursum in Græciam retroflexit: Lepidus autem ob cunctationem longam inutilis fuit. Cæsar itaque cum sibi soli eius belli molem subeundam videret, C. Caluisium Sabinum Consularem classi, Q. Cornificium terrestribus copijs præfecit: ipse à Tarento aduersus Pompeium nauigare instituit. Ap. Claudio Pulchro C. Norbano Flacco iam COSS. Pompeius Caluisio & Menæ Menecratem libertum cum valida classe opposuit: pugnatum est è regione Cu-

AP. CLAVDIVS PVLCHER C. NORBANVS FLACCVS COSS.

D marum acriter, concurrentibus inter se infestissimè Mena & Menecrate (nam & antè priuatas inimicitias exercuerant:) sed victo interfectóque Menecrate, prætoriam eius nauem Menas expugnauit. Caluisij classem Demochares vexatam, scopulisque allisam afflixit; ita vt dubio Marte eo die vtrinque pugnatum sit. Caluisius ad Cæsarem, qui è Tarento Rhegium venerat, vela facit: sed Cæsariana classis iuxta Scyllæum grauissima tempestate disiecta & afflicta, ab Apollophane insuper, quē è Messana Pompeius immiserat, vario impetu lacerata est. Cornificius autem alijq; duces strenuè quidem se gerebant, sed angustiæ locorum & cautium scopulorumque metus, impetum virtutemque tardabant.

CLADES CAESARIANAE CLASSIS.

In-

Inuectus tamen in Democharem Cornificius, impetum ipsius repressit, prætoria eius expugnata. Sed plus luctæ laborumque cum nauibus fœdissima tempestate & importuoso angustoque freto vexatis, quàm certaminis cum hoste fuit. Ipsius enim Cæsaris nauis scopulis illisa, depressa est; ipse ægrè in proximum saxum adrepsit. Cęsarem per deuios tramites fugientem, parum abfuit quin seruus Æmilij Paulli, qui in comitatu ipsius erat, dolens proscriptum à Cęsare Paullum domini sui patrem, quasi occasione vltionis oblata, per insidias interfecerit. Nec tranquillior nox diem tam fœdè transactum excepit; ita vt Cæsari cum aliquot fugę comitibus in spelunca pernoctandum fuerit: nec vllum erat momentum, quod à nouæ cladis alicuius nuncio cessaret: quum totam classem vi ventorum eadem nocte scopulis, cautibusq; illisam, conuulsam denique, aut depressam nunciaretur. Saluti fuit, quòd legio XIII. per deuios tramites obrepens, imperatori suo opportunum subsidium attulerit; quodque prima luce Caluisius & Menas cum reliqua classe incolumes appulisse nunciarentur. Quo nuntio etiam si Cæsar à proxima calamitate recreatus esset, sæuitia tamen tempestatum deterritus, mari abstinere, orásque maritimas præsidio firmare constituit. Pompeius in eam cladem Cæsaris impotenter insultans, supra humanum genus se efferebat; Neptunique se filium vana fabulosaque iactantia mentitus, elatiusque in eam ostentationem compositus, cæruleo deinceps paludamento, pro purpureo vtebatur, quòd cæruleus color maris sit. Ex hoc Italiam nouis incursionibus vastat; Apollophanem in Africam classe pręmittit: quem Menas assequutus, magna clade castigatum repressit. Antonius interea Suriæ rebus vtcumque compositis, & Antiocho Comagenarum rege ad imperium compulso, in Italiam reuersus cum trecentis nauibus Tarentum appulit, permotus ad belli societatem tanta Cæsaris clade, vt præ se ferebat; auxiliumque, vti conuenerat, aduersus Pompeium laturus. Sed quum primùm suspecta alterius alteri fides esset, post mutuas expostulationes, per Octauiam tandem reconciliati in gratiam rediêre his conditionibus; vt Antonius CXX. naues Cæsari ad Siculum bellum traderet: pro quibus Cæsar eidem legionariorum militum viginti millia in bellum Parthicum permutaret. Conuerso iam primo Triumuiratus quinquennio, M. Vipsanio Agrippa, L. Caninio Gallo COSS. Cæsar & Antonius sibi & Lepido absenti in alterũ quinquennium eandem potestatẽ prorogarunt: Pompeium autem hostem iudicatum, Consulatu & Auguratu priuarunt: ijsq; confectis Antonius Octauiam apud Cęsarem vnà cum liberis deponit; ipse ad Parthicum bellum in Asiam nauigat: Cæsar autem omnem curam ad apparatum bellicum conuertit. Menas eadem leuitate qua prius ad Cæsa-

Margin notes: A, B, C, D (right margin); FOEDVS TARENTINVM. M. AGRIPPA L. GALLVS COSS. TRIVMVIRATVS R. P. C. ITERVM INITVS.

A Cæsarem transierat, militiam suam apud eundem parum honoratam vtpote qui legatus Caluisio esset, indignè ferens; veniamque sibi apud Pompeium paratam confisus, cum septem nauibus ad eundem transfugit. Classe iam comparata, Cæsar vniuersæ M. Agrippam præfecit; Baijsque soluens in altum prouectus, grauissima iterum fortuna afflictus est: maiori nauium totiusque classis parte, cùm circa Veliam & Palinuri promontorium ex tempestatum sæuitia & furente Africo lacerata, & disiecta; tum vexationibus Menæ direpta, vel accensa: ita vt nauibus reficiendis, & armamentis instaurandis dies plus minus triginta consumti sint. M. Lepidus interea cum duodecim legionibus

B & equitum Numidarum quinque millibus Lilybæum Siciliæ tenuit; Plemminio, quem ad prohibendum cum vna legione Pompeius miserat, repulso. Hunc Lilybæo se includentem frustra diu Lepidus circumsedit: aliquot tamen oppidula partim vi, partim deditione recepit. Cæsar instructæ iterum & armatæ classi, remigumque supplemento expeditæ M. Agrippam præficit; velaque in Liparam facit. Hîc Menas, dubiæ vir fidei, iterum à Sex. Pompeio ad Cæsarem deficit. Pluribus deinde prælijs, & vario euentu pugnatum est: donec tandem M. Agrippa apud Mylas cum Demochare & Papia Pompeij præfectis congressus, depressis triginta hostium nauibus, & in his ip-

C sius Papiæ prætoria, victor remansit. Altera classis, quam ipse Cæsar ducebat, inopinato Pompeianæ superuentu, circa Tauromenium deleta est: expositique in terra nauales socij militesque Cæsaris, parum abfuit quin à Pompeio opprimerentur. Cæsar tot simul tantisque difficultatibus, & hoste vrgente impeditus, à Proculeio vxoris Mæcenatis fratre, vt sibi morituro manum commodaret, petijsse à quibusdam auctoribus scribitur: sed à Cornificio accurrente receptus, protectusque, ad exercitum suum incolumis & saluus tandem peruasit: copijsque terrestribus Cornificium, qui iam sustinendo hosti par erat, spe auxilij confirmatum præfecit. Ipse autem, vt vndique vires in v-

D num cogeret, quàm occultissimè ad Messallam peruenire contendit. Sed quum omnia obsepta, præsidijsque Pompeianorum clausa offendisset, acatio (quod parui velocissimique nauigij nomen est) exceptus, periculum euasit: Messallæque & Albio Carrinati se coniunxit. Cornificius interea ob commeatuum inopiam per campos ariditate squalentes, ad M. Agrippam, qui Mylas & Tyndarida, deiectis Pompeianis, occupauerat, se cum exercitu recipere coactus est. Quo in itinere, à Pompeianis militibus vndique eos infestantibus, & extremum

agmen carpentibus per triduum variè, sed non inultè vexati & attriti, A
à M. Lurio Agrippæ legato cum tribus legionibus accurrente seruati, & omnium rerum copia recreati sunt. Interea & Papias quatuor legionum supplementum, quod M. Lepido ex Africa veniebat, adortus, partim captis, partim depreßis cum duabus legionibus aliquot nauibus, afflixit: & si qui ad littora natando euaserant, eos Tisienus Gallus, oræ maritimæ, vt hostium exscensum prohiberet, à Pompeio præfectus, confecit. Cæsar collectis tandem vndique copijs, Lepido se coniunxit; amboque iunctis copijs Messanam obsidione premunt. Statilium Taurum, vt à commeatibus Pompeium terra intercluderet, omniaque prædationibus ageret, ferretque, & frumenti subuectiones interciperet, Cæsar cum duabus legionibus dimisit: eaque difficultate & B
inopia oppressum Pompeium ad conferendum manus se cogere posse sperabat. Interea Lepidus à Cæsare alienatus, quòd eo non vt collega, sed tanquam legato vteretur, pacta occulta cum Pompeio fecisse per indicium cognoscitur. Sed Cæsar neque tempus illud vlciscendi, neque cum eo expostulandi esse existimans, dißimulauit: eiusque actiones & consilia, ne quod facinus auderet, obseruari iußit. Sed quò maturius se ab infida dubiaque eius societate liberaret, placuit omni cura industriaque Pompeium, vt pugnandi potestatem faceret, vrgere. Qui eò necesßitatis, ob commeatuum angustias, & stipendiorum, quæ procacius in diem postulabantur, inopiam, se prolapsum animaduertens, vt C
aut in summam rerum ad manus veniendum cum Cęsare, aut suorum transitio, si ad inopiæ extrema perseueraret, metuenda esset; ad vltimam dimicationem, præliumque nauale, omni se apparatu instruxit. Explicata itaque ad Naulochos vtraque nauium acie, concursu classium congrediuntur: & post acerrimam, diuque ancipitem conflictationem, tandem M. Agrippa fortiter & strenuè depugnans vicit: hostemque depreßis viginti & octo nauibus, ceteris ferè omnibus aut fractis, aut corruptis, profligauit. Demochares captus, sibi manus intulit. Apollophanes sese victoris fidei permisit. Pompeius paullò antè D
trecentarum & quinquaginta nauium dominus, nunc cum septendecim duntaxat fuga elapsus, Messanam profugit: tantaque clade fractus vsqueadeò mente concidit, vt abiecta omni spe, copijsque terrestribus neglectis, nullo etiam prosequente, Corcyram primò, inde Cephaleniam continuo cursu peteret. Hîc primùm animum à pauore colligens, ad Antonium respicere cœpit. Tisienus Gallus, vt Latini scriptores prodidêre, ad M. Lepidum; vt Græci autem, ad ipsum Cæsarem cum omni exercitu Pompeij terrestri transitionem fecit.

Plem-

A Plemminius cum octo legionib. Pompeio fugato, Messanam tenebat: is deditionis pacta Lepido obtulit. Verùm Agrippa absentis tum quidem Cæsaris rationem in ea pactione habendam contendebat, sed frustrà: Lepidus enim Messanæ à Plemminio receptus, Plemminioque vicissim in suam fidem recepto, & suo & Plemminij exercitui ciuitatem diripiendam dedit. Cæsar rem aggressus, aususque per omnium annalium monumenta celebrem, inermis & lacernatus castra Lepidi ingressus est; ibi declinatis, quæ iussu hominis ignauissimi tela in eum coniecta fuerant, lacernaq; perforata, aquilam legionis rapuit: mox armati milites Cæsarem inermem secuti, Lepidum deseruère: eumque paullò B antè viginti legionum fiducia superbientem, summasque sibi in Sicilia partes terrore & minis vindicantem, vti hominem vanum, neque vlla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritum, imperio simul & exercitu spoliauit. Postea supplicem vita donatum, & concesso Pontificatu maximo, ad vrbem remisit; alij Circeios in perpetuum relegatum tradunt. Subita deinde in exercitu Cęsaris seditio erupit, militibus stipendium procacius quàm ex more & modestia militari flagitantibus; missionem prætereà, agros, donaria tumultuosè postulantibus: ita vt quasi furore contacti, spiritus sibi ob multitudinem ferociores sumentes, ad tribunal Cæsaris magno cum fremitu minitantes vltrò C ac terrentes concurrerunt. Cæsar tantam seditionis procellam partim seuera in furoris eius auctores animaduersione vsus repressit; exercitu turbulentorum hominum missionibus purgato, dum Decimam legionem inter cetera contumacius ad iussa respondentem, totam cum ignominia exauctorauit: nonnullas missionem petulanter postulantes, citra commoda emeritorum dimisit: partim liberalitate sedauit, qua viritim duo millia sestertiûm repræsentari iussit. Placuit recensèri copias: repertæ sunt legiones XLV. equitum XXV. millia, leuis armaturæ militum XXXVII. millia. Cæsar confecto ad hunc modum bello Siculo, in quo præ ceteris fideli ac strennua Agrippæ opera vsus D fuerat, eundem Agrippam nouo & ad eum vsque diem inaudito honoris genere, Rostrata eaq; aurea ob victoriam naualem corona, & vexillo cæruleo donauit. Cōpositisq; Siciliç rebus, tributoq; sestertiûm millies imperato, Statilium Taurum in Africam ad recipiendas Lepidi prouincias misit. Quibus Romæ nunciatis, magno omnium consensu Cæsari statuæ, & currus triumphales decreti: simul vti ouans vrbem iniret, laureaq; perpetuò vteretur, concessum est, L. Gellio Poplicola, M. Cocceio Nerua Coss. Interea Antonius nulla iusta de causa, sed oblata, quā iam referemus, occasione vsurus, in Parthos mouerat. Phraates Pacori à Ventidio cæsi frater patrē suum Orodem aqua intercute turgidum aconito

AGRIPPA ROSTRATA DONATVS.

L. GELLIVS POPLICOLA M. COCCEIVS NERVA COSS.

nito exhibito è medio tollere properabat: sed dum propter pharmaci violentiam vis morbi per aluum deijcitur, medicamentum quod ad perniciem patri filius miscuerat, casu in salutem conuersum est. Phraates postquam venenum in remedium versum videt, anxius, scelerísque compendio vsurus, patrem intercluso spiritu strangulatum preoccupat: & regnum quod patricidio inuaserat, crudelissimè vexat. Ob eam tyrannidem Parthorum primates alij ad alios, & in his Monæses primæ inter ceteros nobilitatis ad Antonium, transfugerant. Is ab Antonio comiter & benignè habitus, à rege suo reuocatur: hinc Antonius Monæsem fallacibus oneratum promissis, vt amicitiæ sibi fidem aliquam apud Phraaten præstrueret, & regem oblata pace imparatiorem deceptúmque opprimeret, dimisit. Ad hæc amicitiæ societatem per legatos offerebat, si Phraates signa clade Crassiana amissa, ciuesque captiuos & transfugas redderet. Irritabat Antonij consilia & vrgebat Artauasdes Armeniæ maioris rex: qui, vt hostem suum alterum Artauasdem Medorum regem, Phraatis confederatum & belli socium vlcisceretur, & ipse Antonio belli societatem offerebat. Quo fœdere cum Artauasde inito, promissisque Armenij illectus & deceptus Antonius, cum XIIII. legionib. auxiliarium quadraginta, equitum duodecim millibus in Parthum mouet. Sed amoribus Cleopatræ dementatus, omnia boni imperatoris munia corrumpebat. Dum enim cum insidiatore versutissimo consilia sua cõmunicat, eiusdem calliditate in calamitatem trahitur. Armenius namque ipsius exercitum à Zeugmate in Mediam per flexuosos montium anfractus & viarum perplexitates, ad quingenta passuum millia, vt æstatem eundo extraherent, circumduxerat; Antonius tamen in Mediam properans, P. Statium Oppianum cum duabus legionibus & impedimẽtis subsequi iubet: ipse Phraaspa Mediæ regiam magnis itineribus peruenit: ceterũ vrbem validissimam præsidioq; firmatam frustra oppugnat. Medus qui cum Parthis auxilio suis accurrerat, ab Antonio in Oppianum cõuersus, eundem cum decem militum millibus opprimit & occidit: interim & Polemone Ponti rege capto, qui vitã ab hoste redimere coactus est. Armenius magna fraude à prima statim Antonianorum calamitate, abrupta armorum societate, domum se cum suo exercitu, quæ XVI. millia equitum erant, contulit. Ita Antonius magna cum ignominia Phraasporũ obsidionem soluere coactus, spe pacis oblatæ, sed fallacis deceptus est. Insidiatus enim Antonio Parthus, captóque tempore & loco, eundem ex insidijs adoriturus, pacem hac conditione offerebat; si Antonius Medorum finibus excederet, exercitúmque deduceret: sperans scilicet Antonium per eam qua venerat viam reuersurum: atque ita in campis latè patentibus, ariditateque squalentibus,

A tibus, se, copiasque suas Parthorum Medorumque equitatui ad vexationem & cædem subiecturum. Saluti fuit Mardus quidam à Crassiana clade captiuus, qui Parthorum mores consiliaq; callebat: itinerúmque per quæ ducendum erat peritus, Antonium premonuerat, ne destinatum iter peteret: se aliud per loca culta & commeatibus abundantia compendiosius ostensurum. Fidem fecit, quòd se vinciendum, donec promissa præstitisset, obtulit. Iam tridui iter fecerat Mardo duce Antonij exercitus, quum ab eodem præmonetur, vt contra subitam vim hostium, quam maximam imminere vestigijs aliquot se deprehẽdere iudicat, suorũ aciem instrueret. Parebat præmonitioni Antonius, quum

B subitò emicans Parthus parata Antonianorum vi profligatus est. Pluribus de hinc occurrẽtis subinde ex itinere Parthici equitatus incursibus impediti Antoniani, identidem non sine clade repellendo eosdem fatigabant: donec quinto postquam iter ingressi fuerant die, Flauius Gallus impetu temerario in hostem multo cum discrimine inuectus, dum laboranti carptim, & ex interuallo subsidia mittuntur, perruptis cęsisque à Parthico equitatu auxilijs, vtpote raris & infirmioribus, vix tandem ab Antonio cum totius robore exercitus accurrente, cum reliquiis copiarum discrimini ereptus est. Cæsa sunt Romanorum tria millia, quinque millia sauciata. Antonius ob eam cladem miserè se affligtans, sin-

C gulorum tentoria adit, saucios vt sese haberent rogitans, curam eorum etiam nominatim Legatis, Tribunis, præfectisq; demandabat. Et dum comiter eos consolatur, rem per se popularem ita dextrè egit, vt refecto ea comitate exercitu, militum quoque fauor & alacritas Antonium ad spem meliorem erigeret. Parthi ex pręcedentis diei victoria ferociores, collecto XL. millium equitatu, contemtius Romanis tanquam victis insultabant: accurrentesque ad prædæ direptionem, fortiter ab Antonianis submoti sunt: donec Antoniani iterum in decliuitatem quandam tardius digredientes, Parthis vndique circumfusis sagittis configerentur. Ibi tum grauis armaturæ milites, receptis in medium velitibus

D in sinistrum genu subsidère; elatisq; super caput clypeis (Testudinem vocant) se suosque ab hostium sagittis in lubricam clypeorum conuexitatem delabentibus protexerunt. Romanos ita subsidentes Parthi vulneribus prostratos opinabantur; abiectisque arcubus contos arripiunt, & quasi mactaturi irruunt: sed Romani se mutuò cohortati multo magnoque armorum fragore in pedes prosiliunt, & Parthorum primos pilis exceptos prosternunt, demùm vniuersos in fugam conijciunt. Sed quum Antoniani ob perpetuam Parthorum insultationem à frumentatione arcerentur, tanta in castris fame laboratum est, vt libra panis ducentis sestertijs veniret, hordeaceus panis pari argenti pondere ven-

deretur. Conuersi itaque ad herbas & radices edendas, inciderunt in herbam quandam, quæ manducata insaniam primò, postea & mortem afferebat: nam qui eam edissent, saxa moliebantur, lapidesque voluebant, tanquam rem magnoperè seriam agerent: tandem, bilem euomentes (quia vino carebant, quod vnicum huic malo remedium erat) moriebantur. Nec minor ab aqua quàm ab hostibus clades: Salmacidis enim fluuij liquor, qui à sitientibus auidè hauriebatur, frigidus & pellucidus quidem erat, sed salsus & venenosus: quique bibentibus non tam sitim leuaret, quàm ventris tormina induceret, & morientibus cruciatum exasperaret. Antonianis tot aduersis ac tanta clade fractis, sola ex fortitudine spes supererat: octies enim & decies intra vicesimum octauum diem commissis ex itinere prælijs, per æqua per iniqua passuum millia trecenta emensi, Parthũ sagittis equorumq; agilitate ac fuga, & multiplici ludificatione inuictum, represserũt. Confirmabat Antonium quòd iam cum suis ad Musi fluminis ripam euaserat. Dux enim viæ Mardus eundem à Parthis extremum Romanos persequendi limitem fuisse designatum, asseuerat. Nec Mardi fides fefellit: Parthi namque, vt traiecisse Romanos videbant, laudata eorum vti inuictorum virtute, laxatis arcubus dilapsi sunt. Sequuta nox est, quæ Antonio tristissima & prope vltima fuit. Tumultus enim trepidatione nocturna, quòd hostes irrupisse putarentur, in castris coortus erat: hinc ipsi Antoniani, si qui aurum & argentum inter suos habere crederentur, illos subita inuasione iugularunt, spoliarúntque; ad hæc ipsius quoque Antonij impedimenta aggressi, vasa aurea atque argentea mensásque preciosas ad distributionem discidérũt. Antonius in tanta consternatione, ne viuus in hostium potestatem perueniret, Rhamnum quendam è numero stipatorum iuramento sibi astrinxit, quandocunq; iussus esset statim ipsum confossurum, caputque amputaturum, ne mortuus à reliquorum cadaueribus secerni posset. Reuocauit à tam præcipiti clade exercitum, quòd Mardus hostem nusquam apparere ostẽderet: tumultum pauorémque eum ab errore, & incerto autore enatum: liberarent nunc saltem animos à metu, cuius causa non extaret: iam superata Media ad Araxem fluuium peruenisse: quo transmisso hostilia omnia euasisse, & in Armeniam maiorem tanto labore, tot votis petitam transituros. Hinc Antonius refecto vtcunque exercitu Araxem traiecit: recensitisque copijs, haud minus quàm tertia pars militum, calonum, seruitijque quarta desiderata est: non tamen hos omnes vis hostium consumserat, sed partem longè maximam humanæ pestes, fames, frigus, ac sitis confecerant. Antonius hanc fugam suam, quia euaserat, victoriam vocabat. Placuerat Armenium, qui tantæ cladis culpam susti-

A sustinebat; vt desertorem & sociorum proditorem armis vlcisci; sed eam iniuriam Antonius temporum necessitati subseruiens, in aliam oportunitatem per triennium dissimulauit: idque vel ob id potissimùm, quòd imminente iam hyeme, tam pecunijs quàm reliquis rebus, ád exercitū à recentibus laboribus, & cladibus reficiendum necessarijs, destitutus, hospitio Artauasdis & humanitate vsurus, in regno ipsius hibernare constituisset: primo statim vere, vti simulabat, alteram in Medos expeditionem suscepturus. Ceterùm postquam aliquādiu in Armenia subsistens se suosque à proximis incommodis recreasset, Cleopatræ desiderio ardens, ac amoris impotentia victus, adulta iam hyeme per Cappado
B ciæ montana, perpetuasque niues in Phœniciam (quò Cleopatram ex Ægypto euocarat) citatum rapiens agmen, militum octo millia ob intempestiuam festinationem in itinere amisit. Antonium per Phœniciam in Ægyptum cum Cleopatra reuersum, legati ab Artauasde Medo, comite Polemone Ponti rege, sequuti sunt. Polemon, vti diximus, Antonij superiori bello signa sequutus, in prælio captus in potestate Medi fuerat: quem Medus hactenus benignò habitum, vt suis promissis gratiam fidemque præstrueret, tanquam gratum Antonio munus sine precio remittebat. Legatorum oratio fuit, Artauasdi Medorum regi cum Phraate Parthorum belli causas esse obortas; cupere, vt sociatis
C cum Antonio copijs opibusq;, iste recentes, ille præteritas iniurias communemque hostem vlciscerentur. Antonio oblata oportunitate vti placuit: ac fœdere cum Medi legatis percusso, in Armeniam, vt ad Araxem flumen sese cum Medorum copijs coniungeret, profectus, Artaxata Armeniorum regum sedem peruenit. Ibi Artauasdem Armeniæ maioris regem, nec artibus nec versutia hactenus obnoxium, ex propinquiore loco per ingentia promissa, quamuis ambiguum & scelera sua æstimantem perpulit, vt castra sua intraret. Tum regem arte captum, ne quid honori regio deesset, argenteis catenis vincit, captumq; per Armeniam circumducit: opibusque regijs, coniuge, liberisque eius potitus (præter
D Artaxam primogenitum, qui ad Parthos fuga elapsus erat) omisso bello Parthico Artauasdem ipsum cum omni præda ac necessitudinibus in Ægyptum trahens, aureis oneratū catenis Alexandriæ in triumphum duxit; ipsique Cleopatræ Reginæ aureo in solio considenti supplicem fieri iussit. ANTONII DE ARTAVASDE TRIVMPHVS. Inter hæc Sex. Pompeius, vt diximus, varia incertaque fuga in Samum insulam delatus, de clade à Parthis accepta intelligit: ratusq; turbatis Antonij rebus, transmarinum imperium se facilè occupaturum, ad auxilia & societatem varios reges & populos sollicitare cœpit. Sed dum inter ducem & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, à M. Titio Antonij legato præoccupatus &

in

in potestatem redactus, quum iam annum ageret quadragesimum, Antonij iussu, vt fama tenet, occisus est. Sunt qui L. Munatium Plancum eius cædis auctorem M. Titio fuisse scribant. Prætexunt alij Antonij imperium à Titio approperatum: vt sera fuerit ad impediendam rem actam mutata in deditícij salutem Antonij voluntas. Additur Titium malam seruatori suo gratiam reposuisse, quòd à Mena in Etruria captus, Pompeij beneficio conseruatus fuerat: tantumque sibi ex hoc facinore odium concitasse, vt mox ludos in theatro faciens exsecrationibus Populi Romani è spectaculo quod ipse præbebat, pelleretur. Iam L. Cornificio, Sex. Pompeio Sex. filio Coss. Cæsar in Siciliam traiecerat: inde in Africam Bogudis & Bocchi Mauretaniæ regum motibus turbatam nauigaturus: sed tempestatibus detentus, ne ex ocio licentiaque militem corrumperet, in Illurios, hoc est Iapudes & Delmatas ob hanc causam mouit. Iapudes qui in alpibus à tergo Istrorum habitabant, finitimos populationibus & latrocinijs infestabant, dum Cæsar bello Siculo distinebatur; nec vectigalia, quæ imperabantur, persoluebant. Contra hos itaque profectus, haud magna cum difficultate eos qui citra Alpes haud procul à mari habitabant, in ditionem compulit: ceterùm eos qui iuga & latera montium incolebant, non sine maximo labore (vt erat gens aspera & fera) perdomuit. Etenim quum Metuliam oppidum suum præsidio trium millium communijssent, multos sæpè Romanorum impetus retuderunt, plurimas quoque machinas magna audacia frequentibusque irruptionibus incenderunt. Cæsar à lignea quadam turri in murum per pontem conscendere conatus, ponte ob multitudinem collabante, dextro crure & vtroque brachio afflictus est. Sed quum ille suppresso dolore suos cohortatus confirmasset, exercituque conuocato nihilominus oppugnationem vndique infesto militum concursu vrgeret, barbari de pace se agere velle simulantes, præsidium in arce acceptum nocte ex insidijs trucidarunt: ædibusque incensis, alij se, alij vxores simul & liberos occiderunt: quo ciuium furore Metulia sine præda militum, ferro igníque consumta est: nihilque in ea relictum in quo sæuire iratus hostis posset. Reliquæ Iapudum gentes quæ Albij montis latera longo tractu, vrbesque Arupinum & Monetium, aliasque ignobiliores incolebant, quum primùm ad eas admotus exercitus esset, famamque cladis Metulinæ intellexissent, metu in deditionem venêre. Cæsar superato Colope amne ad Vendium vrbem opulentam trinis castris peruenit: castrisque iuxta flumen positis, omnibúsque ad oppugnationem paratis, missis qui prius cominus obsidendorum animos tentarent, suaderéntq; amicitiam suam, quàm vim experiri mallent, Vendianos oblata accipientes, in fidem & potestatem accepit.

M. CORNIFICIVS, SEX. POMPEIVS COSS.

BELLVM ILLYRICVM.

A accepit. Iapudibus victis hæ leges à Cæsare dictæ; vt vectigales essent: vt à latrociniis,& mari abstinerent: ius magistratusque à conuentu Scardonitano peterent. Tedanium ciuitatem, quia nihil fecerat hostile iure Italico donauit. Acceptis in deditionem Iapudibus, Cæsar in Pannonios cum exercitu, nulla satis iusta de causa, sed ne in otio militem haberet, profectus est: & arma in eos, sed necdum hostilia conuertit: verùm quòd ab iisdem postquam ad Sisciam vrbem accessisset, hostilem in modum vexaretur, populari eorum agros iussit: ipsamque Sisciam à terra, & à Colope & Sauo fluuiis obsedit: commissoque interea nauali prælio, in quo Menas cæsus est, BELLVM PANNONICVM.
B exceptaque per insidias & contrucidata maxima Pannoniorum manu, Sisciitani accepta suorum clade, eaque perterriti, Cæsaris sese clementiæ acceptis legibus permisère: reliquaque deinceps Pannonia pacem accepit. Hinc Cæsar relicto cùm parte exercitus Fusio Gemino, in Delmatas, quos aliquot iam præliis M. Agrippa vicerat, profectus, insidiis ex siluarum & viarum ambagibus ab iisdem tentatus est. Ita olim & Gabinium, dum ad Iulium Cæsarem quindecim cohortes, & mille equites in Macedoniam duceret, oppresserant: eadem quidem nunc fraude, sed non eodem successu vsi sunt. Cæsar enim eos velut indagine clausos captosque oppressit & profliga- BELLVM DELMATICVM.
C uit: fugaque in Setouiam oppidum delatos obsidione cinxit. Ibi dum Delmatarum exercitus in vrbem irrumpere conatur, duobus præliis profligatus est. Cæsar in genu lapidis ictu sauciatus aliquot diebus decubuit: interim cohortes septem, quia loco cessissent, decimatas hordeo pauit. Postea Delmatas iterum rebellantes, ac subinde victos, tandem datis obsidibus imperata facere, atque tributum hactenus à Iulij Cæsaris tempore debitum persoluere coëgit: relictóque ad reliquos perdomandos cùm parte exercitus Statilio Tauro, ipse Romam profectus est: triumphumque, ob ea quæ iam dicta sunt decretum, in aliud tempus distulit. Cæsar in Salas-
D sos Valerium Messallam cum exercitu miserat. Salassi gens inalpina, in profunda valle vndique montibus cincta inhabitabat. Hæc viatoribus & vicinis per latrocinia quotidie magna damna inferebat; ipsumque Valerium Messallam, quem Cæsar Romam proficiscens eò in hiberna miserat, lignorum precia, quæ partim ad naues, partim ad hastas conficiendas ex siluis ipsorum rapuerat, persoluere coëgerant. Sed Messalla eosdem variis præliis grauissimóque bello attritos, victosque tandem magno labore ad imperium coëgit. Dum hæc in Illirico, & apud Delmatas geruntur, M. interim Antonius cum L. Scribonio secundum inierat consulatum: M. ANTONIVS II. L. SCRIBONIVS LIBO COSS.

H sed

sed postquam eodem die abdicasset, L. Sempronium Atratinum sibi A
suffecit. Quo in Consulatu ea quæ suprà retulimus contra Artauasdem maioris Armeniæ regem, dolo ac fraude captum, ab Antonio gesta sunt: ipsaque Armenia in prouinciæ formam ab eodem redacta. Eodem tempore & Octauia cum splendidissimis muneribus, vestéque militari, & duobus millibus selectissimorum militum in prætorias cohortes, in Suriam ad Antonium iter instituerat: quam postquam Antonius aduentare intellexit, missis literis nunciat se ad bellum Parthicum properare; proinde Athenis subsistere iubet: vbi dum ob Antonij cum Cleopatra consuetudinem, neglectius & contemtius se habitam videt, Romam reuersa est. C. Sosius per id tem- B
pus Antonij auspicijs Iudæam domuit; obsessisque Aradijs, ac cùm fame, tum morbo in potestatem redactis, Antigonum Iudæorum Regem, qui præsidium Romanorum interfecerat, prælio victum, ac Hierosolyma confugientem, obsidione clausit; ipsamque vbem iterum cepit anno vicesimo septimo postquam à Pompeio in potestatem populi Romani redacta fuerat: & ex Iudæa triumphum duxit.

C. SOSII TRIVMPHVS.

Antonius Antigonum nouo & inaudito hactenus apud Romanos in Regem supplicio, Antiochiæ securi percussit. Inde in Ægyptum reuersus, de Artauasde capto & ex Armenia more Romano Alexandriæ (vt supra relatum est) triumphum duxit. Cæsar autem, postquam C
ex Illurico Romam venit, secundum Consulatum, nouem annos post primum, cepit, eumque paucissimis horis gessit: nam postquam Kal. Ianuarijs inijsset, & manè pro æde Iouis Capitolini aliquandiu in sella curuli præsedisset, abdicauit: L. Autronio Pæto in suum locũ suffecto.

C. CAES. II. L. VOLCAT. TVLLVS COSS.

L. AVTRON. PAETVS COS. SVFFECT.

Comparatus fuerat Cæsari in eo Consulatu collega Sex. Pompeius: ita enim inter eos post pacem factam conuenisse dictum est: sed antequam iniret, hostis iudicatus & occisus est, & in eius locum factus L. Vocatius Tullus. Sub hæc Antonius, crescente indies amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ semper facultatibus licentiaque, & assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ in- D
ferre constituit. Cumque iam alterum se Liberum Patrem appellari iussisset, hæderisque redimitus, & corona velatus aurea, simul Thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru veluti Liber Pater veheretur: Cleopatræ tamen ad vilissimi mancipij obsequia sese submittens, totus in Regem barbarum degenerarat: amorisque impotentia, & opum licentia victus, Cleopatræ imperium Romanum promittere non dubitarat. Inimicitiæ itaque ac simultates, quæ inter M. Antonium & Cæsarem pridem cœperant, anno demùm insequenti Cn. Domitio Ahenobarbo & C. Sosio Coss. eruperunt.

CN. DOMIT. AHENOBARBVS, C. SOSIVS COSS.

M. Anto-

A M. Antonius Cæſarem criminabatur, quòd Lepidum Triumuiratu exuiſſet; quodque militem eius, & Sex. Pompeij, quem ex pacto communem eſſe oportebat, ſolus occupaſſet: adhæc militis etiam, quem communi vtriuſque nomine conſcripſerat, partem repetebat. Cæſar viciſſim Antonio crimini dabat, quòd Ægyptum ſine ſorte obtineret: quòd Sex. Pompeium, cui ipſe ſponte ignouiſſet, interemiſſet: & Artauaſdem Armeniæ regem fraude circumuetum cum magna Populi Romani ignominia in vincula conieciſſet: ſimul partem ſpoliorum & prædæ repoſcebat. Præterea & hoc vitio vertebat, Cleopatram in ſororis ſuæ contumeliam pro vxore haberi, & liberos ex eadem ſuſ-
B ceptos reges appellatos: inprimis quòd Cleopatræ ex Cæſare filium Cæſarionem nominaſſet, inſuper & in gentem Iuliam traduxiſſet. Ob hæc igitur atque his ſimilia, cum quòd nec ad vrbem venire, nec finito Triumuiratus tempore imperium deponere vellet, contractiſque ingentibus tam terra quàm mari copijs, vrbi totique adeò Italiæ bellum moliretur; remiſſo adhęc Octauiæ Cæſaris ſorori repudio, omnium in ſe odia accendit: eaque contumelia inter cetera irritatus Populus Romanus, bellum Cleopatræ per fecialem, quòd mulier Ægyptia Romanum imperium affectaret, indixit. Antonius igitur cum Cleopatra totum ferè orientem contra Cæſarem armat: Cæſar verò vniuerſum pe-
C nè occidentem contra Antonium. Inter hunc belli apparatum Munatius Plancus ad Cæſarem transfugit; mox & M. Titius, auunculum imitatus. Cn. autem Domitius & C. Soſius Coſs Antonianarum hactenus partium, ad Antonium profecti ſunt. C. Soſius Kal. Ianuarijs multa pro Antonio in Senatu contra Cæſarem abſentem dixerat: ſed Cęſar poſtea in Vrbem reuerſus, coacto Senatu longè plura in Antonium Soſio & Domitio obmuteſcentibus perorauit: recitatoque palàm Antonij teſtamento, quo Cæſarionem Cleopatræ & Cæſaris Dictatoris filium legitimum teſtabatur: ſuis autem ex eadem Cleopatra liberis maxima regna attribuebat: ſe verò vbi deceſſiſſet A-
D lexandriæ communi cum Cleopatra monumento condi iubebat; Populum Romanum vſqueadeò in Antonium exacerbauit, vt Conſulatu, quem cum Cæſare in proximum annum initurus erat, vnà cum imperio ipſi abrogato, hoſtem præterea iudicarit. Cæſar tamen quanquam hoſti iudicato neceſſitudines, amicoſque omnes remiſit. Bononienſes quoque, quòd in Antonianorum clientela antiquitus eſſent, per edictum monuit, fraudi ipſis non futurum, etiamſi Antonij partes iuuarent. C. Cæſare tertiùm, M. Valerio Meſſalla Coſs. bellum ciuile Actiacum vltimum cum ciuibus geſtum eſt. M. Valerius prius ab Antonio proſcriptus fuerat, nunc in ipſius locum Conſul factus eſt. C. CAESAR III. M. VALERIVS MESSALLA CO

Cæſar

BELLVM CIVILE AD ACTIVM

Cæsar ipso veris initio occupata quæ nullis Antonij præsidijs tenebatur Corcyra, in Epirum cum exercitu traiecit. Interea M. Agrippa, quem classi Cæsar præfecerat, Methone expugnata, deprehensum ibidem Bogudem Mauretaniæ regem, Antonijque partes sequutum, occidit. Hinc vel in conspectu ipsius Antonianæ classis, Leucadem insulam vi occupat. Patras vbi Antonius hyemauerat, victo nauali prælio L. Nasidio, cepit. Corinthum bis inde deiectis Antonianis expugnat. M. verò Titius & Statilius Taurus, qui terrestribus præerant copijs, cum Antonij equitatu congressi strenuè vicère; & Philadelphum Paphlagoniæ regem, vt ad Cæsarem transfugeret, impulère. Cn. autem Domitius, qui solus Antonianarum partium nunquam Reginam nisi nomine salutauit, relicto Antonio non sine maximo & præcipiti periculo, ad Cæsarem transmisit: sed is paullò pòst morbo cōsumtus est. Amyntas etiam Galatiæ regulus, & Derotarus Gallogręciæ in Cæsaris partes cum Dellio transiêre. Sosius interea absente Agrippa L. Tauresium ipsius legatum obseruata occasione nec opinantem à se opprimi posse sperabat: nec spes irrita fuisset, ni M. Agrippa maturè superueniens victo occisóque Sosio & Tarcondimoto Ciliciæ rege, cladem suis imminentem repulisset. Antonius itaque prælijs aliquot naualibus, vt diximus, superatus, præterea fidissimi cuiusq; amici ad Cæsarem ob Cleopatræ odium defectione permotus, tùm & ipsa Cleopatra prodigijs quibusdam consternata, ad hæc commeatu ob Cæsaris classem & exercitum intercluso, prælio nauali rem committendam censuerunt: idque vel eo potissimū consilio, vt si euentus votis minus responderet, Antonius & Cleopatra vel inter præliandum fuga elaberentur. P. Canidius Crassus, qui legionibus Antonij præerat, consultus, censuit non esse classe experiundum: Cæsaris quippe militem, sociosque nauales, ob bellum quod recens cum Sex. Pompeio gesserant, esse exercitatissimos, armamentis & remigio instructissimos. Antonium verò, vt maximè classem milite instruere possit, socijs tamen naualibus destitum iri, quòd tertia ipsorum pars inedia ac fame contabuerat, reliqui aut morbo inutiles, aut alij aliò variè dilapsi erant. Consultissimum itaque fore, si à Cleopatra eiusque consilijs se expediret, exercitumque in Macedoniam vel in Thraciam deduceret: terrestri prelio multis iam documentis Antonium esse inuictum; militem habere fidissimum: Getarum regem Dicomem ex propinquitate locorum & copias & equitatum cum Antonio, vti promiserat, sociaturum. Sed consiliū tam salutare facilè auctoritate Cleopatræ spretum est. Ita enim occæcat mortalium animos fortuna: & vbi vim suam ingruentem refringi non vult, consilia corrumpit. Recepto Canidij consilio (si quidquam humanorum certi est) vinci Antonius non

A non poterat:nunc vrgente fatali ipsius clade,& Republica ad vnius consilium præcipiti,quantò altius elatus erat, eò fœdius corruit. L. Messius speculator ab Antonio præmissus,quum à vigilibus exceptus,& ad Cæsarem deductus esset, Cæsar tribunis traditum hortatur omisso metu, cuncta per ocium inspicere,iussumque passim per castra quà vellet circumduci, ad se reductum percunctatur, satin percommodè omnia explorasset: datisque qui prosequerētur ad Antonium dimisit: Atqui Antonius nihil quidem eorum quæ à Messio nunciabantur, læto animo accepit : tanta Cæsaris fiducia,quam non de nihilo conceptam sibi persuadebat, præ ceteris perculsus. Mouit & hoc vel maximè,quòd Cæsar
B præsente Messio pro concione milites arma expedire, nauesque omni apparatu bellico in crastinum parari iussisset:animosque ad supremum certamen confirmarent, quo non in vnum diem , sed in perpetuum si Mars faueret, victores essent : Antonius ne,an Cæsar iura gentibus daret,ante crastinam noctem scituros.Neque enim Asiam aut Europam, sed orbem terrarum victoriæ præmium fore: adesse iam finem belli & laboris: in manibus esse prædam Ægyptiacam,reditum in patriam, ad parentes,liberos,coniuges,Deósque penates.Hæc atque his similia Cęsarem tanta animi pręsentia , vultuque adeò læto apud milites concionatum Messius retulit, vt vel tum victoriam tanquam certam pręcepisse
C videretur.Ad hæc Pullarium secunda auspicia renunciasse : pręterea egregiè litatum fuisse : ita vt quasi Dijs ipsis auctoribus, ad rem gerendam impelli videretur. Fausti quoque ominis loco acceptum,quòd Cæsari ad copias inspiciendas progresso, asellus cui Niconi, cum actore cui Eutycho nomē erat,occurrisset, homine scilicet à bona fortuna, iumento à victoria appellationem sortito. Hæc atque alia ad Antonium perlata, ipsum de summa rerum perquàm sollicitum habuêre. Et iam aduenerat supremi discriminis dies, quo Cæsar & Antonius productis classibus,pro salute alter,in ruinam alter orbis terrarū dimicaturi erant. Cæsar ducentarum quinquaginta nauium classem, à triremibus in se-
D nos remorum ordines agilem,& instrumento nautico armatam,legionibus octo & quinque cohortibus impositis instruxerat: dextrum cornu M. Lurio, sinistrum Arruntio commiserat : præfectoque vniuerso certamini Agrippa,ipse ei se parti reseruarat,in quam à fortuna vocaretur.Statilium Taurum terrestribus copijs,quæ LX. millia peditū erant, M.Titium equitum duodecim millibus præesse iusserat.Antonius autem centum & sexaginta nauium classem habebat, à quaternis in denos remorum ordines,adhæc turribus à prora & à puppi instructam:ita vt in mari veluti è muris pugnaretur.Huic viginti millia peditum,sagittariorum duo imposuerat. Dextrum cornu Antonius cum L. Gellio

Poplicola,ſiniſtrum C.Cœlius Caldus,mediam aciem M.Octauius,& A
M.Iuſteius regebant. Canidius exercitum terreſtrem,ſeptuaginta millia peditum & decem equitũm,ducebat. Quin & vela Antonius in naues ſuas ad omnem caſum expedita collocari iuſſerat: tanquam tacita diuinatione ad fugam non ad pugnam ſe prępararet. Atque hinc quoſdam malè ominantes dextra interpretatione eluſit, ideò ſcilicet hoc ſe iubente factum,ne quis hoſtium fuga elaberetur. Fama tenet Antonij Prætoriam inauſpicato admodùm omine Echeneida piſciculũ adhærendo,immobilem detinuiſſe: ipſumque Antonium,dum milites exhortari feſtinat, coactum in aliam tranſcendere. Antonij itaque claſſis intra ſinus Ambracij fauces in procinctu ſtabat: ex quatuor in Auſtrũ B
ſtadijs patebant:præcingebantur ab ortu promontorio Apollinis Actij templo ea tempeſtate nobili. Hîc quum diu conſtitiſſent Antoniani, ſæuoque imbri & grandinoſa procella exagitarentur; demùm vbi lenita eſt vis venti, vix tandem ſuperatis faucibus tardiſſimè, nec ſine maximo labore naues in altum moliebantur,vt mole ſua ſegnes,ita & à ſocijs naualibus claudas maleque inſtructas. Ipſa quoque Cleopatra, cuius Prætoria purpureis velis inſignis erat,cogere agmẽ viſa eſt. Cæſar verò poſtquam ab Antonianis nihil aut quàm minimum promoueri conſpexit,cumque iam meridies inſtaret, nec hoſtis appropinquaret, ipſe occaſione pugnandi lætus & in altum prouectus, quanta poteſt C
celeritate cornua diducit. Agrippam autem æqua fronte ad pugnam procedere iubet:ſic fore ſperans,vt immobiles Antonij naues multitudine ſuarum & agilitate circumdaret, aut ab ordinibus diuelleret, aut certè deterſis à latere remis mutilaret.Quod vbi vidit Antonius,veritus ne circumueniretur,& ipſe à ſiniſtro cornu mouere cœpit. Poſtquam concurri & prælium miſceri cœptum,res minimè nauali pugnæ,ſed vrbium oppugnationi ſimilis viſa eſt. Antoniani namque ob altitudinẽ nauium,qua Cæſarianas ſuperabant, grauiores ác pondere ipſo libratiores ictus ſupernè ex turribus & propugnaculis mittebant: contrà Cæſariani vana plæraque, vtpote ſupino iactu tela in locum ſuperio- D
rem iaciebant.Sed quum Cæſar nuſquam non inſtaret,& remiges militesque ad pugnam accéderet, in altera verò parte præter milites nihil appareret,mox porrigente ad circundandos hoſtes dextrum cornu Agrippa,ſimiliter & Poblicola ſuos promouere extendereque coactus, à media acie diuulſus eſt: Arruntioque, qui ſiniſtrum Cæſarianorum cornu regebat,acerrimè vbique occurrente,iam totis ſimul claſſibus ab omni parte pugna conſerta erat, & neutro adhuc inclinabat victoria, quum Cleopatra ſexaginta nauibus fugam occupare viſa eſt. Quam poſtquam Antonius vela dantem aſpexit,ſublatis & ipſe partim dolonibus

PROELIVM NAVALE AD ACTIVM.

A nibus, (id veli nomen est) proditor desertorque suorum Cleopatram fugientem sequutus est: ventoque vsus secundo Peloponesum versus, quò Regina præcesserat, cursum intendit: eamque assequutus, & ab eadem exceptus, seu præ stupore, seu mentis consilijque ob res perditas inops, in proram se condidit: vbi mœsto per triduum silentio obtorpuisse, ita vt ne oculos quidem attolleret, donec naues Tenarum appulissent, memoriæ proditum est. Antoniani ab imperatore suo tam turpi ludibrio deserti, nec hortante vllo, nec imperante, pertinaciter, vtpote desperata victoria, in mortem dimicabant: quos Agrippa vbi obstinatos vidit, ignem nauibus inijci iussit. Tum demùm, quum magis B ad incendium quàm ad prælium trepidaretur, vinci Antonianorum pertinacia cœpit. Cæsar perculsos quidem, neque interim à prælio abstinentes verbis mulcebat, ostendens fugisse Antonium, clamitans rogitansque subinde, pro quo, & cum quo pugnam miscerent: num pro Antonio ipsorum desertore? num cum Cæsare ciuium conseruatore? At illi, cùm vsque in serum diei pro absente Antonio dimicassent, ægrè tandem summissis armis se victos fatentur, & prius veniam vitamque Cæsar ijs obtulit, quàm illis, vt ea peterent, persuaderi potuit. Cæsa eo prælio Antonianorum quinque millia; naues ferè trecentæ in potestatem venêre. Submissi qui Antonium & Cleopatram insequerentur, C extremumque agmen vexarent; sed cùm diu quantum remigio contendere poterant insequuti, quia velis destituerentur, contento cursu fugientes assequi posse desperarent, tandem Prætoria Antonij capta & alijs aliquot depressis, incolumes ad Cæsarem reuersi sunt. Antonius quum Tenari in statione esset, cladem à suis acceptam, Cæsarē disiecta profligataq; classe ipsius maris imperio potiri nunciatur: ceterum XIX. legiones, X. millia equitum, quibus Canidius Crassus præerat, incolumes fidem non mutasse; & iam septimum diem ad eius imperium paratos obdurare. Tum demùm Antonius errorē suum & turpissimam fugam agnoscens, surdas aliquandiu ad omnia solatia aures, obstina- D tumque silentium tenebat: sed vinum, epulæ, Cleopatræ complexus, voluptatesque, quibus se immerserat, vsqueadeò mox hominē eneruarunt, vt magis præteritæ eum victoriæ, quàm præsentes tutarentur vires: quando eiusdem simul parta ac sperata decora vnius diei clades in perpetuum euerterat. Cæsar ab ea die, qui quarto Nonas Septembreis erat, singulare in Republica imperium accepit. Canidius fugacissimi ducis sui vestigia sequutus, noctu fuga præcipiti ad Antoniū profugit. Exercitus, postquam sacramento, quo ducibus fugitiuis obstricti erant, se solutos vident, desertos se & destitutos indignantes, in Cæsaris sese fidem clementiamque tradidêre. Cæsar pauca de sua lenitate

MONARCHIAE CAESARIS AVGVSTI INITIVM.

tate apud Antonianos locutus,quo minore essent in metu,omnes con A seruauit: militibusque suis, ne qui eorum violarentur edixit: tantaque victoria potitus Apollini Actio triremes nauesque, vsque ad decem remigiorum ordines,captiuas consecrauit:temploque ampliori,& augustiori ipsi construi iusso,ludos quoque Scenicos & Circenses,ac sacrum quinquennale quod Actium dictum est, instituit: oppidumque in occidentali sinus Ambracij littore (vbi castra habuerat) quod à victoria

NICOPOLIS COLONIA.

sua Nicopolim vocauit, exædificari iussit: atque vt nouam vrbem colonorum frequentia ornaret, celebraretque, ciues vicinarum septem vrbium, quæ olim floruissent, sed bellorum cladibus prostratæ incultæque iacebant,in eam coloniam deduxit: Nicopolitas iure Latij,& li- B bertate donatos in Amphictionum (quo nomine commune totius Græciæ concilium vocabatur) numerum referri haberique iussit.

Cæsar post victoriam M.Agrippam cum veteranis ex omni militum numero selectis in Italiam,ne qui motus noui inualescerent, præmisit; ipse Athenas profectus,illinc in Samum insulam in hiberna se recepit: & Græciam, quæ seruilem in modum ab Antonio vexata,tributisque exhausta fuerat, recreauit & libertate donauit. Cassius Parmensis,qui fractis ad Actium Antonij opibus, Athenas confugerat, Cæsari proditus; mox & P.Turulius ex Co insula eôdem attractus,vltimas vterque parricidij pœnas dedêre:vti ante duodecim annos C.Trebonius in Asia C primus dederat. Auctores habeo,qui Cæsarem victoria clementissimè vsum adfirmēt:Dio tamen scriptum reliquit,Aquillios Nigros,patrem & filium pro vita rogantes sortiri iussisse, vt alterutri concederetur: tradit adhæc vtrumque morientem spectasse, quum filio qui se obtulerat occiso,pater præ dolore voluntaria nece occumberet. Cæsar interea Agrippæ literis turbatus de seditione veteranorū, præmia & missionem contumacius q̃ militarem disciplinam decebat poscentium;

IMP. CAESAR IIII. M.LICINIVS CRASSVS COSS.

Italiam media hyeme repetit:quum paullò antè quartum Cōsulatum cum M.Licinio Crasso cepisset.In traiectu bis sæua & atroci tempestate conflictatus est· primò inter Rhion & Antirrhion,illud Peloponesi, D istud Ætoliæ promontorium: rursus dum Ceraunios montes superare nititur. Vtrobique pars Liburnicarum fracta depressaque est,multæ conquassatæ: & ea,qua ipse vehebatur,armamentis clauoque lacerato spoliata est. Vexata ad eum modum classe Brundisium appulit; ibique septem & viginti haud amplius dies,donec militum desideria ordinaret,commoratus,cursum in Græciam,vt Antonium bello prosequeretur, reflexit: & ne durissimo anni tempore tempestatibus circa Peloponnesum sæuientibus iterum conflictaretur, naues per Isthmum ad Schœmuntem(patet ea ceruix quinque millia passuum)plaustris trans-

ferri

A ferri iubet: vt Asiæ, Syriæq; circuitu Ægyptum peteret. Antonius dux alioqui segnis admodùm, nisi tot vndique tumultibus excitatus fuisset, ex Tenaro cum Cleopatra soluens, Cyrenen versus vela facere iubet: inde Cleopatram in regnum præmittit, ne quid Ægyptij, gens aliàs ad omnem occasionem mobilis & venalis, si de clade Actiaca percepissent, turbarent: verùm ab eadem molliter nimis & amatoriè auulsus, crebrò cum suspirio & gemitu è nauibus prospexisse traditur.

Cleopatra postquam in Ægyptum appulisset, ne quid ipsi de regia Maiestate decederet, victoriam mentita dominationè in suos acerbissimè exercere cœpit: & postquam in nobilitatem direptionibus & cædibus B crudelissimè sæuiisset, popularibus maximam pecuniarum vim imperat: præterea depositas antiquitus in fanis pecunias tollit: copias vndique & auxilia comparat: & vt Medorum quoque regem in nouam belli societatem contra Cæsarem officio priuato pertraheret, caput Artauasdis Armenij præcisum eidem dono misit. Deinde vt nihil, quod aut ad securitatem, aut ad fugam viam aperiret, intentatum relinqueret, arduum sanè opus & quod ægrè fidem apud posteritatem inuenturum sit, aggressa fertur. Memoriæ namque proditum, Isthmum illum trecentorum stadiorum, siue XXXVI. millium passuum, inter mare Aegyptium & sinum Arabicum, quo tanquam ceruice quadam C Aegyptus Asiæ connectitur, perfodere instituisse: atque ita classem è mari Aegyptio in mare rubrum, siue sinum Arabicum, cum vniuerso thesauro, & validis copiis traducere, atque ita per fugam bello & seruituti hostisque ludibrio se subducere. Alij tradidère, classem quam Cleopatra in fugæ subsidium in sinu Arabico fabricari iusserat, ab Arabibus, Q. Didij Syriæ præfecti consilium sequutis, incendio consumtam: hinc constituisse classem è mari Aegyptio terra per Isthmum iam dictum in sinum Arabicum moliendo traducere. Antonius interea quum ad littus Cyrenaicum in statione esset, nouásque per ignotas & longinquas regiones sedes quæreret, ad L. Pinarium D Scarpum præfectum, qui Africam cum exercitu Antonij nomine obtinebat, præmittit, qui adesse imperatorem nunciarent, proinde cum copiis ad ipsum properaret. Sed Pinarius iam fidem cum fortuna mutauerat, missos itaque ad se ab Antonio occidit. Antonius audita Pinarij perfidia consternatus, velis subductis Alexandriam versus cursum flectit: mox vt in ancipiti spe & metu omnem belli apparatum instruit, Paratonium in Africa, Pelusium in Aegypto firmissimis præsidiis præoccupat: sed ignauus dux omissa rursus rerum cura omnium, in summo luxu per conuiuia & voluptates, ac deinde, ex fatigatione magis & fastidio, quàm satietate earum,

in somno & desidia hiemem traduxit: præfectis itidem ipsius & militibus in eandem sese luxuriam, ad ducis sui exemplum, penitus sese effundentibus. Antonius igitur ocio & luxu diffluens, amore prætterea & voluptatibus ebrius, Antonium suum ex Fuluia filium, & Cæsarionem Cleopatræ ex Cæsare, etiamnum prætextatos in fatalem necessitatem præcipites agit: dum eos posita prætexta, togam virilem sumere, regésque & regni hæredes salutari curat: quod tunc intempestiuè & præmaturè acceleratum, iisdem haud multò pòst exitio fuit. Hinc cum Cleopatra fugæ consilium capit; vt si quæ vis grauior vrgeret, classe in Hispaniam fugerent; confirmatur consilium ratione, quòd Lucius Antonij frater, qui Hispanienses exercitus nomine Cæ- B saris ante rexerat, persuasisset, eos haud difficulter pecunia, muneribus, & militari qua valebat Antonius facundia, ad transitionem solicitari posse: adhæc mentiendo, iactandoque inuicem vires, quas non haberent, ex ingenio vano spe vaniore inflantur; altaque securitate vsqueadeò in voluptates immerguntur, vt perniciem, quæ à fronte à lateribus tam multiplici clade vrgebat, negligerent. Verùm interea vt Cæsaris animum ab omni suspicione auerterent, legatos mittunt; eos Cleopatra secretis mandatis, & vt fidem præstrueret, etiam muneribus, aureo sceptro, corona aurea & sella regia, quæ Cæsari ipsius nomine donarentur, instruit: summa legationis erat: Antonium pacem C à Cæsare istis legibus petere, vt sibi Athenis priuato viuere, Cleopatræ cum filiis in Ægypto regnare liceat. Interim & hoc legatis mandat, vt Cæsaris militem muneribus sollicitarent. Sed Cæsar nihil ad hæc Antonio respondit, siue quòd legatos (liberti enim erant) contemneret: siue quòd fraudem subesse suspicaretur. Cleopatram verò per Thyrsum libertum, quem & ipse cum secretis miserat mandatis, bono animo esse iussam in Antonij perniciem sollicitat.

PARAETONIVM CAPTVM

Interea Cornelius Gallus Cæsaris legatus Parætoniũ, eiecto Antonij præsidio, eiusque quas quattuor Pinarius duxerat, legionib. in fidem acceptis, occupasse nunciatur. Antonius eò cum exercitu classeq; properat, confisus se aut D militem donis corrupturum, aut Parætoniũ per vim recepturum; sed vtrumque frustrà tentatum. Nam postq̃ Antonius ad murum accessisset, milites alloquio & pollicitationibus, vt sperabat, ad se pellecturus, Gallus vt sensum aurium vocésq; confunderet, classicum canere iussit; deinde subita eruptione Antonianos incõposito agmine palatos adortus, multa cum cæde prosequitur, & vsque in castra profligat; eo tumultu verius q̃ pugna ad duo millia de exercitu Antonij cecidêre. Tertia inde luce Antonius vrbem nauali oppugnatione aggressurus, classem in Parætonico portu (patebat ille ad mare octo ferè millia)

nautico

A nautico instrumento instruit. Nec caruisset successu res tanto cœpta impetu, nisi Gallus per exploratores de Antonij consilio edoctus, portum quà faucibus iuxta oppidum sinuosè arcteque flectebatur, catenis altissimè demersis præsepsisset: præsidiumque simulato ob Antonij apparatum terrore intra muros callidè receptum, fiduciam classiarijs fecisset subeundi in locum insidijs præparatum: ibi mox attractis per machinas catenis, portus primùm ostia claudit: & vt catenæ hàc illàc variè & per obliquum sparsæ iacebant, ita adductæ modò singulas, modò plures suspensas à prora naues in puppim statuebant: deinde remissas subitò velut ex muro cadentes, non sine ingenti trepidatione nau-
B tarum, ita vndis affligebant, vt etiamsi rectà reciderent, aquæ plurimum reciperent. In eas ad hunc modum impeditas Gallus ex vrbe impetum facit. Tum verò maxima militum pariter nautarumque trepidatio coorta, cùm se mari terràque simul circumuentos cernerent: propugnatores telis obruerentur; socijque nauales militum officia pauore impedirent; claudæ mutilatæque naues partim deprimerentur, partim igne iniecto incendio consumerētur. Antonio tot simul rebus aduersis consternato, aliam super aliam cumulante in eius perniciem fortuna, noua & grauior clades tumultuosè nunciatur: Pelusium captum à Cæsare: ipsum infesto cum exercitu in Ægyptum terra marique PELVSIVM CAPTVM.
C inuasisse: socios reges, Herodem præ ceteris, fidem cum fortuna mutasse. Quidam tradidère, Pelusium annuente Cleopatra Cæsari à Seleuco præsidij regij præfecto proditum. Thyrsus enim libertus, vti diximus, à Cæsare Alexandriam cum mandatis secretioribus missus, Cleopatram vani & ambitiosi ingenij fœminam, amatorijsque præstigijs fidentē, & vnde vtilitas ostenderetur illuc noua semper mobilitate libidinem transferentem, splendidis promissis & vana spe præoccuparat: simulatoque adhæc Cæsaris in ipsam amore, eò facinoris miseram impulerat, vt proditis suis Antonijq; rebus, Cæsarē coleret. Hinc Antoniū mœsto silentio torpescentem, & mortem sibi consciscere paratum, L.
D Lucilius ne tristiorem rem quàm necesse sit faceret; néve grauius in se consuleret, consolatus est: hortatusq; ne qui Actiacæ ruinæ non succubuisset, ad minores calamitates animū summitteret: superesse validas in Ægypto copias, Cleopatræ opes & fidem ostēdit, pluraq; his similia prolixè & oportunè loquutus, effecit vt Antonius mutato consilio, postera die deductis quæ supererāt nauibus, relicto Parætonio Alexandriā repeteret: sperans se naualia Cæsaris castra cū leui præsidio relicta oppressurū; eiusdemq; militē longo itinere fatigatū & onere fessū à suis integris & refectis carpi deleriq; posse. Et iam Pharū classe tenebat, quum nunciatur Cæsarē ad Hippodromū ex via & itinere fessū, statiua habere: BELLVM ALEXANDRINVM.

prouolat itaque Antonius, infestoque agmine erumpens, & in Cæsarianos equites adhuc sudore madidos puluereq; squalentes & coopertos, & sparsim palantes inuectus, prosperam pugnam facit; disiectósque & in fugam effusos vsque in castra persequutus, C. Meuium Centurionem capit. Hinc maior Antonio quàm pro re lætitia: sed eò maior quòd inter assiduas clades ac lacrimas, vnum illud quãtumcunque ex insperato gaudium affulserat. C. Meuium, vt captiuum ostenderet, coram Cleopatra adducit: interrogat, ecquid de se statui vellet: tum ille; Iugulari me, inquit, iube: quia neque salutis beneficio, neque mortis supplicio adduci possum, vt Cæsaris miles esse desinam, & tuus esse incipiam. Antonius viri constantiam miratus, incolumem abire iussit. B
Prædicta itaque victoria impotenter elatus, copias educit: & dum nihil quà dolo quà virtute vincat intentatum relinquit, Cæsarem ad singulare certamen prouocat: vt duorum periculo, & alterutrius euentû de imperio decerneretur. Sed Cæsar nihil aliud respondit, quàm Antonio si despetet, vias ad interitum satis multas patere. Ad dolum itaque relapsus Antonius, sagittis libellos circumuoluit; has in Cæsaris castra iaculatus, oblatisque mercedis nomine senis sestertiûm millibus, militem ad transitionem sollicitabat. Cæsar eosdem libellos ad se delatos pro concione recitat; inuectusque acriter in insanabile Antonij ingenium, quo militum suorum animos tanquam ad omnem proditionem, perfidiamque venales sollicitabat; Irent, inquit, Dijs auctoribus, C
& tam sceleltam hostilemque de se Antonij opinionem fortitudine vindicarent: fidemque suam insigni hostium clade Imperatori suo liberarent; Præmia, agros, & quæ cetera sunt militiæ decora & commoda ex sua fide ampliora habituri, quàm quæ Antonij perfidia ex vano iactabat. hinc iusta ira suorum animos ad vindictam stimulabat. Proinde Cæsar vtendum militum ardore ratus, legiones in aciem producit: similiter & Antonius pugnandi potestatem facit. Cæsarianos ira, spes, ardor certaminis in prælium rapit. Antonianorum magnam partem necessitas & pudor inuitos resistere potius, quàm pugnam inferre D
cogit. Fusisque primo ferè impetu Antonianis, dum pars effusè ad vrbem, nonnulli in castra, alij aliò dilabuntur; Antonius in tumulum quendam fuga cum paucis delatus, quem tandem pugna euentum habitura esset obseruaturus; vbi classem, quæ ad nauale præliũ instructa parataq; in altum contra hostem prouehebatur, ad Cæsarem transire, omnemque simul spem fugæ, quam in Hispaniam destinauerat, intercisam vidit: proditum se à Cæsare clamitans, eique malum minatus, furens frendensque in vrbem citatis decurrit equis. Cleopatra, siue furorem Antonij (iræ namque impotentissimus erat) verita, siue vt in

A in gratiam Cæsaris eum, qui grauius in se consulturus videbatur, præcipitem impelleret, in Mausolæum, quod sibi sepulchrum sumptuosissimè extruxerat, sese condit: simul ad Antonium mittit, qui Cleopatram voluntaria morte seruitutem effugisse nunciaret. quo nuncio fractus Antonius, laudata interim mulieris fortitudine; sequor, inquit, te fugientem Cleopatra, appellansq; Erotem seruum, eundem vt sibi vltimam manum ex fide data commodaret, vrgebat. Ille dominum suum violare veritus, in gladium incumbens exemplò docuit, quid imitandum esset. Ita Antonius mancipij fortitudinem æmulatus, ventrem sibi non segniter confodit: morte scilicet voluntaria strennuaque
B præteritæ probra ignauiæ desidiæque redemturus, pariter & ab hostis se arbitrio ludibrioque vindicaturus. Sed leuior fuit ictus, quàm vt statim exspiraret: quare se in lectum prosternit. Hinc orto statim per totam vrbem tumultu, decumbenti inter maximos cruciatus superuenit missus à Cleopatra Diomedes, nuncians Reginã Mausolæo inclusam etiamnũ superesse. Antonius itaque quamprimùm cruore etiamnum & sanguine fœdus in Mausolæum delatus, multaque comploratione à Cleopatra exceptus, ægram animi verbis mulcet, afflictam consolatione erigit; monetque vt rebus vitæque suæ pro præsenti rerum necessitate, cum dignitate consuleret: fidemque C. Proculeij inter Cæsa- ANTONII MORS.
C ris amicos potissimum coleret; atque in ea verba inter eiulatus lamentationesque muliebres defecisse scribitur, quum annum ageret ætatis quinquagesimum, vel, vt alij sextum & quinquagesimum. Quod vbi nunciatum est Cæsari, lacrimis obortis in tabernaculum secessit; conuocatisque suis; Exemplum cernitis, inquit, insigne rerum humanarũ; iacet suis fœdissimè laceratus manibus, magno cum mœrore nostro, M. Antonius, collega, affinis, & nuper nobis tot victoriarum, tot curarum socius, fidem in pace nostram toties expertus; donec Ægyptia matrona fax illa pestisque Antonij, omnibus delinimentis animum eius à nobis auertit atque alienauit: intemperantiaq; libidinum effrenatum
D eò impulerit, vt fas, fidem, dexteras datas, necessitudinem, ipsos etiam Deos testes & arbitros conuentorum falleret: Fortunam deinde potius quàm rationem secutum, & minus iam sui compotem eousque à quietis consilijs exturbarit, vt post æquissima secundum ius fásque postulata, superbè violentérque dictis scriptisque elusa, bello etiam Populũ Romanum lacessendo, iusta nos & pia pro Republica arma mouere cogeret. Sed dum fortunam offerentem se non cohibet, quanto altius elatus erat, eò fœdius corruit. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim fortunæ metuo, nec præsenti credendum scio, neque in secundis rebus quidquam superbè ac violenter in quenquam

consulendum esse, nobis documento sit Antonius. Is demùm vir nobis omni laude maior sit, cuius animum nec prospera flatu suo efferent, nec aduersa infringent. Concilio dimisso, cura funeris & Cleopatræ custodia, ne quid ferox mulier grauius in se consuleret, néve regios quos condiderat thesauros corrumperet, C. Proculeio mãdantur; qui vt viuam præoccupauit, primùm ægrum mulieris animum tentare, in spem mentemque meliorem erigere, suadere vt seipsam spesque omnes suas in Cæsaris clementissimi fidem arbitriumque committeret. Missus & cum Proculeio Epaphroditus, vt simul intentissima cura viuam custodirent: ceterùm haberent colerentque quàm benignissimè & blandissimè; dumque illa inter cetera de filijs in reges recipiendis spem ex Cæsare sibi fieri cupit, Antonium vti regio apparatu condiret sepeliretque à Cæsare concessum respondent; ceterarum mandati nihil habere. Cæsaris itáque colloquium petijt; quod vbi Cæsari nunciatum est, vt eam ab animi ægritudine, qua contabescere dicebatur, reficeret, ad Cleopatram accessit: metuebat enim si Cleopatra sibi manus inferret, aut inedia seipsam conficeret, ne funere ipsius præcipium triumphi sui ornamentum subtraheretur. Intranti vestibulum pullata occurrit; Cæsar plorantẽ summittentémque se ad pedes sustulit, nec attingere sibi genua permisit. Tum Cleopatra, Omnia, inquit, vt in nos posses, Dij tibi Cæsar, virtusque tua & felicitas dedère: sed si captiuæ apud te vitæ necísque dominum, vocem supplicem mittere licet, per genium patris tui, eiúsque quas semper colui, & quas hîc conspicis imagine, qui nos in eo fastigio rerum, in quo paullò antè fuimus collocarat: per huiusce regiæ deos, qui te melioribus ominibus accipiant, quàm Antoniũ hinc miserunt, precor quæsoque, hanc supplici veniam des, vt ipse quodcunque fert animus de me captiua statuas; filios tantùm meos regnare patiaris; neque me in Populi Romani superbum ac crudele spectaculum ludibriúmque traduci patiaris: si nulla alia re poteris, morte me saltem, patris tui manibus hac dextera tua vindices à tam crudeli seruitute oro obtestórque. Versa dehinc ad solitas artes, illecebris blanditijsque continẽtiam Cæsaris percellere conatur. Ceterùm Cæsar eam bonum animum habere iussit, venisse in eius potestatem, qui beneficio quàm metu obligare homines malit: exterásque gentes fide ac societate iunctas, quàm tristi seruitio subiectas habere potius ducat. Nec plura loquutus discessit, curam cultúmque Cleopatræ impensius custodibus commendans. Cleopatra vt animaduertit Cæsarem nec proiectis vsqueadeò lacrimis, nec miserabili oratione emollitum, necquidquam sibi præsidij in fucato petulantiæ illecebrarumque artificio apud hominem pudore continentiáq; obfirmatum: sese

A sese ad ludibrium, superbósq; vultus Populi Romani ad triumphum,
videlicet rem omni morte tristiorem seruari, impetum moriendi ca-
pit. Mox per internuncium Cornelij Dolabellæ Cleopatræ amore cap
ti certior facta, Cæsarem in Suriam post triduum profecturum; ipsam
cum liberis in Italiam classe mittendam; haud vlterius cunctandum ra
ta, quum se incautius iam custodiri obseruarique videret, venenum,
quod ad incerta fortunæ talesque casus multò antè præparauerat, hau-
sisse scribitur. Annum tum agebat vndequadragesimum. Genus mor-
tis incertum auctoritas tradentium facit. Sunt qui aspidem ab ipsa la-
cessitam mordicùs brachium eius vulnerasse prodant; eiusque vene-
B ni virus sopore sudoreque in mortem soluere; alij aliter tradidêre. Cæ-
sar verò quamuis eius decessum molestè ferret, ita vt & Psyllos admo-
ueret, qui venenum ac virus exsugerent; animi tamen eius generosi-
tatem admiratus, & quòd id ipsum per litteras obtestata fuerat, corpus
eius apud Antonium splendidè & regaliter condi, ac tumulum ab ipsis
inchoatum perfici iussit. Antyllus Antonij filius per Theodorum, Cæ-
sarion per Rhodonem pædagogos proditi, quia in regni successores (vt
diximus) cooptati erant, ne quid ipsorum caussa noui oriretur, inter-
fecti sunt: reliquos Antonij ex Cleopatra liberos, Alexandrum, Cleo-
patram, Ptolomæum benignè liberaliterque habuit; ac mox pro con-
C ditione cuiusque educauit; curaque omnium Octauiæ commissa fo-
uit. P. Canidium, vt semper infestissimum ita & Antonio infidum,
& Q. Ouinium, qui senator Romanus Cleopatræ ad vilissimi manci-
pij obsequium se submiserat, occidi iussit. Alexandriam ingressus
victoria clementissimè vsus, primùm ciues pauore metuq; humi pro-
stratos bono esse animo & exsurgere iussit: mox omnes noxa se libe-
rare pronunciat: primùm Alexandri conditoris caussa, deinde magni-
ficæ vrbis miraculo commotum; denique vt humanitatis studio fauo-
rem suum testaretur, idque in gratiam potissimum Arij philosophi,
cuius precibus & alios complures condonauit. Antonij statuæ deiectæ
D sunt. Archibius, ne Cleopatræ conuellerentur, HS. quadringenties re
demisse proditur. Alexandriæ subsistens, inter cetera Alexandri mag-
ni corpus, quod aromatibus conditum hucusque per trecentos ferè an-
nos perdurauerat, cum conditorio & penetralib. proferri ac sibi osten-
di voluit: corona deinde aurea imposita, ac floribus aspersis, honore ve
neratione que prosecutus est; interrogatusque num & Ptolomæum in-
spicere vellet, Regem, inquit, se videre voluisse, non mortuos, quorum
gloria ob desidiam in obscuro & cum cadauere sepulta iaceret. Cæsa-
rem semper per bella ciuilia Sphyngis imagine signasse, duosque eius-
dem notæ annulos, alterum Agrippæ, alterum Mæcenati commisisse,
vt

CLEOPATRAE MORS

ALEXANDRIA RECEPTA.

AEGYPTVS CAPTA.

vt ipſi in ijs quæ ad Senatum ſcriberet, reſignatis literis ipſius inducerent, aut pro ſuo iudicio mutarent, quæ pro rerum ſtatu è Republica viderentur. Ceterùm poſteaquam Alexandri corpus oculis ſubieciſſet, imagnem ipſius Alexandri exprimi in gemma iuſſiſſe: eaque deinceps in ſignando vſum; quoad inclinata iam ætate, ſua imagine Diomedis manu inſculpta ſignare cœperit. Lagidarum gens, quæ Ptolomæi prænomine ſemper vſa fuit, quinquageſimo anno ab Alexandri morte amicitiam ſociali fœdere cum Populo Romano iunxerat: eandemque comiter conſeruauit, & in ſummo fortunæ culmine ad vltimum vſque in Cleopatra finem, centum quinquaginta annis Ægypti regnum obtinuit. Primam namque cum Populo Romano iunxiſſe ſocietatem in annalibus inuenio Ptolomæum Philadelphum, anno ab vrbe condita octuageſimo ſupra quadringenteſimum, C. Fabio Durſône, C. Claudio Canina Coſs. Exſtincta itaque gente regia, Cæſar victoriam ſuam proſecuturus, Ægyptum ordinauit, atque in prouinciæ formam redegit; ſtipendiariamque & vectigalem eſſe iuſſit. Legiones duas, tertiam videlicet cognomento Cyrenaicam, & viceſimam ſecundam Primigeniam Piam Fidelem; totidem & equitum turmas, nouemque cohortes, quæ gentem licentia opum ad res nouas mobilem armorum metu in otio atque officio continerent, impoſuit: ijſque legionibus ſtipendium; populo verò Romano tributi nomine preter vectigal ſeſtertiûm octies millies, frumentique centies millia modiûm in ſingulos annos pendere iuſſit. Adhæc ne quid res compoſitæ turbarentur, néve gens leuiſſima oblato duce arma induere poſſet, cauit ne Senatum, nec plebis concilium, nec vllum omnino magiſtratum de ſuis ciuibus haberent aut crearent. Et quia præuidebat, quiſquis eam prouinciam clauſtraque terræ ac maris vel leui præſidio inſediſſet, poſſe facilè prouinciam etiam aduerſus ingentes exercitus tueri, edicto cauit, ne quis Senator, aut Eques Romanus, niſi ſe conſcio Ægyptum ingrederetur: quodque Senatorij ordinis potentiam ſuſpectam haberet, ſtatuit non niſi ex Equeſtri & medio ordine Præfectos eóſque annuos, ne diuturnitate potentia inualeſceret, Ægypto dandos; qui Prouinciæ præſiderent, & apud quos lege ageretur, & quorum decreta parem vim haberent, ac ſi Magiſtratus Romanus ea conſtituiſſet: primumque Ægypto præfectum dedit Cornelium Gallum. Mox vt prouinciam feraciorem, oportunioremque annonæ redderet, foſſas omnes in quas Nilus exæſtuat limo vel longa vetuſtate regumque negligentia obſtructas, militari opere detexit. Ceterùm vt victoriæ ſuæ etiam in Ægypto monumentum exſtaret, Nicopolim quatuor ab Alexandria millibus ad Canopicam foſſam condidit, eo loci quo Antonium ſupremo prælio frege-

AEGYPTVS PROVINCIA.

NICOPOLIS AB AVGVSTO CONDITA.

A fregerat: ciuitatemq; libertate donatam, & ludis eisdem cum Actiaca Nicopoli instructam, magnificè & splendidè coluit. Interea in vrbe nunciatur mors Antonij ea parte anni, qua Cæsar M. Ciceronem Oratoris filium ex Idibus Septemb. collegam sibi cooptauerat. Digna res visa antiquitati quę obseruaretur, quòd filius suo in Magistratu patris percussorem vlcisceretur. Senatus enim Antonij statuas, Cicerone referente, conuelli, deijcique iussit; adiectaque insuper nota gentilicia, decreuit, ne quis ex gente Antonia Marci prænomine deinceps vteretur. Cæsari cōtrà ob victoriam supplicationes, & de Regina Cleopatra ex Ægypto triumphum, coronas quoque Obsidionalem & Ciuicam, B honoresq; alios decreuerant. Ciuicam quidem, siue Querceam, ob tot ciues clementia ipsius seruatos: Obsidionalem autem, quâ nulla nobilior, nulla carior, non minori ipsius merito; profligato videlicet atrocissimo teterrimoque bello ciuili; Antonio peste patriæ importunissima, domino Reipublicę crudelissimo (cuius sęuitiam non mors tot innoxiorum, auaritiam non bona tot proscriptorū satiare poterant) non solùm à ciuium ceruicibus depulso, sed & in perpetuum debellato, extinctoque: denique consilio, opera, virtute, clemētia, & mansuetudine ipsius, restituta ciuitati vnà cum Libertate & Salute Concordia, armis victorijsque Cæsaris Pace terra mariq; parta, imperioq; Orbis & Vrbis C à seruitute vindicato. Fuit & fortuna & lenitate Cæsaris dignum; quòd nemo illorū, qui ciuilia contra eum arma sumserant, ab eo iussúve eius interemtus sit. D. enim Brutus, quem Cæsar incolumem dimiserat, Antonij crudelitate occisus est. Sex. Pompeium à Cæsare victum, idem Antonius, cùm dignitatis quoque seruandæ fidem dedisset, vita priuauit. Brutus & Cassius anteq̄ victorum animos experirentur, voluntariam mortem sumsêre. Antonij Cleopatræq; exitum narrauimus. Dum Cæsar belli Actiaci Alexandriniq; victoriam prosequitur, M. Lepidus, Lepidi eius qui triumuiratu exutus fuerat filius, Iunia Bruti sorore natus, res nouas moliri defertur; occultis insidijs vitam Cęsaris petiturus D captato tempore quādo in vrbem reuersurus esset: iampridem semina belli ciuilis clandestinis consiliis accelerari. Præfectus vrbi tum erat C. Cilnius Mæcenas, Equestris ordinis & splendido genere natus: is hanc procellam imminentem dissimulatione, pręcipitem iuuenis audaciam cunctatione, faces ciuilis belli instantis nulla cum perturbatione aut rerum aut hominum extinxit, oppressitque: ita vt Lepidus maturè oppressus malè consultorum pœnas exsolueret. Seruilia Lepidi vxor, Porciæ Bruti exemplum secuta, castissimum amorem desideriumque coniugis testata, deuorato igni viuo, quia ferrū nō dabatur, prematura morte sempiternam laudem consecuta est. Ordinata prouincia Cę-

M. TVLLIVS CICERO COS. SVF.

CORONA CIVICA CAESARI DATA.

sar in Suriam cum exercitu proficiscitur; venienté Herodes Rex regio A
apparatu excipit,& proficiscenté similiter prosecutus est: multa in eo & dexteritas &humanitas; quæ cõmendabilia apud Cæsarem erant, principem sicut ad cetera egregium, ita à comitate, quæ sine luxuria esset, non auersum. Cõmeatus passim quà iter erat exercitui, ab Herode benignè apparatos, pontes in fluminib. factos, vias vbi transitu difficiles erant, munitas, vbi arena sitiq́ue squalidę, potu pręparato recreatas, gratum acceptumq́; habuit. Inde Apolloniam vsque prosequente semper & omnia præparante rege peruentũ est. Cum eo Cæsar vt cum socio atque amico fœdus iunxit; magnisq́; tum muneribus & regni parte, quam Cleopatræ Antonius prius dederat, adiunctis & aliis aliquot oppidis ornauit. B
Tyridates sub hæc, qui res nouas in Parthia molitus, bellum ciuile mouerat, à Phraate Persarum rege victus, profligatusque Apolloniam ad Cæsarem supplex, vt in deditionem reciperetur, venit. Phraates legatis eôdem missis Tyridatem sibi dedi postulabat. Sed Cæsar legatis cum benigno responso ad regem remissis, Tyridati quidem auxilium non promisit; ceterùm vt in Suria versaretur permisit: filiumque Phraatis ab eodem acceptum, Romam secum velut obsidem duxit; quoad Parthi signa, quæ Crassi, Antonijque cladibus cepissent, redderent. Cæsar Apollonia soluens in Samum vela facit; ibique quinctùm consulatum collega Sex. Appuleio sumsit. Hinc C
Asiam ordinat: Amyntam Galatiæ, Archelaum Cappadociæ, Philadelphum Paphlagoniæ reges, qui ante Actiacam pugnam ad ipsum transitionem fecerant, socios & amicos salutat. Lycomede verò Cappadociæ Ponticæ regno exuto, in eius locum Medeum, qui Mæsios ne cum Antonio societatem coniungerent distinuerat, regnare iubet. Artauasdæ Medorum regi, qui' à Partho victus ad Cæsarem fugerat, Iotapen filiam Alexandro Antonij filio desponsatam, sponte reddidit. Ceterùm Artaxæ, qui successor patris Artauasdæ Armeniam regebat, fratres, quos Antonius velut obsides detinuerat, quantumuis petenti non remisit; quòd is milites Romanos, qui post Antonij fugam in Armenia remanserant, trucidari iussisset. Ephesiis & Nicæensibus petentibus permissum, vt templum Diuo Iulio, & vrbi Romæ conderent: similiter vt sibi & Vrbi aliud statueretur Pergamenis & Bithynis concessit. Hinc Samiis libertate donatis, ceterisque rebus constitutis, in Italiam reuersus, Brundisij quum exscensione fecisset, omni multitudine obuiam effusa, faustis acclamationibus, omniumque fauore excipitur: nec salutasse contenti, dextram etiam victricem Imperatoris, militúmq́; eius pro se quisque contingere contendentes, votis etiã pro reditu & salute eius se vltrò obstringebant; gratiásq́; agebant, D
quòd

IMP. CAESAR V. SEX. APPVLEIVS COSS.

A quòd eius opera incolumis saluaque staret Respublica. Ad hunc modum per Italiam pace non minus, quam victoria lætam, effusis non modò totis vrbibus ad habendos ei honores, sed & agrestium turba vias passim obsidente, Romam venit. Potitus Valerius Messalla ex Kalendis Iulijs in Appuleij locum suffectus, ipso Magistratus initi die, nullo quidem exemplo, sed ex S. C. pro Imperatore Cæsare operatus vota soluit; quòd Dij fausto ipsius reditu, felici belli euentu, matura ex hostibus victoria, Rempublicam conseruassent. Sacris ritè peractis, Cæsar triumphali ornatus habitu è suggesto militibus pro suo cuique merito virtutis ergo dona militaria largitus est: quique in be-
B neficijs ad ærarium deferrentur, assignauit, ijsdemque pecuniam ex præda & manubijs distribuit; singulis ducentos quinquagenos denarios, duplum centurioni, triplum equiti: stipendium quoque militare & frumentum duplex post triumphum datum est. Populo verò congiarij nomine quadringenos nummos dimisit; ne præteritis quidem, in gratiam Marcelli sororis suæ filioli, minoribus; qui aliàs non nisi ab vndecimo ætatis anno accipere consuessent. Triumphauit per triduum: primo die de Pannoniis, Delmatis, Iapudibus, Illuricis, Salassis, Morinisque Galliæ, tum de Sueuis Germaniæ populis. Morinos C. Albius Carrinas, cum reliquis eius gentis populis, qui armis
C sumtis etiam proximos in societatem belli pertraxerant, prælijs aliquot profligatos, agrorumque populatione, vastationibusque multatos, imperata facere coëgerat. Sueui in Gallicum agrum se latissimè populando effuderant, ingentem cladem, fugam, terroremque passim circumferebant; ferro flamma cuncta vastabant: rapit celerius agmen Carrinas, ad prohibendos à populationibus socios; Sueuosq; præda præpeditos & palantes aggressus, multa cum cæde profligat: dissipatosque eodem impetu persecutus castris exuit: grauissimisque aliquot cladibus ad deditioně coactos, in Gallia proximisq; Rheno agris collocat. Hinc & hæc victoria in titulis Cæsariani triumphi ad scripta PANNONICVS ET DELMATICVS TRIVMPHVS.
D est: Quòd Imperatoris Cæsaris auspicijs, & in eiusdem prouincijs Carrinas rem benè gessisset. Carrinatis pater Sullana proscriptione interfectus fuerat; ea clades filium iure honorum ex lege lata priuabat. Ceterùm benigniori fato seruatus, Consul in locum Cæsaris, quum primo se consulatu abdicasset, factus est: & postea ob rem contra eas quas iam diximus, gentes benè gestam, communem cum Imperatore suo triumphi honorem habere meruit. Cæsar itaq; ornatissima instructissimaque cum pompa & apparatu vrbem inuectus, octauo Idus Sextileis de gentibus, quas enarrauimus, triumphum duxit: nec longo post eum interuallo & C. Albius Carrinas de Gallis, Morinis, & Sueuis. TRIVMPHVS CARRINATIS DE GALLIS

Currum Cæsaris tam hoc triumpho, quàm duobus sequentibus, Valerius Messalla tum ipsius in consulatu collega, cum reliquo Magistratu Senatoribusq; sequebatur, qui in pompæ ordine aliâs anteire solebant: eos legati & tribuni in equis, & exercitus victor laureatus pedibus, cum cantu & inconditis quas iaciunt vocibus, affectabantur. Inter ceteros Messalla Coruinus qui Salassos, Statilius Taurus qui Delmatas domuerant, equis in toga triumphali vecti, omnium oculos in se conuertebant. Imperator ea pompa per vrbem in Capitolium vectus, taurum immolauit; sacrisque peractis, & donis dedicatis, Magistratum Senatumque splendido epulo excepit. Secundo autem die Actiacum A

ACTIACVS TRIVMPHVS

egit triumphum; quo naualis ad Actium pugnæ simulachrum inter pompæ triumphalis fercula transuectum, & Alexandrum Arabiæ Petreæ regem inter captiuos ante currum ductum legimus. Hunc Alexandrum Herodes nullis à Cæsare precibus impetrare potuit; quòd is Antonio, vt in Cæsarem contumeliosè petulanterque declamaret, linguam semper venalem habuerat: eum itaque post triumphum in carcerem retrusum, postea etiam necari iussit. Suetonius auctor est. Actiaco triumpho Cæsaris currum comitatos Marcellum Octauiæ filium, & Tiberium Neronem iam pubescentem; hunc sinisteriore equo funali, illum dexteriore vectum. Sed omnium præ reliquis in se oculos B conuerterat M. Agrippa; qui corona rostrata insignis, vexilloque cæruleo ob naualem victoriã à Cæsare donatus, inter ceteros equo sublimi vectus eminebat. Hunc frequens populus gratulabundus cum lætis faustisque acclamationibus, non sine plausu & laudum cumulatione, haud secus quàm ipsum Cæsarem vsque in Capitolium prosecutus est. Auctores habeo, qui & ipsi Agrippæ concedente Cæsare triumphum ex Actio decretum fuisse tradant. Ceterùm vir moderatus & prudens, quantum rebus bene gestis, & gloria belli excellebat, tantum honore & modestia Cæsari cessisse, & illustri in suum Imperatorem fide, & apud suos ciues meritorum fama contentus fuisse tradi- C

TRIVMPHVS EX AEGYPTO

tur. Tertio die Cæsar ex Aegypto de regina Cleopatra triumphum duxit omnium ornatissimum, splendidissimumque; vtpote Nili capti, oppidorumque & præcipuè Alexandriæ, Pelusij, Paratonij simulachris conspicuum; spolijs præterea, coronis aureis, auro, argento facto, infecto, cælato, signatoque: signis aureis, argenteis, marmoreis & eburneis, tabulis pictis, atque omnigeno apparatu & ferculorũ varietate instructissimum. Ante currum inter ceteros captiuos ducti Cleopatræ liberi gemelli, Alexander cui Solis, & Cleopatra cui Lunæ nomen parentes indiderant. Ipsius Cleopatræ reginæ imaginem ad viuum expressam, cuius sinistro brachio aspis mordicus affixà hære- D

bat,

A bat, in hoc triumpho translatam fuisse auctor est Plutarchus. Summas auri argentique apud scriptores relatas non inuenio: ceterùm gazam regiam triumpho Alexandrino vrbi inuectam, tantam rei nummariæ copiam fecisse, vt statum quoque ciuitatis hactenus angusta fide laborantis moneret, res inter se contrahendo, vendendo emendo, mutuum dando, creditum soluendo: ita vt fœnore à dextantibus ad trientem diminuto, plurimũ agrorum preciis accresceret. Cæsar quo omnibus ordinibus liberalitatem suam, tantæque victoriæ fructum cõmunicaret, quidquid tributorum ciuilium bellorum necessitas imperauerat, remisit, facto etiam sine conferendorum: æs alienum, & cir
B cumforaneum, quod grauissimũ propter bellorum assiduitatem conflatum fuerat, dissoluit: vsum pecuniæ gratuitum, & sine fœnore, ijs qui cauere in duplum possent, ad certum tempus indulsit; aurum coronarium, quod cumulatè ab Italiæ ciuitatibus post victoriam oblatum erat, pergratam sibi eorum voluntatem professus, honore contentus non accepit. Dedicata deinde curia Iulia, eademque spoliis Ægyptijs opulentissimè exornata, auream Cleopatræ imaginem in templo Veneris Genetricis consecrasse proditum memoriæ est. Ludos deinceps omnis generis apparatissimos magnificentissimosque edidit, scenicos & Circenses; spectacula præterea varia & inusitata; munera LVDI CIRCENSES.
C quoque gladiatoria & certamina varij generis exhibuit. In his & Troiæ ludum habito delectu maiorum minorumque puerorum, qui ludicra decursione in circo ex antiquo instituto duplici turma inter se decertarent; ac per ea veluti tyrocinia innotescerent. Turmæ maiorum ductor Tiberius priuignus, minorum Marcellus erat. In hoc certamine C. Nonium Asprenatem lapsu equi excussum debilitatumque aureo torque donauit; concesso insuper vt ipse posterique eius Torquati cognomine vterentur. Cumque Q. Vintelius Senator, homo probris coopertus, & ad seruile vsque ludibrium proiectus, muneris die in arena vt munerarius depugnasset, Cæsar ne amplissimus ordo, néue me
D dius sese ad tam probrosum dedecus proijceret, ad Senatum retulit: eoque referente S. C. factum: Ne quis Senatorij aut Equestris ordinis pugnandi causa in arenam prodiret. Rhinocerotem apud septa spectandum & conficiendum proposuit: itidem & Hippopotamum temporario euripo. Quidam auctores sunt, vtramque feram nunquã antea Romæ visam, à Cæsare tunc primùm in vrbe publicatam, & spectaculorum die confectam: sed eos incuriæ Annales coarguunt, qui Pompeij Magni ludis Rhinocerotem, M. verò Scauri ædilitate Hippopotamum & quinque crocodilos productos produnt. Quum Statilij Tauri Amphitheatrum, quod ille suis sumtibus in campo Martio

spectatorum nouaginta millium capax exstruxerat, dedicaretur, præter A
gladiatorum centum paria, venationesque quas ædidit varias, etiam crocodilos exhibuit magnitudine & miraculo conspicuos. Belluã namque feritate rictuque terribilem, squammis velut lorica vnguibusque armatam, triginta pedes longam, Tentyrita dorso equitantium modo inuectus regebat: vocisque imperio territam, gladiatorum quæ paullò antè deuorauerat, bina corpora euomere cogebat. Dum mentes ea spectaculorum varietate, oculique omnium tenerentur, litteræ à M. Crasso laureatæ afferuntur: Confectum esse formidolosissimum cum gente ferocissima bellum. Bastarnas Scytharum gentem, quæ superato Æmo monte in Thraciam Dentheletarum Sitæ socio Po. Ro. oculisq; B
vrbato parentem effuderat, auspicijs Cæsaris Crassique ductu expulsos ac profligatos: Segeticam ex itinere expugnatam & in potestatem redactam; factoque in Mæsios impetu, agrum eorum longè lateque populationibus vastatum, barbaros qui siluis sese & rupibus condiderant, fumo flammaque deletos. Mæsijs ea clade castigatis, Bastarnarum vestigijs institisse; factaque pugnandi potestate Deldonem ipsorum regem Crassi manu trucidatum: potuisse opima referre spolia, nisi Cæsaris auspicijs non suis rem gessisset. Bastarnas bis prælio multisque cladibus fractos in ditionem venisse. Cæsa barbarorum viginti millia. Fidum fuisse in eo bello Po. Ro. socium Rholen Getarum regem. Mæsios C
etiam pacis leges accepisse: Odrusios, Thracas, qui ex Mæsia redeunti infestum iter fecissent, armis edomitos. Accersitum deinde à Rhole amico fœderatoq; ad Dapygem Getarum regem, qui hostiliter in eum mouerat, reprimendum; cum legionibus profectum: Dapygem congredi ausum immisso equitatu profligatum, fugaq; in castrum quoddam delatum; rebusque suis & opibus ad desperationem fractis, vim sibi intulisse. Eodem belli impetu & alios Getas qui sub Zyrapis imperio erant deuictos; oppidum eorum Genuclam, quod firmo præsidio tenebatur, magno militum labore & pertinacia expugnatum; signaque militaria, quæ Bastarnæ victo ad Istrum C. Antonio, eo in oppido hactenus seruarant, recepta. Cæsa Getarum XXXV millia, Odrusiorum X millia; legiones Romanas victrices peragrata Mæsia, Dacia, ac D
Thracia vniuersa, incolumes superesse: petere vt pro rebus ab se fortiter feliciterq; gestis, Dijs immortalibus haberetur honos, & ipsi triumphanti vrbem inire liceret. Litteris in Senatu recitatis, non solùm Crasso, sed & Cæsari supplicationes & triumphus decretus est. Crassus nomen Imperatoris, quo milites eum salutarunt, cuius & Patres auctores facti erant, non accepit. Sed Cæsar quòd suis auspicijs, suoque imperio ea victoria parta esset, id vsurpauit; & Imperator VII. à Senatu salutatus

RES IN THRACIA GESTAE.

A lutatus est. Crassus tamen Procos. ex Thracia, & de Geteis anno insequenti Nonis Iul. triumphauit. Relatum deinde in Senatu à Valerio Messalla Consule de templo Iani claudendo, pacatis toto terrarum orbe gentibus, & Pace terra marique Cæsaris virtute Po. Ro. parta: ex S.C. itaque intra sexcentos & octoginta duos annos Ianus tertiùm ab Imperatore Cæsare clusus est, postquam plusquam ducentos patuisset annos. Cæsar hoc in consulatu postquam morum legumque regimen in decennium accepisset sine censurę tamen honore, censum P. R. egit & lustrum fecit; assumto sibi collega M. Agrippa. Senatũ quoque sine asperitate, sed non sine seueritate legit: affluentemque senarorum numerum deformi & incondita turba (erant enim supra mille, & in his quidam improbissimi, qui post cædem Cæsaris per gratiam & præmium irrepserant, quos vulgò abortiuos vocabant; quòd viriorum turpitudinem senatoria dignitate veluti fuco velarent) ad modum pristinum & ad priorem dignitatem redegit: mouitque Senatu ducentos; è quibus quinquaginta, quos ad excusandi se verecundiam compulerat, sponte cessere; ita tamen vt insigne vestis senatoriæ siue lati claui, præterea ius petendi honores, spectandi in orchestra, epulandique publicè ludorum vel triumphorum diebus, iisdem permitteret. Ceteros centum quinquaginta, quia in culpa hærebant, & clam admoniti sponte non cessissent, è Senatu eiecit. C. Furniũ & C. Cluuium etiamsi consulatũ nondum cepissent, sed quòd Consules designati alijs locum occupantibus Magistratum gerere non potuissent, inter Consulares adlegit. In Equestri ordine censendo, plærisque qui attrito bellis ciuilibus patrimonio, censu Equestri ornamẽtisque excidissent, Equestris ordinis locum & annuli vsum retinere permisit. Quumque metu pœnæ theatralis ex lege Roscia è quatuordecim spectare ludos non auderent, censuit ea lege non teneri eos, quibus ipsis parentibúsve eorum census Equester aliquando fuisset. Iis autem, qui non suo vitio decoxissent, sed quorum fortunas temporum calamitas attriuisset, Senatoriæque originis essent, sestertiûm quadraginta (qui sub Iulio Cæsare census Equester fuerat) suppleuit: iisque publicum equum adsignauit, & statuit, vt si comitiis Tribuniciis deessent candidati, tum si qui ex eorum Equitum ordine in Senatum lecti forent, ex eorundem numero Tribuni plebis suffragiis populi crearentur: ea lege vt postquã Tribunatu abiissent, iisdem liberum esset, Senatoriíne an Equestris ordinis esse mallent. Notauit etiam in eodem ordine aliquos, quòd æs circumforaneum leuioribus vsuris mutuati essent, vt grauioribus fœnerarent. Censum deinde populi neque tributim, neque in villa publica ex more & loco solito, sed Cæsaris Dictatoris exemplo, vicatim & per

IANVS CLVSVS TERTIVM.

IMP. CAESAR M. AGRIPPA CENSS.

LEX IVLIA THEATRALIS.

B
C
D

per dominos insularum egit. Ac ne plebs frumentationum causa frequentius à negocijs auocaretur, ter in annum tesseras quaternûm mensium distribuere constituerat: sed Plebi menstruam vsúque receptam consuetudinem desideranti, concessit rursus vt sui quisque mensis tesseram à Præfecto annonæ acciperet. Ceterùm, quia hoc censuræ tempore prouentuũ angustia, ac proinde annonæ difficultas erat, frumentum plebi gratis, aut certè vilisimo precio, duplicatis etiã tesseris nummarijs admetiri iusit. Tabulas veterum ærarij debitorum, veluti præcipuam crimina intendendi materiam, concremauit. Et si quæ loca in vrbe publica iuris ambigui essent, ius dominij ijs addixit, qui continuatione possessionis ea veluti vsucapione acquisiuissent. Cauit præterea edicto, ne quis Senator, nisi se conscio, extra Italiam proficisceretur: siue ne quid si qui ambitiosioris ingenij essent, peregrè nouarum rerum molirentur, aut ne ob Senatus infrequentiam eorundem sententiæ in censendo desiderarentur. Mox vt omnes qui partium Antonianarum fuerant, aut à metu liberaret, aut à rerum nouarum studio reuocaret, optima fide professus est, se non legisse Antonij litteras, quas occupatis eius scriniis in potestate habuerat; sed omnes ante lectionem concremasse. Publicanis, qui à Cæsare Dictatore, quòd cupiditate prolecti vectigalia nimium magno cõduxissent, lege lata tertia mercedum parte releuati erant, trientem remisit: edixitque ne quis eorum qui C. Cęsare Dictatore cum Censoria potestate publica vectigalia aut tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, socius've aut affinis eius conductionis esset. Ærarij inopiam priuatis & amicorum opibus, vt publica fides constaret, sustinuit: auctorque fuit, vt cura Ærarij à Quæstoribus vrbanis ad Prætores Prætoriosque transiret. Q. Statilium Tribunum plebis designatum, Tribunatum capere vetuit, notatumq; (causa non traditur) triplicato censu ærarium reliquit. Inde Salutis augurium quod ex antiquis cæremoniis pręcipuum, vel in obliuionẽ, vel ob continuos bellorum motus, per triginta duos annos in religionẽ venerat, instaurauit. Inuenio in libris Cæremoniarum fuisse ita super eo augurio relatum: Diem vnum aliquẽ quotannis fore obseruandum, in quo neque ad bellum esset exercitus, neque quisquã contra Romanos mouisset, aut pugnasset: tum eo die ab ijs rebus puro, augures ex auspicio Deos consulerent, an fas esset salutem Pop. Rom. à Dijs poscere. Sopitis itaque bellis tam ciuilibus quàm externis, talem diem Cæsar quatenus auspicia addicerét, neque de cœlo obnunciaretur, commodius oblata oportunitate obseruare potuit: ne, quod Pompeij Magni triumphis obuenerat, vitiosè captum Salutis augurium inutile fieret & impeditum. Cæsar hoc quincto suo Consulatu, ob singularia in Rempub. merita,

SALVTIS AVGVRIVM.

A B C D

A merita, PATRIS PATRIÆ cognomen accepit; idque non ex decreto, vel ex acclamatione, sed maximo consensu, mandantibus id Senatu Populoque R. per Valerium Messallam, his verbis: Quod bonum faustúmque sit tibi domuique tuæ, Cæsar Auguste, (sic enim nos perpetuam Reipublicæ felicitatē & læta huic precari existimamus) Senatus te cum Populo Romano consentiens, consalutat Patriæ Patrem. Fuerit'ne is M. Valerius Messalla Coruinus, qui duobus antè annis Consulatum cum ipso Cæsare gesit; an verò alius quisquam eiusdem cognominis, (plures enim eiusdem Valeriæ gentis & Messallarum familiæ sub Augusto Consules fuerunt) incertum est. Hunc honorem prius plebs legatione Antium missa Cæsari detulerat; sed quia tunc non acceperat, postea Romę spectacula ineunti frequens & laureata eundem detulit; vti mox & Senatus curiam ingressuro. Auctores habeo, qui hoc quoq; anno Carthagini colonos nouos à Cęsare adscriptos tradant; quòd M. Lepidus eorum quos aliquot inde deduxerat infrequentia, ius auspiciumq; coloniæ turbasse videretur. Variatur in eo, quòd nōnulli nunc primùm Carthagini coloniam ex lege Cęsaris ad trium milliū ciuium deductam affirment; alij verò instauratam duntaxat, sed ante annos sedecim Cæsaris Dictatoris auspicijs militarem coloniam deductam fuisse. Credere licet in tam varijs opinionibus Carthaginem, etsi prima extra Italiam colonia condita sit, frequentius esse quàm semel deductam. Argumento est quod traditur, C. Gracchū rogatione Rubria cum sex millibus ciuium, qui sponte nomina dederant, in Africam L. Cæcilio Metello, T. Quinctio Flaminio Coss. nauigasse, vt coloniam, quam Iunoniæ cognomine deducturus esset, in ruinis deletæ Carthaginis conderet. Ceterùm Patres portentorum obscœnitate commotos S.C. vetuisse, ne colonia Carthago, nisi procuratis prius prodigiis, conderetur: nunciabatur enim vexillum tempestate laceratum; exta aris imposita procellis disiecta, ac vltra coloniæ fines translata; sulcos, quos ex more tauro vaccáque iunctis aratro vomeréque Gracchus circumduxerat, à lupis confusos, terminósque dissipatos. Iuliæ quoque tribui nomen eodem tempore in gratiam Iuliæ gentis, à Cæsare datū fuisse, eámque inter XXXV. tribus relatam obseruo: quumque eidem tribui inscriptiones aliquot, & monumēta antiqua testimonium ferant, quænam tamē è numero antiquarum mota sit, vt in eam Iulia sortitò succederet, nullis annalibus proditum inuenio. Imminutis autem proscriptione & bellis ciuilibus Patriciorum familijs, ex Consularibus Patricios allegit: vt superessent ex quibus prodere Interregem, Flamines maiores, Dialem, Martialem, Quirinalem, aut Regem sacrorū legere, aut in sodalium Titiorum collegiorum cooptare posset: quòd hos

IMP. CAESAR PATER PATRIAE.

CARTHAGO COLONIA.

IVLIA TRIBVS.

(B, C, D section letters at left margin)

L omnes

omnes ex gente plebeia creari nefas esset. Sequente anno, qui A erat ab V. C. DCCXXV. Imperatore Cæsare, sextùm, M. Agrippa iterum Coss. quum vicesimo demúm anno, ad eum quem diximus modum finita essent bella ciuilia, reuocata pax, & sopiti vbique armorum furores, ac Cæsar non armis modò, neque aduersus hostes, sed quod multo maius laboriosiusque, Rempublicam etiam pacis artibus firmasset; postquam vim legibus, iudicijs auctoritatem, Senatui cum dignitate amplitudinem, Populo comitia annuosque magistratus, & vicissitudinem imperitandi restituisset; versare animo cœpit, imperium ne quod in manibus habebat, sub nomine Principis retineret pro Republica salubrius, an verò Reipublicæ redderet honestius & vtilius. Vrgebat quòd Antonius crimini frequenter dedisset, per ipsum stetisse, quominus ciuitas olim à dominatione fuisset liberata; rursus angebat, quòd reddita Republica mox iterùm per Plebis furiosæ libidinem, audacium factiosorumque iuuenum ambitioni obnoxia futura esset; qui factionibus eam sollicitarent, laniarent, ac tandem nisi vnius dominatione resistatur, occuparent. Agrippam itaque & Mæcenatem amicorum fidissimos conuocat: precaturque vt vera pro gratis, & quod è Republica videretur, dum consilij potentes essent, consulant. M. Agrippa vir domi militiæque clarus, & exempli recti censebat, ciuitate legibus & institutis firmata & C à seditiosis purgata, Rempublicam esse reddendam: ac dum ciuium animi inter spem metumq; suspensi ad libertatis expectationem adhuc obstupescerent, beneficio ac dulcedine inexpectata ac gratuitæ libertatis, & restituta æqualitate, omnium ordinum gratiam, quando id in ipsius potestate esset, præoccupandam. Vnius dominationem apud Romanos rem vti odiosam, ita tot legibus damnatam, publicisque exsecrationibus explosam esse. Diuum Iulium, quia diuturnum imperium sperauerat potius, quàm spreuerat, quem tot Senatus consulta onerarant magis quàm honorarant, eundem læta adeò principia, nimisque luxuriantia vixdum ingressum, statim per opti- D matium inuidiam, & factiones, partiumque studia in exitium præcipitatum esse. Saluti ciuibus, ipsique honori futurum, si annuos Magistratus, si vicissitudinem imperandi Plebi restituerit; si comitia ab ambitu largitionibusque purgauerit: si modum imperio, si libertati temperamentum constituerit: si populum qui nec vitia sua vlterius pati, nec remedia ferre possit, censoria seueritate, legum morumque salubritate, à duabus ijsque grauissimis Reipublicæ pestibus, auaritia, & luxuria liberarit: si denique soluta ordinum, qua nunc ciuitas lacerata iacet, discordia, refrenatisque prauis nouorum hominū cupidi-

IMP. CAESAR VI. M. AGRIPPA. II. COSS.

A ditatibus, probis ad capessendam bonis artibus Rempublicam viam patefecerit. Ceterùm ex tuto (inquit) taurarum rerum curam, quæ compositis maturisque consiliis, & spatio captoque tempore inualescet, tibi aggrediendam censeo. Possessum itaque imperium retinendum, quoad priscam illam & antiquam Reipublicæ formam, statúmque popularem reuocaueris consulo: neque auctor sum vt quidquam interea tibi de Maiestate, quæ parum tuta sine viribus foret, detrahi patiaris. Ceterùm vt principatum sub aliena inuidia cum publica salute exerceas, arte opus est: præ te feres itaque te veluti iampridem curis laboribusque fractum, gloriæque & honorum satietate defes-
B sum, Senarui auctoritatem, populo potestatem reddere velle. Ibi tum nostrarum erit partium, vt quantò tu remissius, simulando te curationem publicam non affectare, acturus eris, tantò nos acrius Senatus voluntatem incendamus. Ita fiet, vt secundo omnium fauore, & ex Senatus Populique Romani auctoritate consequamur, quod tu dissimulando & recusando petiturus es. Senatus enim Populusque Romanus tuta & præsentia potius te Principe, quàm vetera & periculosa in plebeio regno malit. Inuidiosum regni nomen, potestatem Dictatoris lege abolitam, & magni imperij diuturnitatem, vt libertati inuidiosam, censeo tibi constanter repellendam: verùm te vnum esse
C in quo nitatur ciuitatis salus, omnes boni non immeritis laudibus fatebuntur; in te tuumque nomen se tota conuersura erit ciuitas: tunc demùm sequetur, vt ad suscipiendam in aliquot annos Reipublicæ cōstituendæ potestatem te exorari patiaris. Ibi te patriæ tot tantisque furiosorum factionibus perturbatæ, lumen animi, ingenij, consilijque acumen ostēdere oportebit. Demùm Republica perte cōstituta (quod arduum fateor & difficile) tum certè vti de imperij possessione cedere tibi liberum, ita vt factiosorum vim insidiasque effugere facile fuerit; simul nomen Patris Patriæ, conseruata à te Republica, maximoque tuo merito partum, vera pietate tueri poteris. Documento quoque
D erit te nihil vltra ciuilem potestatem affectare, si Calaguritanorum manum, quæ magno cum ciuium terrore latera tua tanquam tyrannidis subsidia sæpire iactantur, exauctorabis. Quiritatur vbique barbaros esse eos, crudelitate & ferocia contumaces, ad quodlibet facinus audendum venales, licentia ad cuiuscunque iniuriam præcipites: & mercenarij militis scelera tibi dantur crimini. Summa itaque consilij mei hæc est: imperium tuum quoad Rempublicam constitueris, benignitate & clementia esse temperandum, violentiam & iniuriam militum militari disciplina coërcendam: ita neque aduerso neque auerso, neque à lateribus tibi quidquam formidandum fuerit.

Cæsar Agrippæ sententiam, vt non obnoxiè ita salubriter dictam, laudauit. Mæcenas autem & ipse consultus, in ceteris cum Agrippa consensit; in eo dissensit, quòd suaderet Rempublicam nunquam aut plebeiæ tyrannidi, aut popularium factioni reddẽdam. Sed salubrius constantiusque habiturum esse Reipublicæ statum; si principatus ita legibus firmaretur, vt ius omne legum, Magistratuum, belli, pacis ac prouocationis in vnius potestate esset: nec aliter in ea Republica, quæ iam magnitudine sua & opibus laboraret, ordinum concordiam, stabiliri; neque cõsilio meliori factionum semina, quæ vulgatis æquali potestate honoribus alerentur, extirpari posse. Esto inquit, in Magistratibus magna imperia, sed moderata constituamus: Senatui maiorem quàm Magistratui auctoritatem demus; tamen multo maximam vim & potestatem plebi, si vetera priscaque reuocabinus, tribuemus. Quod si permiserimus, iterum ciuium audaciæ viam ad rapiendam Rempublicam patefecerimus; factiosi regnabunt; dabunt, adiment quæ lubebit; innocentes circumuenient; suos ad honores extollent; non facinus, non flagitium obstabit, quo minus Magistratus capiant: postremò, tanquam vrbe capta libidine ac licentia sua pro legibus vtentur. Nam Tribuniciæ rogationes nunquid ciuitati nostræ vnquam aliud quàm quędam veluti discordiarum procellæ, turbines & tempestates pacis, funestissimæ omnium seditionum faces fuere? adhæc quid miserius quàm tot plebis à Patribus secessiones? quid indignius quàm ciues cum ciuibus toties in vrbe media, in foro, in campo, in comitijs, in Senatu, imò vel in ipso Iouis Capitolini templo, lapidibus, fustibus, gladijs fœdissima concertatione inter se dimicasse? omittam viciata fraude comitia, largitiones, obnunciationes; non dicam innumerabiles vt in ciuitate corruptissima, legum rogationes, abrogationes, derogationes, obrogationes per vim latas vel antiquatas: tacebo corruptos spe aut illusos per intercessionem socios, bonos Tribunicijs rogationibus vrbe violenter eiectos. Ecquis quæso non miretur tot ac tam crebra plebiscita? denique ad fæcem Populi summam rerum prolapsam? Senatusconsulta sibi pugnantia, paulloque momento vel ad popularem auram nutantia, vel ad turbulentæ plebis voluntatem, aut concionum ventos & clamores fluctuantia? Quemadmodum enim plebe nihil stolidius, nihil intemperantius; ita eadem, si quando in bonos exarserit, nihil magis sanguinarium; nihil furiosius: ea semper fuit natura multitudinis & erit, vt aut seruiret abiectè, aut superbè dominaretur: libertatem nec spernere moderatè, nec temperanter habere posset. Quare nihil æquè perniciosum Reipublicæ futurum censeo, quàm si tyrannide plebi restituta, eam iterum in amplissimi ordinis consulta dominari, aduersus

Magistra-

A Magistratuum imperia regnum exercere patiemur. Si Rempublicam reddideris, frustrà in ciuitate tot ac tantis furiosorum contentionibus inflammatam, in tot partium studia distracta, Ordinum concordiam sperabimus. Serò salutem ciuium (quam tu armis partam imperio tuo tueri poteris) certamine factionum in perniciem Reipublicæ versam, præcipitatamque deplorabimus. Factiones enim fuêre eruntque semper ciuitati nostræ exitiosæ, magis quàm bella externa, quàm fames, quàm morbi, vel si quæ alia in Deûm iras, velut vltima publicorum malorum vertimus. Quare meum consilium fuerit, eam Reipublicæ formam, in qua nullus benè parêret, improbi & seditiosi regna-
B rent; popularemque potentiam omnis recti & honesti, omnis virtutis inimicam, quæque haud aliter vnquam stabiliri vel retineri potuit, quàm bonis omnibus vexatis, eiectis, aut denique oppressis, non esse recipiendam: sed Principatum Deorum benignitate armisque & faustissimis bonorum omnium votis acquisitum, armis quoque, ne qua vis te ab ingratis ciuibus incautum opprimat, esse tuendum. Leges emendandas vtiliter, rogandas salubriter, ciuitatem institutis moribusque rectis corrigendam. Quem potestatis tuæ cursum si tenebis, in negotijs tantis sine periculo, in otio verò cum summa dignitate versaberis. Ceterùm vt rectis consilijs vti Cæsar possis, Dij tibi nunc pote-
C statem dedêre: quare arcana quædam constituendi principatus sine odio, sine inuidia, confirmandique imperij iampridem à me tibi meditata paucis complectar. Principiò ciuitatem metu dominationis suspensam ab omni suspitione soluendam censeo: metus enim vt est malus diuturnitatis custos, ita nobis auspicatò à tam lætis prosperisq; initijs amoliendus est: enitendumque, ne quem noui status meritò pœnitere possit. Consulto itaque omnia in Tribunatu acta, (quibus Respublica ferè ad seruitutem debilitata iacet) vno edicto antiquabis; terminumque legum Triumuiralium definies, sextum istum tuum cum Agrippa consulatum: vtque potestatem tibi deinceps ex legibus,
D non ex imperij viribus confirmare videaris, nomina Magistratuum quæcunque in statu populari vigebant, tibi assumenda, sed potentia & viribus confirmanda consulo. Quantum tibi in Republica permiserit Popu. Roma., quantum in se iuris vltrò concesserit, qnum te Imperatoris prænomine donaret, ne ipse quidem suspicatur: Tibi enim delectus habendi, pecunias cogendi, bella suscipiendi, pacem faciendi, vrbano & peregrino exercitui perpetuò & vbique imperandi, intra pomœrium, in Senatu, in equitem animaduertendi potestatem hoc ipso tribuerunt. Nec Tribuniciam potestatē, quam obtulerunt, iudicarim recusandam: nam etsi ad tuendam plebem data videatur, tamen sub

tenui nomine magnam vim & potentiam secum trahit; & eius in ciuitate ius amplissimum vsusque multus erit: dum contra collegas Tribunosplebis, dum contra ipsa Senatus cōsulta intercedere licebit; dum neque verbo, neque facto quisquam te vti sacrosanctum violare poterit. Comitiorum quoque pristinum ius reducendum fuerit, nec Magistratuum numerus diminuendus: sed ius imperij moderandū. Consules dent nomina fastis, quibus nihil extra vrbem potentiæ concedatur; nec deposito honore statim eisdem in prouincias, quas vel sorte vel comparatione obtinebunt, proficiscendi potestas fiat; quo consilio ambitum honorumque cupiditatem refrænabis. Interim ipse ambitus seuerissimis legibus coërcendus: & quò honores pluribus communicentur, honorarij Consulatus permittendi. Qui fortiter rem gesserint, hi gloria & triumpho ornandi. Ita enim omnes studio gloriæ ad benè de te pariter & de Republica merendi voluntatem accendes, vbi præmium virtuti esse propositum intelligent. Et quò plures Reipublicæ curam suscipiant, ad duodecim Prætores, qui nunc creantur ex lege Iulia, duos consultò adlegendos esse censeo; ita vt quattuordecim quotannis deinceps creentur. Nulla Magistratuum comitia habenda, quæ vltra annum potestatem prorogent, aut continuent: nam quum vix per singulos annos offensiones vitentur, quantumuis proximi anni spes repulsam consoletur; quantum odij foret ab ijs qui in aliquot annos quasi legarentur. Si qui in te insidiarum rei deferentur, eos in Senatu accusari, & ab eodem damnari consultius fuerit. Ita futurum est, vt sub inuidia publica tibi securitatem præstes, & improborum vltione tuum dolore vlciscaris. Quod nuper in Lepido salubriter, iampridem in Saluium Saluidienum prudenter cœptum, idem & in Antiochum Comagenum statuatur exemplum. Prouocationem & Tribunicium auxilium, veluti duas libertatis tuendæ arces, minimè abroganda putarim: sed de prouocatione cognitio ad Præfectum vrbis transferatur: Tribunicium ius Tribuniplebis habeant. Ceterùm Prouinciarum quoque multitudo cum Populo Romano communicanda erit: ea tamen ratione, vt ijs quæ pacatæ sunt Senatui Populoque Romano cedas; quæ aut bellis lacessitæ, aut metum turbarum habere possent, tibi sumas; præfatus te illas deligere, vt Populum ab earum procuratione molestiaque liberes: vbi conquieuerint, te illas quoque redditurum. Ars hæc erit. Nam sic exercitus perpetuò tibi ad manum erunt; ducésque quos tui studiosissimos experieris, ijsdem exercitibus præficere, inofficiosos deijcere liberum erit. Ipsa quoque Censoria potestas principatui tuo haud exigium addet incremētum. Quippe hinc morum disciplinæque Romanæ penes te regimen erit. Senatus equitumque

A tumque centuriæ,decoris dedecorisque discrimé sub ditione tua; publicorum insuper priuatorumq; locorum ius,quin & ipsa Populi Romani vectigalia sub tuo nutu atque arbitrio futura sunt.Quare capesse Cæsar Rempublicam, & per omnia aspera, vti soles,enitere: namque aut tu mederi tot malis, pacem concordiamque firmare poteris: aut nisi tu id nunc præstiteris, omnibus in posterum hanc curam omittendam crediderim. Atque hæc ferè sunt quæ non minus Reipublicæ necessaria,quàm tibi gloriosa ratus quàm paucissimis complexus sum. Reliquum est optare, vt quæ tibi placuerint Dij immortales approbent,beneque euenire sinant.Mæcenatis sententiam Cæsar sequu-
B tus animum ad imperium lege firmandum adiecit: & quò sibi maiore cura fideque amicos, pluraque potentiæ suæ præsidia compararet, Agrippæ tot victoriarum auctori, tanti cōsilij conscio,& duorum consulatuum collegæ,Marcellam sororis suæ filiam collocat; eidemque ex maiorum instituto fasces communicat. Censu deinde ex more peracto, lustrum LXXII conditum est. Censa sunt ciuium Romanorum capita, qui arma ferre possent (ni mendum apud Eusebium sit) quadragies centena centum sexaginta quattuor millia. Imperator Cæsar, etsi Censoriæ potestatis esset, Princeps tamen Senatus à collega lectus est: neque in ea lectione quidquam supra ciuilem modestiam com-
C missum est. Lustro enim sexto & quadragesimo Scipio Africanus ab Ailio Pæto collega Princeps Senatus,vt & quinquagesimo M. Lepidus à Fuluio Nobiliore lectus fuerat. Cæsar itaque vbi populum muneribus & ludis, plebem annona, militem donis, sibi conciliasse visus est; Senatores verò & equites pecunia iuuisset; ratus cunctos tam dulcedine otij illectos,quàm suis in ipsos meritis sibi obnoxios,dignitatis simul & libertatis curam vnà cum memoria omissuros, ex magnitudine animi consilium capit: sperans fore,vt dum petente volenteque Senatu,citra imperij affectati inuidiam Principatum stabilire videretur,ipse minori cum odio,maiore cum dilectione à ciuibus coleretur.
D Iis itaque Senatoribus quorū operam & studia sibi parata, fidemque certam & spectatam habebat, prius instructis,atque ad aliorum animos permouendos præparatis, Senatu frequentissimo, orationeque ad tempus accommodata variè disseruit: multa de magnitudine imperij, multa de sua modestia prolixè loquutus, solam Deorum mentem tantæ molis capacem,se qui per aliquot annos eius procurationé sustinuerat, experiundo didicisse, quàm sit arduum onus,quamque fortunæ obnoxius, insidijsque multorum opportunus Principatus: petere vt in ciuitate tot illustribus viris florente, non ad vnius curam omnia referrentur. Plures facilius munia Republicæ sociatis laboribus ex-

LVSTRVM LXXII.

IMP. CAESAR PRINCEPS SENATVS.

expleturos: se, quod faustum felixq; sit, vindicata iam omnium libertate, Rempublicam Senatui Populoque Romano reddere. Postquam perorasset, varius animorum motus in Senatu fuit: plærisque eius oratio plus dignitatis quàm fidei habere visa est: saniores iudicabant Rempublicam plurium potestati arbitrioque temerè non esse committendam: maxima pars, quique ex fauore eiusdem, opibus, honoribusque florebant, quique ex rebus nouis aucti erant, tuta & præsentia veteribus & periculosis præferenda censebant. Idem & alij non pauci, non tam proprio iudicio, quàm metu, ne si à ceteris dissensissent, offenderent. Omnes itaque fortuito magis consensu, quàm communi consilio ad preces conuersi, obtestantur, vt imperij eius cuius tam felicia prosperaque iecisset fundamenta, caput auctorque esse perseueraret. Ac statim S.C. satellitib. eius (quò accuratius pro ipsius securitate excubarent) stipendium duplicatum est; exauctorataque ex Agrippæ sententia Calaguritanorum manu, Germanos loco ipsorum ad præsidium corporis delegit: quòd satis intelligeret, in ea corporum vastitate minimum calliditatis ac malitiæ latitare; eosdémque militis potius quàm Imperatoris munere delectari. Vbi hac arte non sine Senatus & populi assensu, imperij robur sibi confirmasset, ne se vltra ciuilem modum ad principatum efferre, aut possessione imperium sibi perpetuũ stabilire videretur, Reipublicæ constituendæ Prouinciarumque ordinandarum potestatem in decennium accepit: ea lege vt si ciuilia externaque citius in optimum statum sua cura consilioque composuisset, tempestiuius etiam Rempublicam redderet. Quum itáque solus Rempublicam constituendam suscepisset, alteram de Prouinciarum curatione partem cum Senatu Populoque ita comparauit, vt pacatiores ipsis tuendas relinqueret; sibi verò (memor Mæcenatis) eas quæ necdum satis ordinatæ, vel armis nondum edomitæ erant, quæve exercitus haberent, administrandas depoposcit. Ita Senatui Populóq; Africam, Numidiam, Cyrenen cum Creta, Asiam, Bithyniam, Pontum, Græciã, Macedoniam, Epirum, Delmatiam, Siciliam, Sardiniam & Hispaniam Bæticam concessit; sibi verò sumsit vtramq; Hispaniã reliquam, Lusitaniam, & Tarraconensem, Galliam vniuersam, Narbonensem scilicet, Aquitanicã, Lugdunensem, & Belgicam, & eorum colonias; item Germaniam. Hinc in Oriente Cœlosuriam, Phænitiam, Ciliciam, Cyprum, Ægyptum. Cyprum tamen postea & Narbonensem, vt & alias alio tempore prouincias, accepta Delmatia, cum Populo permutauit. Susceptis igitur ijs prouincijs, in quarum administratione exercitu opus erat, & quas annuis Magistratuum imperijs regi nec facile nec tutum erat; ceteras Proconsulibus sortitò permisit, suas

IMP. CAESAR IMPERIVM ACCIPIT.

PROVINCIAE S.P.Q.R.

PROVINCIAE IMP. CAESARIS.

A B C D

A ſuas autem per Legatos aut Præfectos adminiſtrauit: legesque ijs conſtituit, ex quarum præſcripto prouincias regerent; quibus inter cetera cauebatur, ne pecuniam, niſi ex ſua aut Senatus auctoritate, imperarent; ne militum delectum agerent, aut exercitum conſcriberent; néve prouinciæ alicui bellum inferrent; vt ſimulatque ipſis ſucceſſor ſuperueniſſet, in prouincia ne ſubſiſterent, ſed intra tertium menſem ad Vrbem reuerterentur. Adhæc Proconſulibus ad mulos & vehicula, quæ publicè locari ſolebant, certam pecuniam conſtituit. Tum & eam legem reſtituit, qua vetebatur, ne quis Conſularis, neu Prætorius, niſi poſt quinquennium, in prouinciam, quam vel ſorte,
B vel comparatione obtinuiſſet, proficiſceretur, quoad repetundarum conuicti, multam pecuniámque, quanti eſſent damnati, ſocijs reſtituiſſent; talique iudicio condemnatos honorum & ordinum iure priuauit; procuratoribus ſuis omne ius, præterquam in ſeruitia, & pecuniarum ſuarum in prouincijs collectionem, adimebat.

Vrbem quoque pro maieſtate Imperij exornare cupiens, opera publica quàmplurima tam ipſe condidit, quàm ab alijs prius extructa reſtituit, manentibus auctorum titulis. Horum quædam hoc Conſulatu dedicata, & publicata ſunt: vt templum Apollinis in Palatio; idque in ea parte domus Palatinæ, quæ fulmine icta fuerat: quòd aru- TEMPLVM APOLLINIS PALATINI.
C ſpices Apollinem ſibi eo loci ex tali prodigio templum deſtinaſſe interpretarentur. Hoc in templo poſtea aureas cortinas Apollini Palatino dedicauit, conflatis in hunc vſum omnibus ſtatuis argenteis, quæ ipſi paſsim poſitæ fuerant; ſiue quòd nollet ſibi per adulationem maiora quàm pro humana conditione tribui, ſiue quòd antehac mortalium nulli ex argento fuiſſe conſtitutas quidam calumniarentur, falsò tamen, quando & Pompeij triumpho Pharnacis & Mithridatis Ponti Regum ſtatuas argenteas fuiſſe tranſlatas annalibus proditum eſt. Addidit templo & porticum cum bibliotheca Græca & Latina: quo in loco poſtea ætate prouectior ſæpe Senatum habuit,
D ac Iudicum decurias recognouit. Sub baſi ipſius Apollinis duobus forulis auratis libros Sybillinos condidit. Mauſoleum quoque inter viam Flaminiam, ripámque Tiberis, ex lapide candidiſsimo, perpetuáque arborum viriditate in ambitu, vſque ad ſummum verticem, magna amœnitate conueſtitum, exſtruxit: circumiectasque ſiluas, & deambulationes, in vſum pariter, & ad voluptatem populi Romani publicauit. MAVSOLEVM Cæſare iam ſeptimùm, M. verò Agrippa tertiùm Coss. cenſentibus in Senatu quibuſdam, Cæſarem propter Patriam à ſe Conſeruatam, quaſi alterum Vrbis conditorem, Romulum appellandum; ipſo verò Cæſare eam appellationem recuſante, IMP. CAESAR VII. M. AGRIPPA III. COSS.

M quòd

quòd Regij nominis inuidiam offensionemque secum traheret, obtinuit Munatij Planci sententia; nimirum vespretis vulgaribus, nouo & amplissimo cognomine, AVGVSTVS appellaretur: eo nomine omnia Reipublicæ auspicata, Cæsari eiusdémque domui prospera concipi; eiusdem nominis dignitate tantam Maiestatem, quantam animi eiusdem magnitudo caperet, expleri: eodem testatas esse fidem, reuerentiam, pietatem, quas boni omnes ipsi tanquam Patri Patriæ deberent: quando præter ipsorum Deorum numina, loca etiam sacra & inaugurata vel religiosa, Augusta dicuntur: in quibus auguratò aliquid consecratur, vel ab augendo, vel auium gestu, gustúve. Auctores, qui id cognominis Cæsari datum suis annalib. prodidère, in anno consentiunt, dissident in diei assignatione. Sunt qui Idibus Ianuarijs, nónulli triduo tardius, AD XVI. Kal. Februarij tam læto faustoque nomine cohonestatum scribunt. Ceterùm, posteaquam Reipublicę interfuit omnia in vnius potestatem cóferri, nec quisquam æqualis illi sæculo scriptor, siue incuria hominum, siue iniuria temporũ, satis locuples exstet, quo satis certo auctore nitamur; nostrum deinceps cósilium erit, quidquid posteritatis memoria dignum ex antiquitate obseruauimus, idq; apud eos, qui post Augusti ætatem nec obnoxij, nec infensi per omnium annalium monumenta celebres nominantur, in suum quæque annum, seriem ordinémque rerum gestarum referre.

AVGVSTVS.

A B C

Augustus itaque, quò tanti nominis decus tueretur, simul Reipublicæ populoq; Romano, atq; Orbi terrarum præstaret, ne quem noui status pœniteret, leges antiquas quidem emendauit vtiliter, nouas condidit salubriter. Comitiorum ius pristinum Populo, Senatui auctoritatem, Iudicum decurijs dignitatem restituit. In legibus verò retractandis concilium sibi ex Senatoribus, & præcipuè ex Consularibus, in sex menses numero quindecim sortiebatur; consultisq; subinde collegis, rogabat vt salutaria de Republica consilia liberaque secum capesserent; ne pugnantia legum capita, quæ vt in ciuitate corruptissima luxuriabant, simul ferret; néve quid, quod vetus aliqua lex iussisset, infirmaret: vtque iudicio suo disquirerent, an eadem abroganda, an corrigenda foret: vtque quantum hominum ingenijs prouideri cauerique posset, omnibus, summis infimisque iura æquarent: plus pollere multorum ingenia, consiliáque, quàm vnius. Versarent in animis diligenter secum vnamquamque rem, disceptarent, inquirerent, atque in medium quid in quaque re plus minúsve esset, conferrent. Eas leges habiturum Populum Romanum, non quas ipse solus pro suo arbitrio sanxisset, sed quas ipsorum omnium consensus approbasset. Inde ad Comitia, quæ vi, ambitu, pecunia turpiter corrumpebantur, corrigenda conuersus;

LEGES AVGVSTI.

D

COMITIA

A sus; populo plebique ius creandi Magistratus per suffragia restituit. Candidatorum nomina, vt ambitum coërceret, recipi vetuit; nisi eorum qui magnam pecuniæ vim pignori dedissent, qua ambitus conuicti multarentur: addidit ignominiam, vt tali iudicio condemnati ab omni honorum iure per quinquennium arcerētur. Quoties Magistratuum comitijs interesset, Tribus cum candidatis suis circumibat: præsentabatque more solenni, ferens & ipse suffragium in tribubus duabus: in Scaptia quidem propter Octauiam, in Fabia verò propter Iuliam gentem, vt quilibet è tribulibus suis. quibus, ne quid à quoquam candidato pro suffragio ferendo desideraret, de suo quinquaginta mil-

B lia nummûm diuidebat: sollicitéq; curabat, ne aliorum nomina quàm quorum virtus conspecta esset, per coitionem aut fraudem reciperentur. Magistratibus imperia reliquit; sed ea vt in Vrbe tantùm exercerent, permisit. Exegit quoque, vt quoties Consulatus sibi daretur, binos pro singulis collegas haberet: sed nō impetrauit, cunctis reclamantibus, satis Maiestatem eius in ordinem cogi, quòd honorem eum non solus, sed cum collega communicaret. Quumq; superiore anno in Senatorium numerum sexcentos eosque selectissimos adscripsisset, amplissimo quoque ordini, cuius ipse Princeps esset, splendorem auctoritatemque pristinam restituit. Adhæc vt ærarium ac vectigalia omnia

MAGISTRATVS.

SENATVS

C Populi Ro. in Senatus potestate essent, sumtusque publici ex eiusdem arbitrio fierent; vtque de proditione, coniuratione, maiestate, & insidijs cognitionem haberent, constituit: præterea quid de legatis exterarum gentium agendum, quid eis respondendum esset, Senatui decernendum permisit. Sententias quoties ipse de grauissimis rebus à Senatu prærogabat, neque Principem Senatus, neque Consulem designatum primò, vti moris erat, consulebat; neque ex consessus ordine reliquos: sed prout libuisset: vt perinde quisque animum intenderet, ac si ipsi censendum, non assentiendum foret. Sanxit præterea, ne plus quàm bis in mense legitimus Senatus cogeretur, Kalendis scilicet, &

D Idibus: nisi si quid extraordinarium incidisset, vt ad edictum, aut voluntatem Magistratuum esset conueniendum: néve Septembri aut Octobri mense vllos adesse alios necesse esset, quàm quadringentos sorte ductos, per quorum numerum Senatusconsultum fieri posset: minori numero si quid decerneretur, Auctoritas, non Senatusconsultum, vocaretur. Ipse, vt ampliorem Senatui honorem tribueret, eo die, quo Senatus haberetur, nunquam Patres nisi in Curia salutauit; & quidem sedentes, ac nominatim sine nomenclatore singulos: eodemque modo egressurus, postquam pronunciasset, se nihil amplius morari Senatum, similiter sedentibus singulis valedicebat.

IVDICES. Iudicum quoque decurias recognouit; quumque ex lege Antonia Senatores, Equites, Centuriones iudicandi potestatem haberent, & ex ijs decuriæ Iudicum très legerentur, ipse quartam adiecit, quam Ducenariorum appellauit; quæ dè summis leuioribus iudicaret. Iudices autem quoscunque à vicesimo ætatis anno allegit, quum tricesimus quinctus antea fuisset legitimus. Censum autem Iudicũ à Senatorij aut Equestris ordinis censu fuisse diuersum, ex lege Pompæia æstimari licet: differentiam tamen nulli annalium prodidêre. Suetonius quartam illam Ducenariorum decuriam ex inferiore censu allectam scribit, qui ad Equestrem collatus eiusdem dimidius esset. At plærisque iudicandi munus detrectantibus ægrè concessit, vt singulis decurijs per vices annua vacatio esset; & vt solitæ agi Nouembri aut Decembri mense caussæ & lites vacarent. A B

DECEMVIRI LITIB. IVDICANDIS. Itidem constituit vt Decemuiri litibus iudicandis hastam siue concilium Centumuirale cogerent, quam Quæstura functi prius cogere consueuerant. Ne quod autem facinus aut flagitium, aut aliud negotium impunitate vel procrastinatione elaberetur, triginta dies, qui ob honorarios ludos feriati erant, cognitioni agendisque caussis attribuit. Reorum autem, qui diu in squalore & anxietate sordidati contabuerant, & ex quorum miseria nihil aliud quàm voluptas inimicis petebatur, nomina aboleuit; ea lege, vt si quis contra eundem nouam de eadem quæstione accusationem instituere vellet, par periculum pœnæ experiretur, si reum falsò accusatum absolui contigisset. Appellationes quotannis vrbanorum quidem litigatorum Prætori vrbano delegabat: Prouincialium verò Consularibus viris, quos singulos cuiusque Prouinciæ procurationi præposuerat. C

ALVEVS TIBERIS RVDERIB. REIECTIS REPVRGATVS. Operum quoque publicorum curationem hoc anno magna cum ciuitatis vtilitate suscepit. Ad prohibendas namque Tiberis exundationes, qui infestiore impetu illatus ædificia euerterat, agrisq; passim inundatis, maximam pecorum villarumque stragem fecerat, alueum eiusdem ruderibus impeditum, ædificiorumque prolapsionibus coarctatum, ijsdem ruderibus reiectis repurgauit laxauitque. Flaminiam inde viam, qua exercitum ducturus erat, & vt vrbs quoque facilius adiretur, per CCXXXII. millia Ariminium vsque instaurauit: D

VIAE MVNITAE. reliquas triumphalibus viris ex pecunia manubiali sternendas muniendasque distribuit. Hinc statuæ Equestres, Quadrigæ quoque & Cippi cum titulis tam in ponte Tiberis, quàm Arimini Cæsari positæ.

PRAEFECTVS VRBIS. Ceterùm quòd in Galliam profecturus esset, ne quid per absentiã suam Respublica turbaretur, Messallam Coruinum Vrbi Italiæque Præfectũ creauit. Verùm postquam is siue nouæ administrationis imperitia, siue inuidia deterritus, intra sextum diem hoc se honore abdicasset, M. Agrippam in locum Messallæ

A fallæ surrogauit. Agrippa verò octauo demùm pòst anno Statilium Taurum hoc in Magistratu successorem habuit. Quumq; per id tempus grassatores plurimi, quasi tuendi sui causa, ferro succincti in publicum prodirent; captique per agros viatores liberi seruique sine discrimine ergastulis conderentur, dispositis per oportuna loca militum vigilijs ac præsidijs, vim illorum coërcuit: & repugnandorum passim per Italiam ergastulorum curam Tiberio priuigno suo mãdauit; quorum domini quoque in inuidiam venerant, quasi non solùm viatores per vim exceptos occultarẽt, sed & si quos militiæ obeundæ metus ad huiusmodi, vt elaberẽtur, latebras compulisset. Consularibus etiam viris B aliquot traditis militibus, coërcendi per Italiam seruitia, eosq; qui nouorum motuum per audaciam auctores essent, opprimendi potestatẽ dedit. Rebus ita in Vrbe & Italia compositis, quia Britanniam intestinis seditionibus turbatam, Hispaniam citeriorem in armis esse, & Galliam malè quietam ad nouas res sollicitari nunciatũ erat, Iani portas aperuit: votisque in Capitolio nuncupatis, via Flaminia cum exercitu profectus est. Armini Britannorũ legati pacem petentes occurrêre. Britanniam aliquot antè annis Diuus Iulius cum exercitu ingressus, quanquam prospera satis pugna littore potitus incolas terruisset, eandem tamen posteris ostenderat tantùm, non tradiderat. Mox per bella C ciuilia & versis in Rempub. Principũ armis, longa Britannorũ obliuio fuerat. Hinc consultũ Augusto visum, dum pacem vltrò peterent, non esse lacessendos. Itaque in fidem per legatos recepti, & vectigales facti sunt. Ipse in Galliam Narbonensem, vt Hispaniæ tumultuanti copias propius admoueret, iter conuertit: conuentuque Narbonæ indicto, trium Galliarum censum tali formula egit, vt singuli nomẽ fundi sui, quot iugerum, in qua ciuitate, in quo pago, quot item seruos haberẽt, profiterentur; omniaque ipsi qui referrent, æstimarent. Gallias autem ipsas, quæ etiamsi à Diuo Iulio in prouinciæ formam redactæ, ob repentinos tamen diuturnosq; bellorum ciuilium motus, nondum satis D compositę erant; ipse pacatis inter se ordinibus ac populis, datisque legibus ordinauit, & in quattuor partes fluminibus distinctas diuisit; in Narbonensem, quę à Varo flumine ad Pyrenæos montes protenditur; Aquitaniam, quæ ad Garumnam vsque; Lugdunensem, quæ ad Sequanam; inde Belgicam, quæ Rheno terminatur. Vniuersæ verò Galliæ vectigal sestertiûm quater millies imperauit. Gallia ad eum modum ordinata, in Hispaniam superato Pyrenęo profectus est, Tarracone hibernaturus, colonia in sinu quodam maris Balearici à Scipionibus olim condita: ibidemq; octauum Consulatum cum T. Statilio Tauro iterum inijt. In Hispania multo mutuoq; sanguine per annos

IANVS APERTVS.

BRITANNIÁ RECEPTA ET VECTIGALIS.

GALLIA PÁCATA.

GALLIAE DIVISIO.

AVGVSTVS VIII. T. STATILIVS TAVRVS II. COSS.

ducentos à Romanis certatū fuerat: totaque in tres prouincias distin- A
cta possidebatur. Cantabri tamē & Astures, qui Septemtrionalia Oceani littora, præruptos inaccessosque scopulos & montes eius regionis editissimos incolebant, neque imperata faciebant, neque arma deponebant; sed fera asperaque gens prædantium magis quàm bellantium more latrocinijs populationibusque vicinos agros incursabat; sociósque Populi Ro. minis, terrore, & calamitate ad defectionem sollicitabat: nec sua libertate contenti, etiam ad alienam oppugnandam armis grassabantur; magnaque manu Vaccæos Autrigonásque crebris incursionibus infestabat. Legati itaq; Tarraconem à Vaccæis ad Augustum venêre, querentes ex agris omnia sua à Cantabris agi ferrique, castella B
oppugnari; nec spem vllam Vaccæis in re propemodum perdita superesse, nisi auxilia expedita quamprimùm mittantur: nunciari namque nouas hostium copias agris suis appropinquare; breuique non agros modò, sed & oppida in ipsorum ditionem ventura. Cantabros enim patentibus, vt in pace, portis, ex improuiso Sagesamam oppidum primo impetu occupasse; oppidanos cum coniugibus ac liberis in arcem confugisse, ibique clausos fame & inedia pressos, extrema quæque, nisi tempestiuè succurratur, expectare. Augustus bono animo esse iussis, se haud segnius quàm fide Populi Romani dignum esset cum exercitu adfuturum promittit: præmissisque qui Vaccæis præsidio essent, cum C
alijs quinque millibus, qui hostem distinerent, ipse composito agmine, non itineri magis aptè quàm prælio, si res ita tulisset, decimis castris Sagesamam venit. Clausisque portis Cantabros intus obsidentium pariter atque obsessorum animo, hinc mœnia tueri, illinc arcem oppugnare videt, terrere simul ac pauere. Mutauerat vtriusque partis animos Romanorum aduentus. Sagesamenses enim ex ingenti metu ac ferè desperatione in summam alacritatem erexerat: Cantabros autem ex propè certa capiendæ mox arcis fiducia, quòd oppido potirentur, in exiguam de se ipsis spem verterat. Cæsariani à Sagesamensibus obsessis per portam auersam intra arcem recepti, clamore sublato, vti Cæ D
sar iusserat, indicium fecerunt. Hic clamor aliquanto maiore ab exercitu qui vrbem corona circundederat exceptus, indicium intellectum vicissim significat. Vrgentur vtrinque Cantabri: dumque nec impetum ex arce ac superiore loco decurrentium sustinent, nec simul Romanos mœnia subeuntes, portarumque claustra ac obices molientes arcere valent, captis primo scalarum ascensu mœnibus, inde effractis portarum claustris, Romani vndique in oppidum irrumpunt. Cúmque anceps hostis à fronte & à tergo instaret, nec ad pugnam vis vlla superesset, nec ad fugam via pateret, ad vnum omnes in medio cæsi,
ita

BELLVM CANTABRICVM.

A ita tamen vt non inulti caderent. Recepta ab hostibus Sagesama, Augustus quoniam ciuitas oportuno alioqui loco sita, ob ciuium infrequentiam non satis coleretur, ex veteranis duo colonorum millia eò deduxit; agrosque ijs è publico adsignauit: ipsamq; Sagesamam cognomine Iuliam vocauit, & Cluniensium conuentui cum iure Italico adscripsit. Vnde tripartito exercitu per legatos C. Furnium, P. & T. Carisios totam complexus Cantabricam, efferam contumacemque ad omnia gentem varijs cladibus per annos quattuor fractam, quinto demum anno per Agrippam edomuit. In Cantabris enim omnia erãt quæ militem Romanum ad virtutem acuerent, eiusdemque labores COLONIA SAGESAMA IVLIA.

B vel exercerent vel ludificarent. Loca montana cautibus, rupibusque præruptis aspera acferè inaccessa; quæ ipsis Romanis capere, vel ex ijsdem præoccupatis hostem deijcere par labor erat. Itinera ardua, angusta, infesta insidijs; hostis ipse leuis, velox & repentinus, qui nullum vsquam tempus, nullum locum quietum, aut securum esse patiebatur, neque vnquam æquo loco congrediendi potestatẽ faciebat: quiq; montibus suis assuetus, ad concursandum inter saxa rupesque aptior ac leuior, cùm velocitate corporum, tum armorum habitu, Romanũ campestrem locisque planis & apertis assuetum, adhæc grauem armis, statariumque, eo pugnæ genere raptimque nunc procursando, nunc

C se recipiẽdo facillimè eludebat. Ad hæc locorum non tam opere quàm situ & natura munitorum oppugnatio, vti necessaria, ita laboriosa simul ac periculosa. Ipsa regio inops; quæ parsimonia milites adstringeret, prædam præberet exiguam. Cæsar itaque quum militi suo cum tot simul difficultatibus luctandum videret, locisque insuperabilibus atque adeò ipsi ferè naturæ vim afferre necesse esset, varijs diu curis anxius atque animi dubius, dum nunc cogitatione, nunc suorum consilijs in diuersa distrahitur, commodum per Vasconum Magistratus, qui tum fortè aderat, de natura & situ locorũ montiumque, qui tunc à Cantabrorum insidijs insidebãtur, edoctus, intelligit militem suum

D à tergo & à littore per placidè accliuos colles, superatis aliquot montiũ anfractibus, nec iniquo, nec perdifficili aditu ad hostium castra deduci posse. Quæ quidem quanquam nõ tam vera esse crederet, quàm optaret, Cæsar tamen spem oblatam experiri statuit. Classem igitur, quam ad sinum Aquitanicum in statione habebat, expediri iubet. Peditum selectissimorum perspectæ virtutis & agilitatis decem millia P. Carisio & Tiberio Neroni priuigno suo (qui hoc bello Tribunus militum prima stipendia faciebat) tradit: simul mandat, vt ijs in naues impositis, Cantabrorum littora quamprimùm peterent; inde quà duces viam monstrarent, irent. Vbi, vti illi futurum receperant, ad hostes peruentum TI. CLAVDIVS NERO TRIB. MIL.

tum esset, tum quidem oblata rei fortiter gerendæ, quam toties optassent occasione & facultate, virtutem suam ostenderent: gentéque non armorum sed locorũ fiducia latrocinantem potius temerè, quàm constanter bellantem, vel ad imperata cogerent, vel penitus delerent. Inde ipsos itineris duces, si dictorum fides exstaret, ingentibus onerat promissis: ita tamen vt vinctos interea Neroni traderet. His copiis ita dimissis, eò intentius vndique instare Augustus, lacessere, vexaréque Cantabros, & dispositis circumquaque per stationes præsidijs, ne quà elaberentur, velut indagine claudere instituit: relictóque ad eam curationem T. Carisio, C. Furnium cum parte exercitus per Antrigonas ad Vellicam Cantabrorum oppidum (quà ęquissimum per deuia aditum præbebant montes) ducere iubet: si qua tamen periculosa, & prærupta occurrerent, cum locorum iniquitate ne pugnaret: sed per obliqua montium ad hostem deflecteret, seséque in planitie aliqua contineret, atque integrum seruaret, dum copias cum P. Carisio coniugere posset. Furnius igitur per Vindij montis saltum ad hostem pergit; ceterùm aspera & confragosa vsqueadeò via fuit, vt expediti, qui præmissi fuerant, confecto ægrè per biduum itinere, ad Camarigam castra posuerint. Inde septimis demùm castris ad Iberi fluminis fontes (loco nomen Iuliobrigæ erat) progressi, nuncium ad Furnium remittunt; peruentum ad hostem esse; loco tuto & ad omnia oportuno consedisse; proinde quàm maximis posset itineribus consequeretur. Furnio tam propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, quàm de salute eorum, quos paucos inter media hostium præsidia præmiserat, solicito, nuncius ad Neruæ fluminis fontes occurrens, quæ iussus erat exponit. Hinc resumta fiducia suos assecutus, coniunctisque copiis in ącliui tumuli, quem sui præmissi occupauerant, castra locat. Patente autem quàm latissimè è summo montis cacumine prospectu, non hostium modò sedes, quæ paullò plus duorum millium perpetuis montium iugis aberat, sed & omnis ad Vellicam & Cantabricum Oceanum, scopulosque Vardulorum, regio oculis subijciebatur. Inter hæc P. Carisius & Tiberius oram Cantabriæ legebant: exscensionéque ad ostia Neruæ fluminis facta, primò agros vastare, mox hostes procurrentes secundis aliquot præliis fusos in montes compellere. Ita omnis multitudo vna eadémque nocte relictis locis campestribus, desertisque castellis, in Vellicam oppidum vicinósque saltus dilapsa est. Vellica, quòd in tumulo excelso sita esset, nec scalis, nec operibus capi poterat. Crebris itaque missilibus eos qui intus præsidio erant lacessendo, cùm ad excursiones elicuisset, refugiendo inuicem insequendoque, & frequentibus, sed sine discrimine certaminibus, eò tandem negligentiæ & contemtus

P. CARISIVS LEG. PROPR.

A B C D

A temtus adduxêre, vt dum ficuti foliti erant in oppidum fe reciperent, Romani fugientibus permifti,facto in portam impetu fimul irruerét. Receptaculum id maximè prædonum fuerat,& inde in oras finitimas & pacatos agros incurfiones faciebant. Ad hunc modum potitus Vellica Tiberius,de prædonibus fupplicium fumit: ceteros quæftori,vt fub corona venderet, imperat. Oppidum verò ipfum militibus diripiendum dedit. Interea C.Furnius fuperatis faucibus,deiectoque inde bar barorum præfidio,Satyrorum colles occuparat.Hunc Tiberius & Carifius de Vellica capta certiorem faciunt;monentque hoftium caftris à tergo & à lateribus infultare: eofdemque quoquo modo premere, &
B vrgere; dum Carifius parte alia Cantabros, qui iuga faltusque, arcta confragofaque loca infederant, ad opem ferendam fuis eliceret. Vellicam igitur incendere, ignemque vicis paffim inijcere, atque omnia latè flamma ferroque vaftare iubet. Fumus primò confpectus, inde clamor in vicis trepidantium auditus; poftremò pueri & mulieres per deuia ignotasq; calles vfque ad caftra obrepentes, tumultu miferoque eiulatu omnia mifcebant. Cantabri itaque dum fine confilio,fine imperio,velut cæci furentésq; ad fua tuenda decurrũt; ac in Romanorum præfidia idoneis pafsim locis,ad itinerum fauciumque exitus difpofita incidunt, pars magna cæfi funt. Plurimi quoq; in præcipitia,alij fuper
C alios ruentes obtriti. Numerus interfectorum haud facilè iniri potuit; quòd inter auia,anfractusque montium fuga cædesque longè latéque patuit: deleri omnes poterant, nifi equitem anguftiæ locorúmque afperitates, peditem armorum grauitas impediffent. Cantabri ea clade difperfi,focijque omnes cum liberis,coniugibus, ac neceffarijs,fuga in Vindium montem eius regionis editiffimum fe recipiunt;ibíque confidentes fe vel folo tædio hoftem tandem fatigaturos fibi perfuadent. Neque enim Romanos per loca tam ardua atq; iniqua vnquam fubituros credebant;vel fi conaretur, quamtumuis parua manu prohiberi ac deturbari poffe: imò ne quietos quidem ad gelidifsimorum montium
D radices,vti neque frigus diu laturos (quippe inftante iam durifsima anni parte) ita neque frumenti reliquorum'que commeatuum inopiam, quorum propter locorum afperitatem tarda difficilísque ex Aquitania fubuectio erat. Romani,quia bellum impeditum,arduum,cruentũq; fupereffe videbant, fi loca iniqua fuperare conarentur; placuit fubiectos tumulos foffa loricáque per quattuor paffuum millia circumdare; ipfósque tumulorum vertices armatis vndique præfidijs caftellísque munire: vt Cantabros multitudine fua breui ex fame terúmque inopia laboraturos circumfedendo ad deditionem cogerent. Diu tenuit ea gentis duriffima obfidio: fed tandem victa pertinacia eft:

N quum

quum siti fameque presśi in eam tandem necesśitatem, eoque inopiæ A prolaberentur, vt filij parentes imbelles, matres, liberos suos, iuniores & validi senes imbelles trucidarent, corporibus eorum famem tolleraturi. Rebus tam deploratis accesśit & aliud malum vel omnium perniciosisśimum, ipsorum inter se discordia, quemadmodum tali rerum statu solet: his deditioné, alijs mortem, & mutuos inter se ictus parantibus. Erant qui vim ad eruptionem, pars clementiam Romanorum experiendam censerent. Inter has contentiones Asturum decem millia, qui se cum Cantabris coniunxerant, ab eisdem cum liberis atque vxoribus eijciuntur. Hi ad munitiones Romanorum succedentes flentesque, orabant, vt se in seruitutem receptos cibo iuuarent, inedia alioqui perituros. Hos Tiberius dispositis in vallo custodibus recipi prohibebat; vt eorum vita ceterorum vitam oppugnaret, sedendoque bellum conficeret. Postremò non cibo solùm, sed & spe deficiente, pars maxima vtriusque sexus & imbellis, ne quid inuiti vlterius paterentur, sumto quod ex herba quadam apio simillima miscuerant pharmaco, mortem præoccupant. Iuuentus verò ferro inter se concurrens mutuis cædibus concidit: reliqui ad tria & viginti millia miserabili & fœdo agmine è montium iugis descendentes, arbitrio se Romanorum permisēre. Ex iis selectisśimum quemque Carisius & Furnius ad decem millia secernunt; iisdem in bello quod contra Astures parabatur C vsuri. Ceteri sub corona venundati, ea lege vt in vicina regione ne seruirent, néve intra tricesimum annum manumisśione donarentur. Vellicensibus vt vrbem instaurarent permissum; sed arma omnibus ademta: quam rem vsque adeò ægrè & molestè tulēre, vt multi mortem sibimet ipsi consciscerentur. ferox scilicet gens nullam sine armis vitam esse rata. Auctores habeo idoneos, qui puerulum quendam parentes & fratres captiuos, ac vinculis adstrictos, ipsius patris iussu vniuersos gladio confecisse scribant. Additur & mulierem quandam captiuos necesśitudine sibi iunctos trucidasse: & prædonū plerosque cùm in crucem agerentur, etiam cantu & carminibus animi præsentiam, D imò & lætitiam alacritatemque in ipsa morte testatos. Dum hæc in Cantabria per Legatos geruntur, Augustus Tarraconem valetudinis curandæ caussa profectus, dum noctu, vt æstum vitaret, iter facit; fulgur fortè lecticam eius perstringens, seruum cum face prælucentem exanimauit. Ipse eo periculo liberatus, ædem Ioui Tonanti vouit. Ibi

CALAGVRIT. MVNICIP.

& Calaguritanorum manum, quam Romæ, vt prædiximus, superiore anno exauctorauerat, quorūq; opera diu & fideliter ad corporis custodiam vsus fuerat, misśione & premiis donauit: agrumq; in Vasconibus iisdem asśignauit: oppidumq; ipsorū municipiū Calaguritanū cū iure mili-

A militandi in legionibus Romanis constituit. Mox & Cæsaream Augustã coloniam liberã in Edetanis ad Iberi fluminis ripam ex veteranis deduci, atq; vnam ex septem Citerioris Hispaniæ conuentibus esse iussit. Nec procul inde Celsam ciuium Romanorũ coloniã collocauit: Celsensésq; conuentui Cæsaraugustano adscripsit. Hasque duas colonias velut claustra ad cohibendos Celtibericos tumultus opposuit: ipsum verò flumen Iberum ponte lapideo strauit. Multorum Annalibus proditũ est, Seres Indiæ populos antea solo nomine cognitos, legatos cum munerib. misisse; eosque post quadrienniũ demùm ab extremo Oriente in vltimum Occidentẽ, Tarraconẽ ad Augustum peruenisse,
B amicitiam ipsius Populique Romani petentes. Eòdem & Scythas barbaram efferatamq; gentem celebritate nominis Augusti, famaque virtutis eius excitos, suos quoque legatos vltrò misisse, similiter amicitiã ipsius Populique Romani petituros. Polemon quoq; Ponti Rex socius amicusq; Populi Romani appellatus est. Romæ sub id tempus Cornelius Gallus Ægypti præfectus à contubernali suo Valerio Largo in Senatu accusatus est. Hunc Augustus à Mæcenate & Virgilio cõmendatũ ex infima fortuna ad eam pręfecturã prouexerat: ceterùm eidem postea ob ingratum & maleuolum animum (qui ne ipsum quidem maledictis & contumeliis lacerare dubitasset) domo & prouinciis suis
C interdixerat. Is itaque cùm partim Augusti indignationẽ veritus, partim metu supplicij (nam & regni affectati condemnatus erat) sibi ipsi manus intulisset, fertur Augustus, vt erat amicitiarum cultor constantissimus, ob casum Galli illacrimasse, & vicem suam conquestus, quòd sibi soli non liceret amicis quatenus vellet irasci. Gallo P. Petronium Turpilianum successorem Equestris ordinis virum dari iussit. Eodem tempore M. Egnatius Rufus, cùm esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus, nec melior ipsi res familiaris quàm mens foret, in Ædilitate plebis exstinguendis priuata familia incendiis fauorem populi collegerat; eadem populari aura Præturam priuilegio oc-
D cupatam continuauit: quumque antea secundis rebus ac fauore vulgi vix tollerabilis fuisset, tum vtiq; immodicè insolenterq; se gerendo animum ad Consulatus spem attollebat: & quò malis artibus & per alienam inuidiam honores sibi & splendorem aucuparetur, ipsum etiã Augustum insectari ausus est. Eius furorem ad tempus dissimulauit Augustus, satisque habuit, eum ne quid atrocius moliri posset cõërcere; donec publica auctoritate, quia insanabilis erat, semetipsum, vt in tempore memorabo, euerteret. Ne tamen Egnatius nimium suo beneficio efferretur, Ædilibus mandatum, curarent ne qua existerent incendia: si qua experirentur, ea publico sumptu restinguerent.

COLONIÃ CAESAREÃ AVGVSTA.

INDORVM ET SCYTHARVM LEGATIO.

P. PETRONIVS TVRPILIANVS PRAEFECT. AEGYPTI.

A næ pariter ac viri sine discrimine trucidati. Quin & ad infantium cædem crudelis peruenit ira. Ignem deinde tectis inijciunt: & quæ flamma absumere non valuit, vi diruunt. Parte alia C. Antistius, & Q. Ælius Lamia legati in Astures profecti, agros hostium latè populantur: tectis ipsisque segetibus flammas subijciunt: omnia terrore ac fuga complent. Astures agmine ingenti ad oppidum Intercatiam occurrunt. Viginti millia armatorum fuisse quidam prodidêre: ex ijs duodecim millia cæsa, oppidum ipsum Intercatiam receptum, & puberes omnes interfectos. Inde ad Medullium montem Minio flumini iminētem mouent; in quem Asturum multitudo Cantabris permista B se conglobauerat. Eum Romani vt hostem à pabulatione & subita eruptione arcerēt, vallo fossaque circumdant: ita vt XV. millia passuum munitionibus amplexi includerent. Postquam gens efferata ab omnibus locis obsessa res suas perditas, extremaque instare videt, certatim igne, ferro, imò & veneno inter epulas mortem metu seruitutis in libertate oppetiêre. Asturibus se maxima pars deuotorum è Cantabris finitimisque populis coniunxerat: horum hæc est conditio, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruantur quorum se amicitiæ dediderint: si quid ijs aduersi per vim accidat, aut eundem casum vnà ferant, aut mortem sibi consciscant. Magna præterea multitudo perdi- C torum hominum latronumque vndique conuenerat, quos ab agricultura & quotidiano labore, spes prædæ & belli studium auocabat. Quibus copijs confirmati Astures, è montibus suis digressi castra ad Asturam flumen metantur; vt eodem superato C. Antistium, T. Carisium & P. Silium, Augusti legatos, qui trinis castris consederant, tripartito agmine & de improuiso aggrederentur. Et sanè ancipiti dubioque certamine magna clades accipi potuisset, quòd castra incuriosè in hostico posita erant, tanquam si procul Astures abfuissent, nisi Brigecimi hostium castra prodidissent. Antistius itaque copias cum ceteris coniungit; simulque hostibus obuiam profecti, eorum consilia armis op- D pressêre. Vix aliâs vnquam ita acriter dimicatum; idque nō sine manifesta vtriusque partis pernitie, si prælium longius extēdi potuisset, neque illud nox superueniens diremisset. Acrior itaque concursus quàm cædes fuit. Et sicuti æquata hinc inde ferè pugna fuerat; ita clade pari discessum est. Postero die prælium, vt quod maximè vnquam, pari vtrimq; spe, æquis viribus, magna cum fiducia sui & contemtu hostium commissum est. Stabant obnixi Astures, quanquam plura acciperent quàm inferrent vulnera. Et iam diu pugnatum erat, atroxque circa Asturum signa cædes, cù m necdum vlla ex parte fuga: adeò sola morte vinci animis destinauerant. Donec tandem Romani quum effluere

iam lassitudine hostium vires sentirét, & diei haud multum superesse, A
ira accensi se in hostem concitant. Ibi tum primùm pedem referri atque in fugam aciem inclinari vidisses; tum capi, tum occidi hostis; vel ipsis Romanis vltrò confitentibus nunquam cum petinaciore hoste dimicatum fuisse. Reliquiæ fusi exercitus oppido Lancia exceptæ sunt: ad quam oppugnãdam postquam admotus esset exercitus, tanta contentione certatum est, eoque militum processit ira, vt Asturibus ad internecionem cæsis, Lanciam ipsam oppidum ferro flammaque delendam sibi deposcerent. Sed vicit Antistij sententia, censentis vrbem esse conseruandam, vti clementię Romanę apud posteritatem monumentum foret. Augustus quoque veritus ne gens efferata ob montium in B
quos se recipiebant fiduciam, iterum rebellaret, castra sua quæ eò loci in plano erant, habitari & incoli iussit; oppidumque condi, cui nomen factum Asturica Augusta, quæ ad Minium flumen sita est. Natura eius loci aurifera, minijque & aliorum colorum pigmentorumque ferax. Augustus itaque dum suos solum exercere iubet, dumque latentes in profundo opes atque diuitias pro alijs inquirunt, agnoscere cœpere.

ASTVRICA AVGVSTA COLONIA

Bello iam confecto Augustus veteranos emeritosque missione donauit: oppidumque ijs ad Anam fluuium in Lusitania condere iussit; coloniamque de suo nomine Augustam, ab ipsorum missione Emeritam cognominauit. Auctores habeo, qui eodem tempore Augustobrigam in Pelendonibus, in Arenaccis Augustam Nouam, itidem Toletum ad Tagum colonias, omnesque militares deductas, & iure Latij veteris donatas scribant. C

EMERITA AVGVSTA COLONIA.

AVGVSTOBRIGA AVGVSTA NOVA TOLETVM COLONIAE.

Dum hæc in Hispania geruntur, A. Terentius Varro ab Augusto contra Galassos gentem inalpinam missus, rem benè gessisse nunciatur. Hos, quia coniunctos ægrè prælio superare aut frangere potuisset, primùm sparso mistoque variè bello distinuit: deinde distractos carpsit; demùm profligauit, imperataque pecunia pacem petentibus dedit. Ceterùm quum subinde rebellarent, quò eos arte caperet & in potestatem redigeret, militibus quos sub prætextu cogẽdæ pecuniæ, quæ imperata fuerat eò mittebat, secretò mandat, vt omnes pubertatem ingressos ad se captiuos deducerẽt: eos comprehensos tanquam belli iure captos sub corona vendidit; ea conditione vt ne quis eorum ante viginti annos manumitti posset. Ad hæc arma omnibus Salassis ademit, ne pacem sæpius sollicitarent: agrique præcipuæ fertilitatis partem militibus prætorianis assignauit: coloniamque Augustam Prætoriam ibi condidit. D

Sub hæc ferè tempora & in Germaniam bellum exarserat contra M. Vinicium; gentis nomen à scriptoribus neque loci proditur; sed caussa additur, quòd Germani negotiatores aliquot Romanos, qui commerciorum gratia

A in Germaniam profecti erant, crudeliter vexassent. Eam iniuriam vlturus Vinicius, contra eos mouit; & re prosperè gesta bellum pluribus in locis feliciter sustinuit. Quumque ob hæc, & res in Hispania gestas triumphus Augusto decretus esset, ipse VIII. Imperatoris cognomine accepto,eoq; contentus triumphum recusauit. Hoc quoque inter honores ei collatos additum, vt primo quoque anni die laurea & veste triumphali vteretur. Augustus ex Hispania in vrbem reuersus, templum Iani,quod horum bellorũ caussa aperuerat,iterum clausit. Post hæc Iubam historicũ,eius Iubæ qui à Diuo Iulio deletus fuerat,filium; collocata ei in vxorem Cleopatra Antonij & Cleopatræ filia,in Mauretania & Getuliæ parte regnare iussit. Id quoque memoria dignum antiquis visum est, Iubam à Diuo Iulio in triumphum, vt & Cleopatram ab Augusto ductos fuisse, & vtrumque postea regnasse.Quumque sub id ferè tempus Amyntæ regis mors nunciata esset, regni successionem regis liberis neutiquam permisit Augustus;sed Gallogræcia & Lycaonia,quæ Amyntæ fuerant, per M. Lollium in prouinciæ formam redactis,oppida quæ in Pamphilia eidem regi paruerant, libertati restituit. Quum autem ob valetudinis incommoda Iuliæ suæ nuptias,quam Marcello Octauiæ sororis suæ filio desponderat,ipse Romæ celebrare non posset; eius rei curam Agrippæ commisit: à quo & Pantheon hoc anno absolutum & dedicatum fuisse memoriæ proditum est: fuisseque id templum forma conuexa ad cælestis concauitatis similitudinem fastigiatum. Iam Augustus X.cum C.Norbano Flacco Consulatum ceperat, quumque propter valetudinem necdum ad vrbem redisset, primo ipsius anni die Senatus in eius acta iurauit;& quò absolutam ipsi in imperio potestatem tribuerent, legibus eum soluerunt. Postea restitutus ac in vrbem reuersus, congiarium Populo quadringenos sestertios viritim distribuit: votaque & à Senatu, & à Populo Pro Salute eius & Reditu soluta sunt, aræque statuæ & coronæ Ex Voto positæ. Tributum & hoc honori Cæsaris decretumque, vt Marcellus gener ipsius,& Tiberius priuignus,lege annali soluti, ante tempus hic Quæstor, ille Ædilis Curulis crearentur. Dum hæc Romæ geruntur,Cantabri & Astures discessu Augusti intellecto, iterum rebellarunt:simulatoq; per fraudem obsequio, Ælium Lamiam, quem Cæsar Hispania decedens ijs gentibus cum imperio præfectum reliquerat, rogant vti milites ad frumentum, quod ipsis imperatum fuerat, cogendum mitteret. Missos ad se per insidias interceptos iugulant. Eam iniuriam Ælius flamma ferroque vltus est; agroque ipsorum latè vastato, vrbibusque incensis, & vendita maxima iuuentutis parte,eos iterum ad imperata coëgit. Sub idem ferè tempus Ælius Gallus

AVGVSTVS IMP. VIII.

IANVS CLVSVS QVARTO

B C D

AVGVST. X. C. NORBANVS FLACCVS COSS.

EXPEDITIO ARABICA.

Gallus qui Ægypto præerat, in Arabiā felicem, vt regnum auro, gemmis, aromatibus locuples & nobile exploratius cognosceret, decem millitum millia auspicijs Augusti in eam expeditionem educit: quibus Herodes quingentos è suo satellitio lectissimos adiunxit, & Syllæus præcipuorum in Arabia Regulorum legatus, Nabateorum nomine mille quingentos. Nabatæi namque gens eius regionis celeberrima, societatem & amicitiam offerentes, Ælium magna spe impleuerant, maiore Syllæus. Qui (vt sunt Arabum ingenia ad fraudem callida) Ælio fidem fecerat, si classe Arabiam secundum littora legeret, futurum vt crebris per oportunitatem exscēsionibus, situm eiusdem commodius & nullo aut quàmminimo suorum discrimine ac molestia exploraret: deterrens interim à terrestri itinere, quòd inuias & squalentes perpetuasq; à Petra vsque in Sabæorum regionem solitudines pertinere falsò affirmaret; easque cineri quàm pulueri similiores exercitui ob sitim, famem, ardorem insuperabiles. Placuit itaque exædificata ad Cleopatridem CXXX, nauium longarum classe, impositoque exercitu, maritimas littoris Arabici oras explorare. Ea in nauigatione Romani per quindecim dies magno cum discrimine vexati, tertia insuper nauium parte vel conuulsa dilacerataque, vel cum ipso milite depressa, tandem ad Argancomen maximum apud Nabathæos emporium exscensionem faciunt. Ipsa quoque cœli tempestas, quæ ab Aquilone sæuiebat, ad tegendam Syllæi fraudem perquàm oportunè subseruiebat: quòd cladem solertia & calliditate ipsius acceptam, Romani vento fluctibusque assignarent. Syllæus enim, qui & regiones locorum, & naturam situmque sinus Arabici, vtpote importuosi & procellosi cæcisq; scopulis asperrimi probè norat, pro actuarijs ad transportandum secundùm littora militem idoneis, naues longas armatásque, veluti si ad prælium instruerentur, ædificandas persuaserat, quò scilicet mole magnitudineque sua grauius ad scopulos vadaque reciprocis æstibus allideren tur. Ælius à clade accepta, vti exercitum à nausea proxima & incommodis à mari acceptis, simul & ab aduersa valetudine reficeret, id quod reliquum erat æstatis, ipsamque adeò hyemem apud Argancomenses exegit. Syllæus autem vti & ad reliquas, quas deinceps Romanis moliebatur fraudes, fidem sibi & viam præstrueret, Gallum Obodæ Regi, cui legatus erat, commendatū, simulque militem ipsius, benignè hospitaliterque excepit & coluit; seque & ad Aretam Arabiæ Petreæ regem itineris ducem fore pollicitus, per squalentes ariditate campos maximo cum militum iumentorumque labore & molestia; ita vt aquam à camelis supportari necesse esset, per varios flexus ambagesque viarum circumduxit. Verùm Aretas amicus & socius Augusti

A gusti, Romanos perquàm benignè exceptos nullo non hospitalitatis genere prosequutus est, eosdemque à difficultate molestiaque itineris priuatis publicisque officiis recreauit. Illinc digressos AElius pari viarum asperitate, commeatuumque & pabuli inopia iterum per integrum mensem vexatos, tandem quinquagesimis inde castris ad Sabæos perduxit. Ibi primùm armati occurrêre hostes; ex his decem millia cæsa sunt: è Romanis duo tantùm desiderati. Inde Mariabam vrbem, quæ sex millium circuitu patebat, nullo eum labore captam, præsidio firmauit. AElius mox & alia sex oppida, quorum nomina vt olim apud Romanos obscura, ita nunc cum ruderibus suis sepulta iacent,
B diruit. Ita paucis admodùm ex his quæ animo conceperat, exploratis & perspectis, totum iter sexagesimis inde castris relegit: quod sex antea mensium spacio, militibus morbo sitique confectis, plurimis etiam ob aëris circumfusi insolentiam, æstumque in ijs regionibus intolerabilem exanimatis, dolo fraudéque Syllæi parum secunda fortuna confecerat. Syllæus postea, quòd Obodam Regem suum ex insidijs interemisset, regnumque affectasset, accusante Nicolao Herodis legato, conuictus, & huius quoque in Gallum perfidiæ, Senatus iudicio condemnatus, & securi percussus est. Augustus vndecimum Consulatum cum A. Terentio Varrone ceperat: fuitque is annus ab externis AVGVST. XI. A. TERENT. VARRO COSS.
C quidem bellis quietus, verùm pestilentia & graui cœlo, Tiberisque inundatione coorta funestus. Ceterùm non tam crebris & frequentibus funeribus metuendus, quàm clarorum virorum mortibus minax. Consulem namque Varronem Augusti collegam, M. item Marcellum AEdilem Curulem consumsit. Ipse quoque Augustus graui difficilique morbo aliquamdiu conflictatus, vix tandem periculosa dubiáque Antonij Musæ Medici experientia potius, quàm arte curatus est. Hepate namque ex destillationibus viciato, quòd calidis non releuaretur fomentis, frigidis esúque lactucæ recreatum sanatúmque auctores quidam tradunt. Ipsi Antonio Musæ, cuius opera & consilio ex
D tam ancipiti morbo conualuerat, statuam iuxta AEsculapij signum Populus Romanus ære collato poni iussit. Senatus autem eidem libertate tantùm & ciuitate antea donato, non Equestria solùm ornamenta, sed & ingenuorum iura tribuit; decretumque in honorem ipsius artis, vt omnibus deinceps Medicis immunitas esset. Adhæc vota à Senatu Populóque Pro Salute Cæsaris suscepta, publicè soluta sunt; statuę quoque & aræ Dijs Selectis positæ. A plerisque & hoc testamento cautum, vt patrum familiarum voto pro Salute Augusti suscepto, siquidem ante ipsum decedere contigisset, votum ab hæredibus pro VOTA SOLVTA PRO SALVTE CAESARIS.

se solueretur, victimæque in Capitolium ducerentur prælato titulo; Quòd Augustum Superstitem reliquissent. Ab eo quoque tempore in more receptũ, ne quoties vrbem introiret, supplicium de quoquam sumeretur. Augustus igitur in locum Terentij Varronis, Cn. Calpurnium Pisonem Consulem surrogauit, exoratum vltrò vt Consulatum accipere vellet. Piso enim ferocis vir ingenij, Pompæi prius in Africa partes contra Diuum Iulium, inde Bruti & Cassij contra Augustum acerrimè sustinuerat: finitisq; bellis ciuilibus, quamuis concesso sibi in vrbem reditu, honorum tamen petitione abstinuit; donec ab Augusto tantùm non inuitus, vt iam diximus, ad Consulatum prouectus est. Augustus inde in Albanum profectus, Consulatu se abdicauit: nam quum & ipse ex quo tempore Principatum in Republica solus tenuit (vti & alij plerique præcedentes ferè omnes) Consulatus annuos gessisset, quò tamen pluribus in posterum hic honos communicaretur, reliquos deinceps Consulatus inijsse contentus, eosdem haud multò pòst deposuit, vti & hunc vndecimum. Abdicauit autem extra vrbem, ne populi studio impediretur, suffecto sibi honorario Consule L. Cestio: qui, vti antea semper, Bruti studiosissimus, eiusdem etiam num imagines laudésque non obscurè colebat, neque fidem cum fortuna mutauerat. Senatus tantam Augusti modestiam simul & lenitatem admiratus, quòd priuata odia Reipublicæ condonasset, habitáque non tam propriarum simultatum ac offensarum, quàm publici commodi ratione, vtrumq; Consulem ex inimicissimis cooptasset; eidem Imperium Proconsulare perpetuum, Tribunatumque plebis, & potestatem Senatum quoties vellet cogendi decreuit. Quumque & Populus Dictaturam magna contentione offerret, genu nixus, deiectáque ab humeris toga odiosi Magistratus inuidiam nudo pectore deprecatus est. Tribuniciam tamen potestatem, eamque perpetuam, ceteráque quæ Senatus obtulerat, accepit; simul etiam frumentariam curationem suadente necessitate ob summam annonæ difficultatem. Cœptumque deinceps, vt Consules darent quidem nomina Fastis, anniq; ab Vrbe condita in ordinem seriemque sub eorum nominibus digererentur; ceterùm Princeps à Tribunicia potestate accepta, veluti ab Imperij tunc demùm constituti initio, sui quique Principatus & Imperij annos numerarent. Tiberius interim Nero iam vndeuicesimum agens annum Quæstor creatus, curam annonę (quia angustior eiusdem prouentus inciderat) Ostię atque in Vrbe ex mandato Augusti quanta potuit industria ac diligẽtia administrauit. M. aũt Marcellũ Augustus socer ipsius Pontificatu & Ædilitate Curuli ornauerat: cuius

[Margin: A; CN. CALPVRNIVS PISO COS. SVFF.; B; L. CESTIVS COS. SVFF.; C; DICTATVRA ABDICATA.; AVGVSTVS TRIBVNICIAM POTESTATEM ACCIPIT.; D; TI. NERO QVAESTOR]

A cuius opera adiutus ludos apparatu magnificentissimo dedit Kal. Sextilibus (qui mensis ab ipso Augusto nomen accepit) ita vt ludorum diebus inter cetera velis purpureis forum inumbraret. Hunc Marcellum, si quid humanius ipsi accidisset, potentiæ eius successorem fore omnes arbitrabantur. Sed idem haud multò pòst, incertum morbóne correptus, an veneficio Liuiæ (vtrumque enim à scriptoribus proditur) maximo omnium cum dolore adolescens admodùm extinctus est; frustrà artem tentante Antonio Musa: defuncti reliquias Augustus Mausolæo suo inferri iussit. Hunc iuuenem ingenuis instructum artibus, virtutisque cultorem eximium, animo ingenioque læto, & ad
B omnia prospero, tantæque in quam alebatur fortunæ capacissimo, auctores fuisse testantur. Qui Liuiam veneficij inculpāt, verisimiles prætexunt suspitiones; mulierem scilicet ambitiosam, quòd Augusti opibus & fauore Marcellum supra Neronem & Drusum filios suos eminere, haud satis æquo ferret animo, ad amouendam ambigui sceleris inuidiam oportunitate vsam; quòd graui tempore anni & pestilenti cœlo vis morbi per nota, per ignota capita vagaretur; eiusque contagione Marcellus & fortuitò potius, quàm dolo alicuius aut veneno extinctus crederetur. Fama tenet, paulò antè quàm Marcellus morbo corriperetur, Agrippam ob tacitas cum Marcello offensiones, abdicata
C vrbis Præfectura, relictisque omnibus, obtento à Cæsare commeatu, veluti Legatum, vt res Suriæ ob latrocinia turbatas componeret, in Asiam profectum. Desiderauit proculdubiò Augustus in Agrippæ amicitia patientiam constantiorem, quàm vt ex leui rigoris suspitione, & quòd Marcellus sibi anteferretur æmulatione, relictis suis, in Lesbum insulam ac Mitylenas, tanquam in voluntarium exilium, concederet. Sunt qui credant M. Marcello ad munera publica admoto, Agrippam voluisse loco, & quasi possessione vsurpati à se diu secundi gradus sponte cedere; ne quam æmulationis suspitionem præsens alere, aut exercere videretur. Alij mutuæ inter vtrosque æmulationis occasionem ex
D indicio Augusti obortam opinantur: quòd quum exigua in spe animā traheret, coram Senatu & amicis Agrippæ, tanquam designato sibi successori, annulum suum tradidisset, neglecto ob ætatis imperitiam Marcello. Tradunt enim auctores, Augustum tædio diuturnæ & ancipitis admodùm valetudinis affectum, iterum de reddenda Republica cogitasse: atque in id Senatum reliquosque Magistratus in domum suam conuocasse, ijsdemque rationarium imperij tradidisse. Eo libello opes publicæ continebatur, quantū ciuium sociorūq; in armis, quot classes, quæ regna vel prouinciæ tributa aut vectigalia, & quantū eo nomine Populo Ro. penderent, quæ necessariò eroganda, quæ donanda essent.

Ceterùm paulò pòst recreatus, secum reputans se coactum in ordinem, multorum insidijs & audacissimi cuiusque iniurijs obnoxium fore; præterea Rempublicam plurium potestati ac arbitrio non satis tutò committi, imperium retinuit. Sub id tempus Parthorum legatis Senatus ab Augusto datus est. Legationis causa hæc fuerat: Tyridates quidam Phraharte ob tyrannidem à popularibus pulso, Parthiam occupauerat: is paulò pòst à Phraharte cum validissimis Scytharum copijs superueniente profligatus, magna cum amicorum manu ad Augustum in Hispaniam, vbi tum temporis aduersus Cantabros & Astures bellum gerebat, profugerat, minimum Phrahartis filium, quem negligentius custoditum rapuerat, obsidem ferens. Quo cognito Phraharces vicissim legatos Romam ad Augustum mittit, seruum suum Tyridatem filiumque remitti postulans. Res in Senatu acta est, decretoque Senatus iudicium Augusto delatum; qui postulatis vtrimque cognitis, pronunciauit, se neque Tyridatem supplicem suum Parthis proditurum, neque eidem tunc aduersus Parthos auxilia daturum. Tyridates enim si armis Romanorum restitueretur, vectigalem se libertumque Populo Romano futurum pollicebatur. Ne tamen nihil à legatis impetratum videretur, Phraharti filium sine precio remisit: Tyridati autem quoad manere vellet, splendidum & regium planè sumtum præberi iussit. Vtrumque magno consilio Augustus fecisse iudicatur, dum Phrahartem reddito filio ad amicitiam, & ciues signaque quæ Crassorum & Antonij cladibus capta erant, reddenda, pellicere studet: dumque parte alia Tyridatem benignè & hospitaliter interea habitum, veluti armis eum per oportunitatem in regnum reducturus, inter spem metumque suspensum tenere conatur.

M. CLAVD. MARCELLVS L. ARRVNTIVS COSS.

Principio anni insequentis, quo Consules erant M. Claudius Marcellus & L. Arruntius, nondum defuncta plurimorum morbis ciuitate, neglectoq; agrorum cultu, inopia frugum, caritas & fames annum pestilentem excepit; ventumque ad extremum inopiæ foret, ni Augustus consilio, Tiberius autem Quæstor coëmto vndique frumento, tempestiuè prouidissent. Augustus enim in tam arctis commeatibus, quum aliud remedium ad manum non esset, venalicias & lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, imò & seruitiorum partem vrbe expulit. Quo facto postquam annonam leuasset, eáque tandem conualuisset, quidam tradunt constituisse Cæsarem frumentationes publicas in perpetuum abolere, quòd earum fiducia agrorum cultura negligeretur; sed sentētiam mutasse, quia persuasum haberet, per ambitiosos, aut nouarum rerū affectatores posse aliquando restitui. Ita tamen huius rei curam temperauit, vt deinceps

non

A non minorem aratorum & frumentariorum, quàm populi rationem ipsum habuisse constaret. Dio tradit, Populum Ro. hoc demùm anno, dum has sibi calamitates ob iram Deûm accidisse crederet; idq; nulla alia de caussa, quàm quòd Augustus Consulatũ, quem proximis quattuor annis continuauerat, hoc anno non gereret; Dictaturã ipsi summa vi ac contentione, etiam concluso in curia Senatu, obtrusisse, additis minis se eundem Senatum in curia concrematurum, nisi id decerneret: arreptisque XXIIII. fascibus in medium prouolasse, postulasseq; à Cæsare, vti se Dictatorẽ dici, ac rei frumentariæ præfici, sicuti & Pompeius quondam, pateretur. Ceterùm, Augustum accepta rei frumen-
B tariæ procuratione, pari studio vehementiq; deprecatione Dictaturæ inuidiam à se repulisse; ac eodem die, qui erat ante V. Kal. Iulij, Tribuniciam potestatem primùm accepisse. Obseruo eodem tempore & Censuram (quæ XXIIX. annis intermissa fuerat) eamque perpetuam populi itidem studio Augusto oblatam: ceterùm & hac repudiata, in locum ipsius L. Munatium Plancum, & Paullum Æmilium Lepidum Censores esse creatos. Ceterùm, ea Censura, vtpote inter discordes acta, vti neque ipsis honori fuit, ita neque Reipublicæ salutaris; quum alter auctoritatem Censoriam non satis tueretur, alteri flagitiosa anteactæ vitæ dedecora opprobrio essent. Verùm Augustus, ne Censoria digni-
C tas, cuius seueritate in tantam amplitudinem creuerat Respublica, minueretur: aut per istorum discordiam in posterum dissolueretur, ipse Censorum munia sustinuit. Et quia Vrbs frequentibus deformabatur incendijs, Ædiles Curules ijsdem extinguendis præfecit: libertinosque, quorum opera vterentur, sexcentos ijs è publico constituit. Quumque & habitum vestitumque pristinum reducere vellet, ijsdem negotium dedit, ne quem posthac in foro circóve, nisi positis lacernis, togatũ consistere paterentur. Senatusconsulto etiam interdixit, ne quis Patricius, aut ex Equestri ordine, ingenuus, aut ingenua, aut ex ijsdem prognatus, seruilem in modum ad scenicas aut gladiatorias operas se produci
D pateretur, vel in Orchestra saltaret, aut in arenam descenderet. Veritus etiam ne factiosorum hominum cœtus iure collegij ad res nouandas & Rempublicam perturbandam abuterentur, & quia plurimæ factiones sub titulo collegij noui ad cuiusuis facinoris societatem coibant, omnia collegia præter antiqua & legitima dissoluit. Vetuit etiam ne gladiatores sine missione ederentur, néve quis munus gladiatorium nisi S. C. concessum præberet: néve idem frequentius quàm bis eodem anno: nec pluribus quàm sexaginta paribus. Traditur Augustum fastu, prodigalitate, & sæuitia Domitij Neronis potissimùm impulsum eam morum correctionem subijsse. Is enim Ædilis tantùm, in contu-

L. MVNAT. PLANCVS PAVLLVS AEMILIVS LEPIDVS CENSS.

meliam Censoriæ potestatis, L. Plancum Censorem via sibi decedere coëgerat. Equites præterea Romanos ac matronas ad mimum agendum in scenam produxerat: munus verò gladiatorium tanta cum sæuitia dederat, vt Augusto necessum fuerit, clam antea, sed frustra monitum, edicto coërcere. Per id tempus Augustus ædem Ioui Tonanti, quam bello Cantabrico vouerat, consecrauit. Eodem quoque tempore, Cyprum, & Galliam Narbonensem, vt pacatas prouincias, populo reddidit. Nec minimum moderationis suæ documentum præbuit in iudicio M. Antonij Primi: is quòd Macedoniæ Præfectus Odrusorum genti in Thracia nulla iusta de causa, sed prædandi libidine bellum mouisset, repetundarum reus à L. Licinio Murena defendebatur; quumque is, vtpote qui in crimine hærens ab aduersarijs arctius premebatur, huc deflexisset, vt modò Augusti auspicijs, modò ex Marcelli auctoritate eam se expeditionem in Odrusos suscepisse asseueraret, Augustus ad Prætoris tribunal accedens, inficiatus est M. Primum ex suo aut Marcelli imperio quidquam fecisse; hinc conuitijs à Murena percunctationeq; acerba lacessitus, ecquid in foro ageret? aut à quo vocatus adesset? æquissimo animo respondit, se Reipublicæ causa sponte venisse. Erant tamen qui tantam Principis æquitatem, & felicissimum Reipublicæ statum odissent; quippe Fannius Cæpio dux & auctor coniurationis & L. Murena consilia de occidendo Augusto inierant; sed antequàm conspiratio inualesceret, per Castricium indicem detecta & oppressa est. Tiberius Nero Fannium Cæpionem & Murenam reos Maiestatis fecit; condemnatisque aqua & igni interdictum est. Postea ex fuga retracti, & in carcerem conditi, decreto Senatus à Triumuiris capitalibus necari sunt. Desiderauit Augustus in Mæcenate taciturnitatem; quòd is de comperta Murenæ coniuratione vxori Terentiæ prodidisset. Sed neque Terentiæ pro fratre Murena apud Augustum preces, neque C. Proculeij fratris eiusdem apud iudices pro reo sordidati prensationes, Murenam supplicio eximere potuêre. Dum hæc in Vrbe geruntur, Astures propter Carisij superbiam & sæuitiam rebellarunt; Cantabrisque in societatem defectionis pertractis, C. Furnio Augusti legato, veluti rerum cum ipsis gerendarum imperito, contemtius insultarunt. Sed Furnius coniunctis cum Carisio copijs, Cantabros acie congredi ausos fudit fugauitque. Pauci ex his capti ne sæpius pacem sollicitarent, sub corona venditi sunt. Pars Cantabrorum ferocissima, ne rebus perditis viua in hostium potestatem veniret, tum veneno, tum ferro, & igne se suosque confecêre. Astures depopulato Brigecinorum agro, oppidum quoque ipsum oppugnare adorti sunt: causati Brigecinos nunc, vti & aliâs, consilia ipsorum Roma-

AEDES IOVIS TONANTIS CONSECRATA.

A B C D

A Romanis prodidisse. Ceterùm non sine magna clade repulsi, dum incompositi ac dispersi, plerique etiam inermes castris locum capiunt, à Carisio & Furnio composito agmine superuenientibus oppressi sunt: iisque qui cladi superfuerant in deditionem acceptis, arma omnibus ademta. Eodem anno, quo (vti supra retulimus) Ælius Arabicam expeditionem susceperat, Æthiopes capto tempore & occasione, quòd præcipua militum manus, quorum præsidio Ægyptus ab ea parte defendebatur, cum Ælio in Arabiam profecta esset, in Thebaidem cum triginta millium exercitu excursionem faciunt: oppressaque trium cohortum statione, quæ in Syene vltima Ægyptiorum vrbe præsidio relicta erat, Syenem, Elephantinam Nili insulam, & Philas oppida occupant; deturbatisque Augusti statuis agunt feruntque omnia: prædas, hominesque captiuos trahunt: ipsius Augusti statuas deturbatas disiectasque diripiunt. P. Petronius Ægypti præfectus Æthiopum latrocinia repressurus, quidquid copiarum erat ad decem millia militum & equites octingentos cogit, hostémque quàm maximis poterat itineribus ad Pselchin Æthiopiæ vrbem assequutus, fusum fugatumque intra Pselchis oppidi munitiones se includere coëgit. Legatis Petronij, qui ad res repetendas, & quare iniusta mouissent arma, percunctatum missi fuerant, ab Æthiopibus responsum; se iniuriam ab Ægypti regibus sibi prius illatam vlcisci, non nouam Romanis inferre voluisse: quum legati docerent eam excursionem in Augusti ditionem esse factam; ipsumque Augustum præteritorum regum noxa non teneri, Barbari deliberationem tridui petunt. Quumq; ne tunc quidem repetita redderentur, Petronius hostiliter in illos mouit; oppidoque Pselchi per obsidionem leuemque pugnam potitus, suis etiam finibus AEthiopes expulit: qui fusi fugatiq; passim per deserta & inculta elapsi sunt. Præcipui quique ex his rei bellicæ præfecti, natando in proximam Nili insulam euasère. Sed hi à Petronio viui capti, secundo flumine Alexandriam præmisi sunt: ipse deleta Pselchi, per loca arenis squalentia, tumulisque inæqualia (quibus fama tenebat Cambysis Persarum Regis exercitum olim arenis vento ac turbine agitatis, mersum obrutumque iacere) profectus, primum locum natura munitum aggressus capit, atque diripit; locique situm contemplatus, mœnibus eundem inclusit, præsidióque quadringentorum militum, ac biennij commeatu instruxit. Regnabat eo tempore in ea AEthiopiæ parte Candace Regina, mulier animo virili, ceterùm lusca. Hæc vbi Petronium expugnata Attena, tota vi versus Napata oppidum, in quo regiam & filium regni hæredem habebat, contendere intellexit, de filio sollicita, legatos Petronio obuiam mittit, qui statuas Augusti deiectas captiuosque red-

EXPEDITIO AETHIOPICA.

derent

derent: & si armis abstineretur, pacis conditiones acciperent. Ceterùm Petronius nihil ea legatione commotus, Napara oppidum corona circundatum scalis capit ac diripit: filius Candaces Reginæ, qui eo in oppido erat, fuga elabitur. Inde latè hostiliterque grassatus, Stadisim ad Catadupa (vbi Nilus è præruptis arduisque præcipitatus rupibus, fragrore ac sonitus immanitate accolas proximos non tam obtundit, quàm auditum prorsus aufert) mox Aboccin, Pthurin, Cambusim oppida expugnat: captiuos vrbiumque sectiones vendit: mille ex toto numero delectos ad Augustum mittendos Alexandriam cum reliqua præda & victore exercitu deducit. Digresso Petronio Candace totis viribus ad Primin præsidiumque in ea relictum opprimendum contendit: sed Petronius de suorum necessitate certior factus, ad soluendam obsidionem citato agmine profectus, Candacis exercitum maxima ex parte deleuit, Priminque maiori præsidio operibusque muniuit. Ceterùm quum legati à Regina ad pacis leges accipiendas venissent, respondit Petronius, ab Augusto eas esse petendas: se duces itineris daturum. Legati itaque postea ad Augustum in Samo per id tempus hibernantem profecti, benignè ab eodem auditi sunt: hortatusque vt Regina amicitiam Populi Romani comiter conseruaret, tributa eisdem à Petronio imperata Augustus remisit. Interea sub Veris initium Augustus ad res Orientis Asiæq; ordinandas profecturus, vt terrarum Orbi sua præsentia auspicatissimæ pacis commoda cōmunicaret; dum in eadem constituenda subsistit, principio anni M. Lollius Consulatum inierat, Augusto autem veluti collegæ futuro alter locus à Populo seruabatur. Sed Augusto Consulatum recusante, Q. Lepidus & L. Silanus candidati competitoresque summa vi, ambitu, pecunia, factionibusque ita Comitia perturbarunt, vt Augustus ad turbas sedandas à prudētioribus accerseretur. Augustus igitur candidatos ad se euocat, verbisque castigatos, & vt ciuilius modestiusq; agerent monitos, dum Populi suffragia perferrentur, ab vrbe abesse iubet. Ceterùm ægrè admodùm, nec sine maxima partium contentione, tandem Q. Aimilius Lepidus Consulatum cum M. Lollio obtinuit. Altius ea seditio Augusti animum penetrauit; qui etsi Rempublicam legibus armisque constituisset, nihil tamen in vrbe corruptissima rectè aut salubriter satis etiamdum consultum esse arbitratus est, nisi immoderatæ multorum cupiditates legum vinculis coërcerentur: quæ nec ipsa satis valida futura credidit, nisi prudentissimo & incorruptissimo gubernatori, dictatoriaque ferè potestate armato committerentur. Mæcenatem itaque super hac re in consilium adhibuit. Is composito maturóque iudicio ita censuisse proditur; M. Agrippam cum auctoritate grauem, tum

Q. AIMILIVS LEPIDVS M. LOLLIVS COSS.

A B C D

A tum rerum gestarum gloria clarum, & à studijs ambitionis alienum, ad Præfecturam Vrbis reuocandum: & quò firmioribus deinceps se subsidijs fulciret, vltrò in generum asciscendum. Agrippam etsi nouum, neque maiorum imaginibus illustrem, Imperatorijs tamen simul & pacis artibus commendatum: adhæc geminatis Consulatibus, & Censuræ honore, alijsque Magistratibus amplissimis summa cum laude & pari virtute gestis insignem, eò amplitudinis iam progressum, vt aut Augusto metuendus, aut arctiore per filiam necessitudinis vinculo in potestate retinendus videatur: eius affinitate Reipublicæ tranquillitatem & salutem, domui verò suæ securitatem stabiliri posse.
B Placuit Augusto Mæcenatis consilium, exoratáque sorore Octauia, vt sibi genero cederet (nam tunc Agrippa Marcellam, & ex ea liberos habebat) eidem Iuliam filiam nuptui dedit.

M. AGRIPPA GENER AVGVSTI.

Agrippa in vrbem reuersus, seditiones inter candidatos, qui armis ac vi iterum contendebant, compressit: Rempublicam auctoritate ac gratia à motibus sedauit. Quodque occasione & sub specie sacrorum Ægyptiorum nocturni cœtus ad omnia flagitia audenda aut patienda inualescebant, ijsdem sacris in Vrbe interdixit, quingentisque à pomœrio passibus semouit; intra quos Ægyptias aut peregrinas ceremonias cuiquam colere nefas esset. Augustus interea Sicilia
C legibus ordinata, Catana, Tauromenio, Syracusisque Colonijs cum iure Latij veteris deductis, in Græciam nauigauit. Ibi Lacedæmonios, quòd Liuiam olim cum marito Claudio (in cuius gentis clientela erant) fugientem, benignè & hospitaliter habuissent, omni comitatis, & beneficiorum genere prosequutus, libertate & Cytherorum Insula oppidóque donauit. Atheniensibus verò sua licentia semper ad exitium præcipitibus, ne quem nisi vtroque parente ingenuum iure ciuitatis donare possent; neve peregrinum aut manumissum accepta pecunia in ius ciuitatis reciperent, interdixit. Insulas præterea Æginam & Eretriam Atheniensibus hactenus vectigales, immunes
D deinceps esse iussit. Inter hæc Regum Asiæ legati templum Iouis Olympici Athenis antiquitus à Deucalione inchoatum, communi sumtu perficiendum locarunt: absolutumque Genio Augusti dedicandum decreuerunt. Ipse verò Augustus Athenis sacris Eleusinæ Cereris initiatus est: vti aliarum peregrinarum ceremoniarum contemtor, ita istarum cultor obseruantissimus. namque quum postea Romæ de priuilegio Cereris Atticæ cognituro, quædam secretiora quàm quæ euulgari fas esset proponerentur, dimisso concilio & corona circumstantium, solus disceptantes audijt. E Græcia Augustus in

COLONIAE CATANA, TAVROMENIVM, SYRACVSAE.

TEMPLVM IOVIS OLYMPICI.

Samum traiecit: ibique legatos (quos diximus) Candaces Reginæ audiuit. A Romæ interea Consules non sine tumultu partiumque studio creantur, M. Appuleius, & P. Silius Nerua. Sub id tempus iussu Augusti Miliarium aureum, media ferè vrbe, sub ædem Saturni extructum est: id in modum formamque columnæ, & in metam fastigiatum erat; ad quod viæ omnes totius Italiæ militares concurrebant, terminabanturque. Et quòd viarum muniendarum curam suscepisset Augustus, ne se absente ea res neglectui esset, Curatores viarum ex Prætoriis, quibus bini lictores adparerent, designari iussit. Ad hæc quò celerius expeditiusque quid in quaque prouincia gereretur cognosci annunciarique posset, iuuenes primò modicis interuallis per B vias militares, dehinc & vehicula cum iumentis, demum & equos disponi iussit: (quod commodius visum est) vt qui à loco perferrent literas, iidem quoque si quid res exigeret, interrogari possent.

M. APPVLEIVS P. SILIVS NERVA COSS.

MILIARIVM AVREVM.

Exacta autem iam hyeme Augustus in Asiam profectus, tam suas quàm Populi Romani Prouincias legibus & institutis emendauit, ordinauitque. Cyzicenos, qui antea bello Mithradatico, ob operam benè præstitam, amicitiam & societatem Populi Romani meriti fuerant; nunc quia seditione in vrbe sua coorta ciues Romanos seruilem in modum necassent, libertate priuauit. Tyrijs itidem & Sidonijs nimia licentia in factionum studia & sociorum iniuriam præcipites, C vectigal imperauit, ipsosque in prouinciæ formam redegit. Reliquas ciuitates, quæ sua erga Populum Romanum merita proponebant, & fideles se fuisse socios probabant, Latinitate; optimè autem meritos, etiam ciuitate donauit; ære alieno grauatos leuauit. Laodicenorum, & Thyatirenorum oppida terræmotu subuersa denuò condidit. Chios eadem clade afflictos opemque implorantes, instaurauit; immunitate etiam vectigalium in sexennium concessa. Regna deinceps aliquot, quibus belli iure potitus erat, aut iisdem quibus ademerat, reddidit, aut nouis regibus attribuit. In his Malicho filio Arabiam, qua patrem eiecerat, restituit: Tarcondimotum filium eius qui bello D Actiaco occiderat, in Ciliciam patris sui regnum restituit. Archelaum Medone rege defuncto, Armeniæ minoris regno donauit. Trachonitin & Auranitin, Zenodoro Auranitidis, Regulo, qui multis incursionibus & latrocinijs Galilæam vastauerat, mortuo, Herodi Iudæorum regi assignauit: eundemq; Suriæ præfecit; vetuitque ne quid eo inconsulto in Suria etiā procuratores sui administrarent. Idem Herodes Pheroræ fratri suo Tetrarchiā ab Augusto impetrauit. Interea dum Augustus Suriam ceterasque regiones finitimas peragrat, multi reges ob

A ob tot ipsius erga omnes merita eximiamque beneficentiam, relictis regnis togati ac sine regiis insignibus quotidiana officia more clientium præstitere. Ceterùm quòd Armenij Artaxiam Artauasdæ filium, ob vectigalia iniquissimè imperata & dominationis impotentiã apud Augustum accusarent, deque eiusdem in Romanos iniuriis conquererentur, Tigranem eiusdem fratrem qui tunc in vrbe obses erat, depulso Artaxia in regnum deduci postulantes, Augustus Tiberium vnà cum Tigrane in Suriam euocauit. Artaxias interea suis inuisus per dolum à propinquis oppressus interficitur. Tiberius autem Armeniam cum exercitu ingressus, Tigrani pro tribunali diadema imposuit. Ve-
B rùm neque Tigrani neque liberis eius diuturnũ imperium fuit, quanquam externa necessitudinibus mutuis subsidia per affinitatem propriis viribus coniunxisset: regno scilicet ob tyrannidem vnà cum liberis pulsus à proceribus, adiuuante coniurationem Parthorũ rege. Hinc Tiberius, qui ad Orientis prouincias visendas ab Augusto in Cappadociam & Pontum missus fuerat, cum legionib. in Armeniam regressus, Artaxatis vrbe regia ad Araxem flumen munitissima per vim occupata, eiusdem mœnia solo æquat: mox & Artageras per obsidionem famemq; capit: inde firmissima aliquot castella expugnat. Barbursa autẽ & Olana, in quibus regij thesauri erant, Ador præsidiorum præfectus
C pacta salute tradidit. Ita redacta in potestatẽ Armenia, Tiberius iussu Augusti Artauasdi regnum tradidit: qui & ipse postea (vti suo loco referemus) discordia suorũ odioque aduersus Romanos simul & inuidia Regis Parthorum, nõ sine graui Romanorũ clade regno iterũ depulsus est. Phraartes verò Parthorũ rex, quia Augustũ cũ validissimis copijs in Suriam peruenisse acceperat, territus, veritusq; ne Tiberius cõpositis Armeniæ rebus (quas sua potissimùm opera & consilio turbatas conscius erat) cum legionib. in Parthiam moueret, totaque belli moles in ipsum verteretur: hoc quoq; metuebat, ne ob odium procerum suorũ Augusto proderetur, vel regno eijceretur. Præterea & hoc ægrum eius ARMENIA RECEPTA.
D animũ sollicitabat, quòd nihil eorũ quæ Augustus quum filiolum ipsi gratis remisisset, iusserat, præstitisset. Captiuos itaque ex Crassiano & Antoniano exercitu magna cura per vniuersam Parthiam conquisitos & in vnum collectos, signaque insuper militaria Augusto remittit: & vt se eundem colere ac venerari testaretur, amicitiam cum ipso, & pacem cum Populo Romano maximo etiam pignore, filijs nimirum & nepotibus aliquot vltrò obsidum loco missis, confirmat, & in his Vonone primogenito. Nonnulli prodiderunt (quando id quoq; memoria dignum antiquis visum est) Tiberio hanc primam iussu Augusti expeditionẽ ingresso, dum exercitum per Macedoniã duceret, accedisse PAX CVM PARTHEIS SIGNIS RECEPTIS.

vt in campis Philippicis ſacratæ olim victricium legionum aræ ſubitis A
ſponte ignibus collucerent; atq; eo præſagio Tiberium certa poſt Auguſtum Imperij ſpe confirmatum. Auguſtus compoſitis Suriæ Aſiæque rebus, & pace cum Phraate per legatos facta, conſcenſis nauibus Samum petijt: Tiberius autem Rhodum, vt eam quoque malis inteſtinis affectam, & tributorum magnitudine exhauſtam recrearet,
KOLONIA CORINTH. conceſsit. Sub id tempus Auguſtus Corinthum coloniam ex libertinis quàm frequentiſsimam deduci, & iuris Italici eſſe iuſsit.

Interea legatos, qui à Poro & Pandione Indiæ Regibus cum literis, & earum regionum donis venerant, vt pacis, quam antea in Hiſpania petierant, conditiones acciperent, Auguſtus benignè auditos hoſpitaliter comiterque habuit: fœduſq; & amicitiam cum ijſdem Regum nomine B
pactus, ad Senatum ſcripſit, vt ea rata eſſe vellent, Porumque &
FOEDVS CVM INDIS. Pandionem amicos ſociósque S. P. Q. R. renunciarent. Auctores habeo qui litteras à Poro ad Auguſtum Græcè in hanc ſententiam datas recitent: Porum ſexcentorum Regum Dominum & Imperatorem, Auguſti amicitiam ſocietatémq;, ampliſsima virtutum eiuſdem fama prouocatum, vltrò ambire: regni ſui opes, ſi volet, cum ipſo ſociaturum: ſi officijs quoque certandum ſit, annixurum ne ab vllo alio vincatur: ſi operam ſuam vtendo experiri vellet, imperaret, obtemperaturum. Dona fuiſſe (præter opulentam mercium Indicarum ex auro & C
gemmis oſtentationem) adoleſcentem quendam brachijs ad humeros vſque præſectis, qui pedibus omnia manuum officia præſtaret. Itidem fluuiatilem teſtudinem quinque pedum, ſerpentem quindecim: adhęc Tigrides tunc primùm tam Græcis q̃ Romanis viſas. Indum quoque Sophiſtam ex iis quos Gymnetas, vel Gymnoſophiſtas vocant: eumq; produnt Athenis hilaré, nudum, bene vnctum, dum proſperis adhuc afflueret, in rogum conſcendiſſe: vt voluptaté præceptã igne expiaret, antequàm aliquo fortunæ ludibrio percelleretur. nomẽ ei Zarmano ex Bargoſa Indiæ oriundo fuiſſe. Diſſident in eo ſcriptores, quòd Zarmanũ Calani exemplũ ſecutũ eſſe prodant; qui tædio vitæ captus Alexandri Magni temporibus viuum ſe ſponte combuſendum dedit: adiecta D
quoq; quum in rogum ardenté aſcenderet diuinatione de tam propinqua Alexandri morte: alij oſtẽtationis cauſa tantùm cruciatus ſubijſſe
COLONIA AVGVSTA PATRENSIS. ſcribunt. Per idem tempus Auguſtus Patras Coloniam ex veteranis deduxit; eamque iure Latij donauit. Interea temporis nuntium optatiſſimum de Caio Nepote ſibi ex Agrippa & Iulia nato accepit.

Romæ auté Comitijs Conſularibus iterum tumultuatũ eſt: quum C. Sentio Saturnino Auguſtus abſens collega in Conſulatu populi ſtudio deſignatus eſſet, neque ille honorem per legatos oblatum accipe-

ret:

A ret: ita vt ob fœdissimas candidatorum contentiones armatasque com petitorum manus, Comitia confici non possent Sentius Consul M. Egnatium Rufum tumultuosissimè contendentem, & quia publico fauore florebat, sperantem vti prius Præturam Ædilitati, ita & nunc Consulatum se Præturæ iuncturum, profiteri vetuit. Ceterùm quum ille imperio Consulari non cessisset, iurauit Consul, etiamsi suffragijs populi Egnatius Consulatum obtineret, se tamen non esse renunciaturum. Quumque ne ea quidem Consulis constantia tumultus conquiesceret, sed certamen & contentiones inualescerent, S. C. factum est, vt C. Sentius Consul operam daret, ne quid Respublica detrimenti
B acciperet. Sed Consul, siue quòd eam potestatem exercere nollet, siue vt inuidiam vitaret, legatos ad Augustum mittendos censuit; eumque honorem ipsius auctoritati concedendum, vt Consulem quem ipse vellet in suum locum sufficeret. Augustus itaque Q. Lucretium Vespillonem vnum ex legatis suffecit; qui olim inter proscriptos (vt suo loco memorauimus) Thuriæ vxoris singulari fide seruatus fuerat. Egnatius ob Consulatus repulsam furore ardens, per omnia gladiatori quàm Senatori similior, quum omnium flagitiorum scelerumque conscientia merso haud melior res familiaris quàm mens foret; adiunctis simillimis sibi M. Genucio & Plautio Rufo coniuratis, Augustum
C interficere constituerat: verùm coniuratione maturè detecta, in carcerem detrusus ex S. C. vnà cùm consciis supremo supplicio affectus est.

Q. LVCRETIVS VESPILLO C. SENTIVS SATVRNINVS COSS.

Augusto autem in vrbem reuerso singulares à Senatu honores, tum ob reditum, tum ob ea quæ absens in prouinciis gessisset, decreti sunt. E quibus præ ceteris Aram Fortunæ Reduci consecrari, diemque reditus sui inter Festos referri, Augustaliáque nominari passus, ceteros vt immodicos & tanquam verecundia expressos (veluti aureum currum cum corona aurea decretum, aliaque eiusmodi) aspernatus est. Reuertentem in Italiam non solùm faustis ominibus, sed & modulatis carminibus, omnis ordo, sexus atque ætas prosequuti sunt. Haud temerè
D tamen oppido vllo egressus, aut quoquam ingressus, nisi vespere aut noctu; ne quem officij causa inquietaret: eamque ob causam primis iam tenebris in vrbem inuectus, postero die Tiberio ob res in Armenia gestas Prætorios honores decerni; Drusoque fratri eius vt Annali lege solueretur, quinquennioque prius quàm legitimum esset, Magistratus petere posset, permisit. Ipse verò morum legumque regimen solus cum potestate Censoria in quinquennium à Populo accepit, vti prius in decennium. Ad hæc Consularem potestatem, ornamentaque item Consularia in perpetuum. Ipse vicissim vt bellicam quoque virtutem honoraret, L. Cornelio Balbo triumphum ex Africa in Senatu

ARA FORTVNAE REDVCIS.

AVGVSTVS MORVM LEGVMQ. REGIMEN ACCIPIT.

TRIVMPHVS L. CORNELII BALBI.

impetrauit, qui solus alienigena (Gadibus enim natus erat, ciuitateque cum Balbo patruo maiore donatus) Romæ triumphauit. Hic ad Garamâtes (qui vltra Getulos habitabât) iter hactenus inexplicabile aperuit; perpetuis namque arenis squalere credebatur, latronibus eiusdem gentis puteos, qui (si locorum noticia adfuisset) non altè fodiendi fuerant, arena obruentibus. Proditum memoriæ est, Balbum nomina & simulachra Vrbium viginti in triumpho duxisse, Gentium sex, fluminum & montium bina: in his montem Gyri eo titulo ornatum fuisse, quòd gemmarum in eodem prouentus esset. Interea M. Agrippa in Galliam Germanorum incursionibus turbatam profectus, eorundem impetus compescuit: sedataque Gallia in Hispaniam Cantabrorum rebellione inquietam exercitum duxit. Cantabri namque qui bellis superioribus sub corona venierant, dominos quisque suos per coniurationem interfecerant: hinc fuga domum atque in patriam dilapsi, ceteros ad defectionis societatem pertrahunt: loca munita occupant: præsidia Romanorum oppugnant. Contra hos profecturus Agrippa militem suum contumaciorem habuit: siue quòd emeriti iustam missionem flagitarent; siue quòd experta Cantabrorum ferocia metu obtorpescerent. Ceterùm postquam militem ad obedientiam reduxisset, aduersus hostem cùm ex desperatione, tum propter rei militaris peritiam acerrimè dimicantem, parum feliciter præliatus est: sed tandem quum suos, qui malè pugnarant ignominia notatos, partim hordeo pauisset, partim vt decus militare noua virtute recuperarent, verbis acuisset, Cantabros ferè omnes, qui militari ætate essent, concidit: reliquos exarmauit & ex montibus in plana deduxit. Triumphum autê huius rei causa sibi postea à Senatu ex voluntate Augusti decretum, Agrippa magna cum animi moderatione neglexit: quum alij contra qui vel latrones tantùm comprehendissent, aut ciuitates seditionem mouentes pacassent, triumphos & peterent & impetrarent. Augustus tamen ob ea quæ ab Agrippa gesta fuerant Imperator IX. salutatus est. A B C

CANTABRIA DOMITA. AVGVSTVS IMP. IX.

Hoc anno sub Idus Iunias Agrippa aquam Virginem in Vrbem perduxit, ita appellatam, quòd quærentibus aquam militibus puella virguncula quasdam venas monstrasset, quas sequuti qui foderant, ingentem aquæ modum inuenerant. Concipiebatur via Collatina ad octauum ab vrbe lapidem; illinc Romam vsque deducta per longitudinem quatuordecim milium, & centum quinque passus: tanta salubritate & copia aquam subministrans, vt Augustus postea quærentem de inopia & caritate vini Populum, seuerissima coërcuerit oratione, satis prouisum à genero suo Agrippa dictitans ne homines sitirent, pluribus aquis in Vrbem perductis. Nam & ante annos XIII. etiam aquam D

AQVA VIRGO. AQVA IVLIA

Iuliam

A Iuliam ex agro Tusculano per quindecim milia quadringentos viginti quinque passus in vrbem perduxerat. Appiam, Anienem veterem & Marciam penè obstructas aut collapsas instaurauerat. Interea temporis Pannonij, quos Augustus ad Sisciam vrbem superatos in ditionem acceperat, relictum cum parte exercitus Fufium Geminum à Siscia exturbarunt. Fufius quà ad Sauum quà ad Drauum fluuios prælijs aliquot feliciter gestis, arma victorum non ex more bellico cremari iussit, sed capta in fluuios proijci; vt ceteri qui rebellarant de clade suorum per arma secundo flumine ad se delata intelligerent: quúmque pacem identidem violarent per M. tandem Agrippam varijs cladibus repressi sunt. BELLVM PANNONICVM.

B Anno insequenti P. Lentulo Marcellino Cn. Lentulo Coss. Getæ & Daci à L. Lentulo prius edomiti, domesticis seditionibus laborabant: hinc Lentulus Augusto per literas suadere conatus est, vt occasione vteretur: Barbaros inter se disiunctos & discordes armis opprimi posse. Verùm Augustus nulli genti nisi iustis de causis bellum inferendum censuit; etiamsi maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Hoc quoque adscripsit, minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset. Relinquendos itaque Barbaros suis calamitatibus obnoxios: modò ne Populi Romani imperium lacesserent, eos ciuili inter se sanguine satis pœnarum Romanis daturos. P. CORNELIVS LENTVLVS MARCELLINVS CN. CORNELIVS LENTVLVS COSS.

C Eodem hoc anno Augustus vt subsidia dominationi confirmaret, M. Agrippæ genero Tribuniciam potestatem in quinquennium concessit. Imò & Reipublicæ constituendæ potestatem, quam ipse in quinquennium acceperat, cum eodem communicauit: moribusque, vti supra retulimus, cum Censoria potestate præfectus, Senatum deformi turba affluentem, duabus lectionibus ad sexcentos redegit: prima quidem ipsorum Senatorum arbitratu, quo vir virum legit, ex lege Liuia, quam Drusus Tribunusplebis tulerat; vt singuli Senatores (qui tunc vix trecenti erant) viritim sibi quisque Senatorem M. AGRIPPA TRIBVNICIAM POTESTATEM ACCIPIT.

D ex Equite Romano deligeret. Altera verò suo & Agrippæ iudicio. Cremutius Cordus auctor est, ne admissum quidem tunc quenquam Senatorum nisi solum & prætentato sinu, ipsúmque Augustum lorica sub veste munitum, ferroque cinctum præsedisse, decem valentissimis Senatorij ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Quumque in ea lectione Antistius Labeo M. Lepidum olim Triumuirum, sed tunc exulantem legisset, interrogatus ab Augusto num essent alij digniores? suum quemque iudicium habere respondit. Nec ea libertas Antistio fraudi fuit. Censum præterea Senatoriū ampliauit; ac pro octingentorum millium summa duodecies sestertiûm taxauit: suppleuítque CENSVS SENATORIVS.

que non habentibus de suo: atque impetratis è Senatoribus decem ad- A
iutoribus, vnumquemque Equitum vitæ suæ rationem reddere coë-
git, eosq́ue qui in aliqua culpa hærebant, alios pœna, alios ignominia
notauit. Equitum turmas recognouit, reducto more transuectionis:
sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accusatore passus
est, vti ex more receptum erat: & senio vel aliqua corporis labe insigni-
bus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum quoties ci-
tarentur, pedibus venire; similiter reddendi equi publici gratiam fecit
ijs, qui maiores annis quinque & quadraginta retinere eum nollent.
Liberis Senatorum quò celerius Reipublicæ assuescerent, protinus vi-
rilem togam & latum clauum induere, & Curiæ interesse etiam im- B
puberibus permisit: militiamq́ue auspicantibus, non Tribunatum
modò legionum, sed & Præfecturas alarum dedit: ac ne quis expers
militiæ esset, binos plærumque laticlauios alis singulis præposuit.

Morem atque ordinem spectandi hactenus confusissimum correxit
ordinauitq́ue: motus ad hoc iniuria Senatoris, quem Puteolis per ce-
leberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat. Factum igitur
decretum, vt quoties aliquid spectaculi vsquam publicè ederetur, pri-
mus subselliorum ordo Senatoribus vacaret. Romæ verò legatos libe-
rarum sociarumq; gentium in Orchestra considere vetuit; cùm quos-
dam etiam libertini generis legatos mitti intellexisset. Militem in ijs- C
dem spectaculis secreuit à Populo. Maritis etiam plebeij generis pro-
prios ordines assignauit. Prætextatis item cuneum suum, & proximũ
pædagogis: sanxitq́ue ne quis pullatorum media cauea sederet. Fœ-
minis ne gladiatores quidem, quos antea promiscuè spectare solebant,
vt verecundiæ consuleret, nisi ex superiore loco spectare concessit. Vir-
ginib. verò Vestalibus locum in Theatro solis separatim & contra Præ-
toris tribunal dedit. Coërtionem in histriones magistratibus in omni
tempore & loco lege veteri permissam ademit, præterquàm in ludis
& scena. Ipse autem histrionum licentiam seuerè compescuit: hinc
Stephanionem qui primus togatus saltauit, quòd matronam in pueri- D
lem habitum circumtonsam ei ministrasse cõperisset, per trina Thea-
tra prius virgis cæsum relegari iussit: quod postea ludis Sæcularibus
accidisse ab auctoribus proditum est. Ad mores quoque corri-
gendos conuersus, de ambitu conuictos Magistratibus in quinquen-
nium prohibuit. Omnibus qui sestertiûm quadraginta in censu possi-
derent, quibusq́ue per leges licebat, legitimum Magistratum petendi
potestatem faciebat. Inter ceteras leges nullam seuerius emendauit, q̃
de maritandis ordinibus: adeò vt præ tumultu recusantium eam per-
ferre non potuerit; nisi ademta demùm lenitáve pœnatum parte, au-

ctisque

A ctisque præmiis, & vacatione insuper triennij concessa. Hinc cælibes decima bonorum multabat: ijs verò qui vxores ducerent, ac filios alerent, summa præmia proposuit, ita vt si qui è plebe sibi regiones per vrbem reuisenti filios filiásve approbarent, singula nũmorum milia per singulos diuisisse tradatur. M. quoq; Hortensium Hortalũ liberalitate decies sestertiûm, ne clarissima gens Hortensia extingueretur, vt vxorẽ duceret, pellexit. Constituit etiã vt matrimonia frequentarẽtur, libertinas sine probro à plebeijs duci posse. Quumq; tam immaturitate spõsarũ q̃ crebra matrimoniorũ mutatione, fraudem legi ac vim fieri intelligeret; primùm tempus habẽdi sponsas coarctauit. Quum namq; B ex vsu receptũ esset, septem annorũ virgines desponderi, sanxit ne minores decem annorũ pro sponsis haberentur; cum quibus post biennium legitimæ ac iustæ nuptiæ esse possent. Tum & diuortijs modum imposuit. Statuit quoq; ne Senator sponsam aut vxorẽ libertinã haberet, aut cuius parentes artem ludicrã facerent fecissẽntve. Itidem vt qui in adulterio deprehenderentur, impunè occidi possent: in iudicio conuictis pœna exsilium esset: adulterã maritus & cognati vti vellent, punirent. Itidem qui nefanda Venere aut præpostera tenerentur, eos capitali supplicio puniendos decreuit. Disciplinæ quoq; militaris rector atq; exactor seuerissimus, inter cetera Equitẽ Romanũ, qui sacra- C menti detrectandi ergo filium amputatis pollicibus mutilarat, ipsum bonaq; eius hastæ subiecit. Sed quum publicanos cupidius emptioni imminere & immoderatius licere videret, eundem liberto suo addixit: vt relegatũ in agros pro libero esse sineret. C. inde Furnio, C. Iunio Silano Coss. constituit Cæsar ne acta Senatus publicarẽtur. Et quò Senatores lecti & in Senatorũ ordinẽ adscripti, quiq; censendi potestatẽ haberent, religiosius Senatorio munere fungerentur, sanxit, vt priusq̃ consideret quisquã thure ac mero supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Mulctam quoq; ijs qui in Senatũ nullam iustã ob causam non cõuenissent, irrogauit. Ceterùm quia sæpius qui mulc- D tandi erant ob frequentiã & multitudinẽ impunè elabebantur, statuit vt quinctus quisq; mulctandus sorte educeretur: decreuitq; ne minore deinceps q̃ CCCC. Senatorũ numero S.C. fieri posset. Et quò Populum Ro. sincerum & integrum ab omni cõtaminatione peregrini aut sanguinis seruilis seruaret, ciuitatẽ parcissimè dedit: modumque & licentiam seruos manumittendi terminauit, ac certa formula inclusit: vsqueadeò vt Tiberio pro cliente Græco ciuitatem petenti rescripserit, non aliter se ius ciuitatis daturum, q̃ si præsens sibi persuasisset, quàm iustas petendi causas haberet. Ipsi quoque Liuiæ pro Gallo quodam tributario roganti, ciuitatem negauit; immunitatem obtulit: affirmans

C. FVRNIVS C. SILANVS COSS.

mans se facilius passurum fisco detrahi aliquid, q̃ ius ciuitatis vulgari. A
Seruos nõ cõtentus multis difficultatibus à libertate iusta remouisse, quia de numero, de condicione ac differentia eorum qui manumitterentur studiosè cauerat; hoc quoq; adiecit, ne vinctus aliquando aut tortus, censu, vindicta aut testamẽto ciuitatẽ adipiscerentur. Colonias quas duodetriginta tota Italia deduxerat, vectigalibusq; ac operibus publicis plurifariã instruxerat, insuper iure ac dignitate vrbi quodã modo & pro parte aliqua adæquauit; excogitato genere suffragiorũ, quæ de Magistratibus vrbanis Decuriones Colonici in sua quisque Colonia ferrent, & sub diem Comitiorum obsignata Romam mitterent.

Hoc Anno à cõmunitate Asiæ templum Romæ & Augusto decretum est: neq; enim aliter q̃ cõmuni suo & Romæ nomine vlla in prouincia vnquã recipere voluit, quanq̃ sciret etiam Proconsulib. templa decerni solita. B

LVDI SAECVLARES.

Eodem hoc anno Ludos Sæculares ingenti apparatu eosq; quinctos cum M. Agrippa ex S. C. per triduum fecit; centesimo & decimo anno à postremis, qui Mam. Lepido, L. Aurelio Oreste Coss. facti sunt. Iis ludis ne iuuenes vtriusq; sexus vllum nocturnum spectaculum, nisi cum aliquo maiore natu propinquorũ frequentarẽt, prohibuit. Itidem quia in templo Apollinis Palatini ter nouem pueri prætexati, totidemque virgines patrimi & matrimi omnes, interdiu Apollini, noctu verò Dianæ carmen sæculare canebant, obseruari iussit, ne C quia nox tegendis & audendis sceleribus oportuna esset, ipsorum pudicitiæ quidquã detrimenti accideret; gentilesq; ijs veluti custodes apposuit. Quodam aũt muneris die, Parthorũ obsides tunc demùm missos per arenã mediã ad spectaculum induxit; ac secundo à se subsellio collocauit. Et quanq̃ comiter alioqui & familiariter spectaculis interesse, nonnunq̃ & præsidere solitus, his tamen ludis multa seueritate contra histrionũ licentiam vsus est: nam & in Stephanionẽ Togatarium, eo, quo supra retulimus modo, animaduerti iussit: Hylam verò pantomimũ Prætore quęstionẽ exercente, in atrio domus suæ nemine exclu so flagellis verberari. Pyladem vrbe & Italia expulit: quòd spectatorẽ à D quo exsibilabatur, digito demonstrasset. Quumque ipso Scenicos spectante, à mimo pronunciatum esset: O dominũ bonum & æquum: & vniuersi quasi de Augusto dictum applaudentes cõprobassent, statim manu vultuq; indecoras populi adulationes repressit: & quò profiteretur se Domini appellationẽ vt maledictum & opprobrium exhorrescere, insequenti die acerbissimè per edictum populum corripuit: dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus passus est: atque huiusmodi quoque blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Ludis confectis Caium & Lucium Agrippæ filios per æs & libram

A bram à patre Agrippa veluti emancipatione emptos, domi adoptauit. CAIVS ET LVCIVS ADOPTATI.

Dum hæc Romæ geruntur, Sicambri, Vsipetes, Tenctheri, Germaniæ populi, quum quosdam Romanos in territorio suo deprehensos in crucem egissent, Rhenoq; transmisso Galliam popularentur, equitatum Romanũ contra se missum per insidias circumueniunt: quúmque fugientibus instarent, vsque ad M. Lollium tunc Galliæ Proconsulem citato cursu effunduntur, ipsumque Lollium hominem pecuniæ quàm rectè faciendi cupidiorem, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimum, eadem audacia impetuque profligant: quinctæ legionis Aquilam rapiũt. Ceterùm ea clades etiamsi infamiæ CLADES LOLLIANA.
B plusq̃ detrimenti haberet, ipsum tamẽ Augustum ab vrbe in Galliam exciuit. Sed Lollius postea hostes ob victoriæ insperatæ fiduciam iterum temerè irruentes repressit: mox insidiis exceptos magnaq; clade oppressos vltra Rhenum repulit. Parte alia Cornelius Lentulus ab Augusto missus, Dacos Getis à Ponto in occasum ad Istrũ proximos, cæsis tribus eorum ducibus magnis cum copijs deleuit: deinde citeriorem Istri ripam præsidijs muniuit; satis victoriarũ arbitratus, gentem ferocissimã ab incursionibus flumine maximo arceri. Augustus quia Galliam commotam & Pannoniam in armis iterum esse intellexerat, solemni ob Imperium quinquennali ex voto peracto, Agrippa in Sy-
C riam misso, ac Statilio Tauro vrbi, & Italiæ præfecto, ipse L. Domitio Ahenobarbo & P. Cornelio Scipione Coss. in Galliam profectus est. L. DOMITIVS AHENOBARB. P. CORNELIVS SCIPIO COSS.
Sunt qui opinentur eum hanc expeditionem suscepisse, vt Terentia Mæcenatis vxore, quæ ipsum in comitatu Liuiæ sequi solita erat, liberius potiretur. Propius vero est ipsum statuisse ab vrbe ad tempus decedere, vt vitaret assiduitatis fastidiũ: nam assiduum in oculis hominũ esse, magnos homines ipsa satietate minus verendos facit. Sub idem quoque tempus Pannonij coniunctis Noricorũ copijs, Istriam populabantur: hos P. Silius aliquot Prælijs fractos ad imperium coëgit. Hac iniuria Norici Romanorũ contra se arma prouocarant. Parte alia Scor
D disci Macedoniam lacessebant; Bessi qui ad Æmum montem habitabant Thraciam. Bulogæses namque Bessorum rex aliis quibusdam finitimis per cæremonias & callidam superstitionẽ in societatem illectis sibique adiunctis, defectioneq; à Romanis facta, Rascupolin Cotys filium Populi Romani amicũ & confœderatũ acie victum interfecerat; & patruum eius Rhymetalcen exercitu exutum in Thraciæ Chersonesum cõpulerat: ob eum motum & Scordiscorũ L. Asinius profectus, Bessos domuit; Scordiscos & Sautomatas, qui arma cum reliquis sociauerant, victos vltra Istrum submouit. Delmatæ quoque cõmoti, Mæsiorum societatẽ cum Scordiscis ad Romanorũ vires cohibendas

& vt seruitutem depellerent, sibi coniuxerant: sed hi à legatis Augusti A qui agros ipsorum populabantur, ad sua defendenda reuocati, pacem supplices petière. Gallia quoque per id tempus tam Germanorũ incursionibus, quàm propriorum Principum discordia inquieta erat. Licinij enim Enceladi Augusti liberti & procuratoris auaritia magis q̃ obsequij impatientia Gallos ad noua consilia irritauerat: quibus vt tributum Augustus certum in singulos menses imperauerat; ita Licinius rapiendi licentia vsurus, pro XII. mensibus, XIIII. quotannis constituerat. Repetundarum igitur apud Augustum postulatus, & sociorum iustissimis oneratus querelis, iudicium magna astutia elusit. Postq̃ enim ingentes opum aceruos, quas ex acerbissima coactione B congesserat, Augusto fruendos obtulisset; vt honestissima præscriptione rem turpissimam tegeret, subijciebat se tantis imperatis pecuniis Gallos eneruasse, ne tanta freti opulentia rebellarent. Augustus tamē vt Galliam pacaret, Licinio reuocato, Tiberio Præturam tunc gerenti Galliam regendam, & à tributis iniquissimè imperatis recreandam dedit. Præturam interea Vrbanam Drusus Tiberij frater ex S.C. ad finem vsque anni in vrbe administrabat. Sub hæc M. Agrippam Mytilenis subsistentem Herodes rex salutatum venit: eumque hospitaliter & comiter in Iudæam inuitatum, atque ibi regiis opibus & muneribus exceptum, omni præterea hospitalitatis genere coluit. Deinde C per vrbes quas recenter in gratiam atque honorem Augusti condiderat circumduxit. Inter eas eminebant Sebasta & Cæsarea. Sebastam siue Augustam in Samariæ regione conditam cognomento Metropolim, mœnibus pulcherrimis validissimisque duo milia & quingentos passus complexam munierat: deductisque eò sex millibus Colonorũ & templo insuper ipsi Augusto dedicato ornauerat. Cæsaream autem, quæ olim turris Stratonis fuerat, ob importuosum littus neglectam, portu amplissimo & stupendis substructionibus regaliter & magnificentissimè haud procul ab Ioppe condiderat. Ad Iordanis quoque fluminis fontes (loco nomen Panium est) aliud templum Augusto ex D candido marmore exstruxerat. Inde Hierosolyma profectus Agrippa rege deducente, faustis acclamationibus & festo cultu exceptus, hecatomben Deo Opt. Max. immolauit, & populo Hierosolymitano epulum præbuit. Inde Agrippa, quia Bosphoranos turbatos ad arma sollicitari intelligebat, in Ioniam nauigat. Consules erant M. Liuius Drusus, & L. Calpurnius Piso, quum Rhęti qui supra Comum ad alpium Tridentinarum crepidinem proximi Vennonibus & Lepontiis Stænisque habitabant, in Galliam Cisalpinam infestis armis incurrerent, prædasque ex Italia agerent. Hos, vti idonei produnt au-

COLONIA SEBASTA.

COLONIA CAESAREA.

M. LIVIVS DRVSVS. L. CALPVRNIVS PISO COSS.

A ctores, loca ipsa vsqueadeò efferauerant, vt quanquam olim à Tuscis conditi, nihil tamen ex antiquo præter sonum linguæ eumque corruptissimum retinerent, & si quo Romanorum oppido aut vico potirentur, non solùm in imbuberes cædibus grassarentur, sed cùm & de sexu fœtus qui vtero gerebatur vates suos consuluissent, si masculum responderent, ipsam quoque grauidam conficerent. Quam tantam immanitatem barbariemque quum Cæsar inultam nollet, Drusum priuignum suum contra eos misit: qui prælio apud Tridentinos alpes fusos ab Italia submouit: atque imperatoria hinc ornamenta meruit. Hoc in prælio tantam ipsis quoque mulieribus feritatem nõnulli ad- BELLVM RHETICVM.

B scribunt, vt deficientibus telis, infantes ipsos humi afflictos in aduersa militum ora coniecisse prodant. Ceterùm Rhæti Italia expulsi in Galliam irruperant: quibus Tiberius Drusi frater sese obiecit, eorumque impetus repressit. Posthæc quum Tiberius & Drusus simul in agros Rhætorum signis infestis impetũ fecissent; tam ipsi q̃ legati ipsorum tantùm ipsis terrorem incussère, vt singulos Rhætorum populos dissipatos facilè delerent: reliquos verò rebus suis diffidentes in potestatẽ redigerent. Vindelicos & Licatios Rhætorum ferocissimos, Tiberius prælijs aliquot naualibus in Veneto siue Brigantino lacu superauit: quumque ex eiusdem lacus Insula, qua pro arce vtebatur, in omnes

C vndique subitos impetus faceret, lateque omnia vastaret, eosdem tandem ad deditionem compulit. Paullò pòst & alios inalpinos, qui latrociniis viatores infestabant, deleuit; aut impetata facere coëgit. Ceterùm quòd transitus per eorum montes pauci hactenus & impediti, præterea latrociniis infesti, & infames essent, Augustus vt itinera ab incursu prædonũ liberaret; custodibus quoad fieri potuit vias sepsit. neque enim vbique ea diligentia prodetat, quia per loca præcipitia & facilè prolabentia ipsi naturæ vim adferre non poterat. Noricos inde, qui cum Pannonijs Istriam inuaserant, P. Silius in seruitutem redegit. Strabo autem Noricos, in quibus & Taurisci sunt, incursantes in

D Italiam vna æstate à Tiberio & Druso fratribus repressos narrat. Verisimile est Silium Tiberij vel Drusi legatum fuisse. P. Silium certè hoc anno ex Alpibus & de Pannonijs triumphasse in Fastis annotatum est.

Eodem tempore in Narbonensi Gallia Nemausum Coloniam deductam auctores habeo, iureque Latij donatam: vt qui apud Nemausenses Ædilitatem, & Quæsturam adepti essent, ij ciues Romani censerentur: néve Prætoribus Populi Romani parerent: ipsique viginti quatuor vicis suæ gentis ius dicerent. Sunt qui opinentur & Arelaten ex emeritis sextæ legionis tunc temporis fuisse deductam; vti Aransionẽ ex Secundanis. Alij credidère Nemausum Tiberio Galliam ad- COLONIA NEMAVSVS. COLONIA ARELATVM.

administrante deductam fuisse: quòd imagines & statuæ ipsius à Nemausensibus colerentur. Argumēto esse, quòd quum Tiberius Rhodi velut exul, omnibusque inuisus deposito patrio habitu ad pallium & crepidas tanquam priuatus sese dimisisset, Nemausenses, ne publicè exosum colere viderentur, eius statuas & imagines euerterint. Cyzicenis, quia Senatui sese à plebe furiosa oppressos in ciues Romanos iniquius cōsuluisse probassent, libertas restituta. Paphijs in Cypro Insula terræ motu affectis Augustus immunitatē decreuit: & quicquid ex Prouinciæ formula debebant, in sexennium remisit: ipsaque Paphos ex S.C. Augusta cognominata est. Sunt quibus id quoque dignū memoria visum est, P. Vedium Pollionē libertini generis hominē, Equitem Romanum, ob crudelitatem in seruos & opulentia nobilem, hoc anno in fata concessisse. Inuenerat ille noua per murenā piscem sæuitiæ documenta: viuarijs earum mancipia vel ob minimum delictum condemnata immergendo: vt humana carne pastas ad gulam suauiores haberet. Tanta Pollionis licentia publicum odium, opulentia inuidiam mouerat; ita vt hinc ipse Cæsar malè audiret, quòd hominis impotentiam non refrenasset. Eum etsi viuum frequentasset Augustus, mortuo tamen quanquam hæres ex dodrante scriptus, nullum honorem habuit: imò & ædes ipsius, ne quod eius monumentū (quod Pollio in primis affectauerat) exstaret, diruit. Sequuti sunt Consules M. Licinius Crassus & Cn. Lentulus Augur, quū Bosphorani Cimmerij, quibus Augustus regem Asandrum dederat, eo mortuo, à Scribonio, qui ad Mithradatem genus suum falsò referebat, ad defectionem sollicitati sunt. Is enim Dynamin Asandri viduam Pharnacis filiam, cui maritus moriens regnum hæreditate reliquerat, vxorem duxit: & Bosphorum occupauit. Agrippa re intellecta (is tunc Mytelenis erat) Polemonem Ponti regem socium & amicū Populi Romani, vt Scribonio bellum moueat, regnoque eijciat, cum exercitu mittit. Ceterùm Polemon Scribonium à popularibus suis, qui generis mentiti ignobilitatem vlti erant, oppressum occisumque inuenit. Bosphorani tamen Polemonē pro rege accipere (quod depulso Scribonio Agrippa iusserat) recusabant; armisq; resistebant: ita vt ne prælio quidem victi cladibus suis ad imperata cogi possent; tantum erat Polemonis odium. Agrippa itaque cum classe & exercitu ad Cyaneos scopulos appellit; ex propinquiore loco experturus, num metu & tantorū apparatuum fama Polemoni cederent. Ceterùm quia nec id succedebat, vi acturus ad Sinopen Ponti vrbem vela facere iubet: impetum ex aduerso littore in eos facturus. Quumq; eò loci copias cogeret, Herodes rex magna cum classe ipsum assequutus est; qui cum reliquis copijs in Bosphoranos

M. LICINIVS CRASSVS CN. CORNELIVS LENTVLVS COSS.

A B C D

A ranos immissa, victa tandem metu pertinacia est: positisque armis Bosphorani accepto in regem Polemone, collocataque eidem Dynami regina in ditionem venêre. Confectis Ponticis negotijs, placuit per Paphlagoniam, Cappadociam ac maiorem Phrygiam terrestri itinere Ephesum proficisci; vt socios reges vrbesque fœderatas inuiseret, omniumq; amicitiam confirmaret. Ibi Iliensibus Agrippa iratus, quia socios nauales quos imperauerat, mittere neglexerant, deprecante Herode ignouit. Itidem Chijs terræmotu afflictis simul & Cois immunitatem impetrauit. Iudæis quoque Ioniam & Asiæ vrbes frequentantibus, vt patrijs legibus & institutis liberè vterentur, ex Herodis com- B mendatione concessit: quod & Augusti edicto haud multò pòst confirmatum est. Agrippæ ob ea quæ in Bosphoro & Ponto gesserat, supplicationes & triumphus à Senatu decretus est: ipse Augustus, cuius auspicijs res gestæ erant, Imperator decimum salutatus. Triumphus tamen ab Agrippa iterũ neglectus est, siue, vt quidam arbitrantur, quòd ad Senatum de sua victoria, vt legibus receptum erat, non scripsisset: siue quòd res tum à se gestas triumpho indignas arbitraretur. Atque ab eo tempore reliqui exemplum eius sequuti, neque publicè litteras miserunt, neque triumphum petierunt. Hinc nemini posthæc qui dignitate cum Agrippa pari esset, triumphus in posterum, sed ornamenta C tantum triumphalia decreta sunt: eoque primùm honore Agrippam affectum Dion prodidit. Suetonius tamen aliorum auctoritatem sequutus, Tiberium biennio tardius ornamentis triumphalib. primùm honoratum fuisse scriptum reliquit. Dum hæc in Oriente geruntur, Pannonij Cotisonis Getarum regis auxilio freti, arma iterum induebant: sed eorum motus celeritate & copijs per legatos Augusti oppressi, ipsique in deditionẽ recepti sunt. Maritimæ etiam Alpes quæ à Liguribus Capillatis colebantur, Augusti auspicijs in seruitutẽ redactę sunt, liberæ hactenus, vtpote Iure Italico donatæ. Vagienni quoque Inalpini & Taurini Ligures in ditionem adducti sunt. Apud vtrosque D victoriarum suarum monumenta condidit Augustus: apud illos quidem Augustam Vagiennorum, apud istos Augustam Taurinorum; Vagiennos & Caturiges iure Latij donatos fuisse scribit Plinius.

BOSPHORVS RECEPTVS.

AVGVSTVS IMP. X.

M. AGRIPPA ORNAMENTA TRIVMPHALIA ACCIPIT.

Eodem tempore in Berytum vrbem Phœniciæ maritimam Agrippa colonos ex veteranis adscribi iussit: & iure Latio donatam cognomine Iuliæ Felicis illustrauit. Tarsensibus libertatẽ & ius ciuitatis Romanæ, quibus ab Antonio Triumuiro quondam donati fuerant, ex Augusti Imperio & S.C. confirmauit. Augustus sedatis Gallorũ motibus, Germanorũ excursionibus repressis, Hispaniæ rebellione composita, Drusoque in Germania cum Imperio & exercitu ad Rhenum,

COLONIA BERYTVS.

vt Germanorũ excursiones arceret relicto,ipse in vrbem reuersus est: A
TI. CLAVDIVS NERO P. QVINCTILIVS VARVS COSS.
quum paullò antè Consulatum Ti. Claudius Nero, & P. Quinctilius Varus inijssent. Mox & M. Agrippa Romam ex Asia redijt; qui graui pedum morbo conflictatus, quum dolorem perpeti nequiret, ignorante Augusto audaciore Medici cuiusdam consilio (tanti putauit vsu pedum sensuq; adeò omni carere, dummodò & dolore illo leuaretur) demersis in acetum calidum cruribus, acerrimum morbi impetũ euasit.

AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS

Sub idem tempus moritur Cyrceiis, qui longa inertia consenuerat, M. Lepidus Pontifex Maximus. Pontificatum quem viuo Augustus auferre etiam Populo rogante noluerat, mortuo demùm Lepido cooptatione Pontificum & Populi suffragijs pridie Nonas Martias B accepit: ludosque Pontificales magnificentissimo apparatu edidit. Quibus ludis Athletarum spectaculo muliebrem sexum omnem submouit: vsqueadeò vt par pugilum à Populo postulatũ, in tempus matutinum distulerit; edixeritq; mulieres ante horam quinctam venire in theatrum, non placere. Quicquid fatidicorum librorum Graeci Latinique nominis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebatur, supra duo millia vndique contracta concremauit; ac solos retinuit Sibyllinos: sed nec hos quidem nisi habito delectu. hos duobus forulis inauratis sub Palatini Apollinis basi recondidit.

ANNVS AB AVGVSTO CONSTITVTVS.

Annum à Diuo Iulio ordinatum, sed postea Pontificum negligẽtia conturbatum atq; C confusum, (quia inter XXXVI. annos, quum IX. tantùm dies intercalandi fuissent, XII. interseruerant) rursus lege praescripta, vt duodecim anni proximi sine intercalatione defluerent, atque ita tres illi dies, qui iusto plures inserti fuerant, consumerentur, ad pristinam rationem redegit. vt annus trecentorum sexaginta quinque dierum & quadrantis esset; & quarto quoque anno non ineunte, sed desinente dies vnus intercalaretur. In cuius anni ordinatione mensem Sextilem è suo cognomine Augustum nuncupari passus est: eumque potius quàm Septembrem, quo tamen natus erat, decimo scilicet Kal. Octob. quòd Sextili primus Consulatus & insignes victoriae ipsi obtigissent. Qua de re Se- D

MENSIS AVGVSTVS.

natusconsultũm in hanc sententiam factum est: QVIA IMPERATOR CAESAR AVGVSTVS MENSE SEXTILI & primum Consulatũ inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit; & ex Ianiculo legiones deductae, eiusque auspicia ac fidem sequutae sint; quodque Aegyptus hoc mense in potestatem Populi Romani redacta, finisque bellis ciuilibus impositus sit ac fuerit; atq; ob hanc causam hic mensis huic imperio felicissimus & sit & fuerit; placere Senatui, vt hic mensis Augustus appelletur. Eadem & plebiscito Sex. Pacuuio Tribunoplebis rogante scita sunt. Pacuuium enim Augusto deuotum fuisse quorundam

A dam annalibus proditum; & Senatusconsultũ de mense Augusto quinquennio tardius quàm Plebiscitũ fuisse factum, C. Marcio Censorino, C. Asinio Gallo Coss. quorum sententiam confirmat, quòd triginta sex illi anni, ab eo tempore quo Diuus Iulius annum correxerat, vsque ad Censorini & Asinij Consulatum intermedij numerentur. Hoc anno Augustus ex austrinis tempestatibus grauedine laborans, conuocato Senatu de Republica relaturus, Quęstori libellum recitandum dedit, quo res ab ipso gestæ continebantur: eodem quidquid vbique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam astringebat, definitis pro gradu cuiusque temporibus & commodis missio-
B num; ne aut ætate, aut inopia post missionem ad res nouas sollicitari possent. Post hæc P. Quinctilius Varus Pontifex cum Tiberio collega ludos votiuos Ioui Optimo Maximo pro Reditu Augusti ex S.C. fecit: quibus ludis quòd Tiberius Consul Caio iuxta se sedem dedisset ab Augusto obiurgatus est; non esse mobilem adolescentis animum prematuris venerationib. ad superbiam extollendum. Populum etiam ne intempestiuius Caio adulationibus applauderent, per edictum prohibuit. Theatrum Marcelli hoc eodem anno ab Augusto dedicatum, ludosq; eius rei gratia factos, Troiæque ludicro & minorum puerorum delectui Caium nepotem suum præfuisse, scriptores Græci tra-
C dunt. Latini biennio posterius id prodũt, ac tunc primùm Tigrin mansuefactam ab Augusto in cauea fuisse productam. Natali Augusti ludos, quos Equites Romani quotannis sponte faciebant, atq; ex ipsius consensu per biduum celebrabant, Iulus Antonius, M. Antonij filius, tum Prætor, Equestri certamine & venationibus solennes fecit: epulumque ex S. C. Augusto & Senatoribus dedit. Eodem natali ordines in lacum Curtij quotannis stipem ex voto pro salute Augusti iaciebãt. Hoc anno & Vigintiviratus nouus Magistratus ex Equitibus S. C. institutus est: ita tamen vt qui eo honore functi essent, idcirco in Senatum ne legerentur, nisi & alium Magistratum eo ordine dignum ce- XXVIRATVS CONSTITVTVS.
D pissent. Ex his Vigintiviris tres erant Triumviri capitales; Tres monetales, qui auro, argento, ære, flando, & feriundo præessent; Quattuor qui vias vrbanas curarent; Decem qui hastam Centumviralem cogerent. Sub id tempus & Senatum Augustus recensuit: omnésque qui censum Senatorium haberent, & vigesimum quintum ætatis annum agerent, corporéque integro, neque deformato essent, in Senatum allegit. Agrippam autem exacto iam primo Tribunicię potestatis lustro, in proximũ iterum quinquẽnium Tribunicia potestate donatũ etiam Reipublicæ constituendæ collegam retinuit. Consulatum anni insequentis M. Valerius Messalla Barbatus, & P. Sulpicius Qui-

R rinus

rinus inierunt. Augustus Agrippam cum maximo imperio & exercitu in Pannonios, quorum animi iterum ob Getarum auxilia creuerant, misit. Verùm Pannonij cùm ipso apparatu territi, tum ipsius Agrippæ ducis fama & celebritate consternati, & ab armis dilapsi, pacem petierunt. Inde Agrippa in Campaniam reuersus, in morbum incidit. Augustus, qui tum fortè Quinquatribus XIIII. Kal. Aprileis nepotum suorum Caij & Lucij nomine munus dabat, tristissimo de valetudine generi nuncio excitatus, quāta potuit celeritate accurrit; quem vt mortuum reperit, tam sua quàm ipsius Reipublicę causa grauissimè indoluit: funusq; Romam delatum, ac in foro propositum laudauit; & in suum Masolæum condidit. Agrippas ab ægro partu, quòd in pedes nascantur dictos esse antiquitas prodidit: quum capite hominem oriri legi naturæ congruum, contrà pedibus antrorsum efferri moris sit. Hunc Agrippam eo præpostero exortu natum fuisse ferunt, vnico prope felicitatis exemplo; quanquam alioqui præposteri exortus augurium Agrippam satis luisse constet: aduersa nimirum pedum valetudine, perpetuisque podagræ cruciatibus; tum misera iuuenta, reliqua ætate inter arma hostésque exercitata; adhæc ætatis suæ breuitate, quinquagesimo enim anno per magnū corporis cruciatum extinctus est; in tot ob vxoris adulteria angoribus animam trahens, perpetuoq; soceri seruitio oppressus; denique infelici terrarum orbi posteritate; sed per vtrasque Agrippinas potissimùm; filiam, quæ C. Caligulam; neptem, quæ Domitium Neronem Principes genuêre, totidem generis humani pestes. Agrippæ morte in vrbe nunciata, extemplò sine vlla publica auctoritate in omnem luctus formam concessum est. Lati claui, annuli aurei depositi, omnesque adeò vestem mutarunt. Vniuerso Populo longo tanti viri desiderio, continuaque virtutis, modestiæ, ac beneficentiæ ipsius recordatione diu multumque cruciato, leuamenti aliquid attulit, quòd Iulia filium, cui à patre nomē Agrippę; quòd pôst patrem humatū natus esset, Posthumo cognomen factum est, peperit. Augustus, vt domū suam mortuo Agrippa genero, aliquo iterum subsidio firmaret, anxius cui filiam suam collocaret, post multas longasque super hac re, quas tacitus secum instituit, cogitationes; quum in immensum attolli præuideret, quemcunque tandem tali necessitudine super alios extulisset; C. Proculeium Equitem Romanum Terentiæ vxoris Mæcenatis fratrem, ob insignem eius vitæ tranquillitatem, & nullis alioqui Reipublicæ negotijs permixtum, aliquamdiu ceteris, qui occurrebant, præferre apud se constituerat; sed tandem Tiberium priuignum suum elegit; coëgitque Agrippinam Agrippæ filiam, vel tum ex ipso prægnantem, & ex qua iam pridem Dru-

[Margin notes: M. VALERIVS MESSALLA BARBATVS P. SVLPICIVS QVIRINVS COSS. — M. AGRIPPA MORITVR. — TIBERIVS GENER AVGVSTI. — Section letters A, B, C, D in right margin.]

A Drusum genuerat, dimittere, non sine magno angore animi; quum & consuetudine Agrippinæ teneretur, & Iuliæ mores improbaret; vt quam sensisset etiam sub Agrippa marito sui appetentem; quod & vulgò ita existimabatur. Sed Agrippinam dimisisse post diuortium doluit: & semel omnino postea ex occasione visam adeò contentis tumentibusque oculis prosequutus est, vt obseruatum deinceps sit, ne vnquam in conspectum eius posthac veniret. Cum Iulia primò concorditer & amore mutuo vixit; mox ab ea discedit, & aliquando grauius, vt etiam perpetuò secubaret, postquam intercepto mutui affectus pignore, Aquileiæ natus infans exstinctus erat. Tiberium

BELLVM PANNONICVM.

B itaque antè priuignum, nunc verò generum, Augustus in Pannoniam iterum ad arma commotam cum summo imperio mittit. Pannones enim, qui ob metum ex Agrippa ad officium redierant, intellecta eiusdem morte rebellarant: potissimùm Breuci & Colapiani, populorum cis Sauum degentium facilè principes, quibus Pinnetes; item Dæsitiatæ & Amantini trans Sauum, quibus duo Batones imperabāt. Contra hos Tiberius mouens, egregia Scordiscorum, qui se iam cum Romanis coniunxerant, fide operáq; vsus est. Hi, vt ad Claudiū montem hostibus à tergo habitabant, ita subita incursione populationéque ingentem latè cladem terroremque, superatis Drauo & Batuncio flu-
C minibus, in Amantinos circumtulêre. Fumus ex villarum agrorúmq; incendijs in oculos & ora hostium ferebatur. Strepebant aures clamoribus eiulatibusque plorantium vndique necessariorum, auxilium & fidem suorum implorantium: omnia deniq; tumultus plena erant. Ad sua itaque defendenda Bato cum copiis digressus, Tiberium, quem per impeditos saltus & deuios colles exercitum in Breucos ducentem, iniquitateque locorum inclusum facilè perdere poterat, passus est cum omnibus copijs incolumem & inuiolatum euadere: quo beneficio postea pacem sibi suísque, & ingentia insuper præmia à Tiberio impetrauit. Tota inde moles belli in Breucos omnium ferocissimos con-
D uersa est: qui clade Dæsitiatarum, quibus alter Batonum imperabat, intellecta, (arma enim, quæ passim in Sauo flumine cæsis Dæsitiatis fluctuabant, ingentem sociorum stragem à Scordiscis fuisse factam indicabant) terrore ac desperatione perculsi, à ducum suorum imperio dilapsi, in deditionem venêre. Ex his qui arma ferre poterant, magnam partem sub corona venire Tiberius iussit, ea conditione, vti ne in Pannonia, aut proximis regionibus, quæ Populo Romano non parerent, seruirent. Pinnetes fuga in Pirustarum ditionem elapsus, euasit. Mitior deinde in ceteros victoria fuit: neque enim tantundem noxæ ab ijs admissum fuerat, & aliquantulum iræ lenierat spontanea deditio.

P. Cornelius Dolabella inde in Pannonios missus est, vt eos qui nõdum perdomiti erant, sub ius ditionemque redigeret. Tiberius autem in Segesticam Saui insulam traiecit; ibique Scisciam coloniam ex veteranis cum iure Italico deduxit; oppidumq; haud longè à cõfluente Colapis & Saui situm validissimis mœnibus & propugnaculis confirmat: deductaq; ex Colape fossa, idem oppidum vt in insula situm esset flumine cinxit: eoq; deinceps tanquam arce contra Pannoniorum & Dacorum incursiones vsus est. Senatus Tiberio ob res feliciter gestas triumphum decreuerat; verùm Augustus ne eum ageret, intercessit: ceterùm triumphalibus ornamentis donandum censuit: quem honorem hactenus inauditum, quidam primùm Tiberio delatum, alij M. Agrippæ (vt supra memorauimus) primùm contigisse tradunt. Sicambri sub hac duce Melone, simul & Vsipetes Galliam iterum incursionibus vastabant: multique Gallorum ob tributorum cõtinuationem & fœnoris grauitatem, tum propter coactorũ sæuitiam & superbiam, Germanorum se copijs adiunxerant, nacti egregiam, vti sperabant, asserendæ libertatis occasionem: sed præ ceteris tumultuosè ac seditiosè agebãt, quibus egestas ac metus ex flagitiis maximam peccandi necessitatem imposuerãt. Hinc Drusus Tiberij frater, qui tum Galliam pro Prætore regebat, Gallorum primores euocat: leniterque verbis castigatos ad imperium reducit: conuocatisque vndique copijs socios nauales Batauorum insulam cum classe petere iubet. Ipse contra Germanos q̃ maximis poterat itineribus profectus, eosdem ne Rhenum traijcerent repressit: fossamque immensi & noui operis, qua ex Mosa in Rhenum nauigaret, fecit; cui Drusianæ ab auctore nomẽ fuit. Hinc in Amisiam flumen deflectens, Bructeris nauali prælio superatis, Frisios etiam in deditionem accipit, aliquot prius partim naualibus, partim pedestrib. prælijs edomitos: ijsq; modicum & pro angustia rerum tolerabile tributum imperat, nimirum vt in vsus militares coria boum penderent. Oceanum inde Septemtrionalem primus Romanorũ ducum ingressus, auspicijs Augusti, classem ad Cimbrorum vsque promontorium circumuectam Germanicum Oceanum explorare iubet. Inde prospecto immenso mari, aut fama saltem cognito, ad Schytarum littora & loca extremo frigore horrentia incultaq; id pertingere importuosum & inaccessum intellexit. Ipse interea in Cauchos prosperam celerrimámque expeditionem facit: atque acie secum cõgredi ausos superat. Ex illis qui fuga elapsi erant pars maior ad suas se paludes Romanis incognitas & inexploratas in tutum recepêre. Quumque Drusus classem in æstuaria incitari iussisset, ob æstuum violentiam & breuium vadorumq; difficultatem grauissima clade perculsus fuisset, nisi Frisij paullò antè

BELLVM GERMANICVM.

A B C D

A antè in societatem accepti, tempestiuè ipsum de vitio loci præmonuissent. Drusus itaque Sicambris, qui Rhenum transierant, cæsis, Vsipetum agro longè lateque vastato, Frisijsq; in amicitiam Populi Romani acceptis, in Vrbem reuertitur. Et licet Prætorijs antea ornamentis (vti retulimus) donatus, Pręturam tamen accepit: quum Consulatum iniissent Paullus Fabius Maximus & Q. Ælius Tubero. Inde Drusus iterum ad bellum reuersus est. Fama tenet, Tiberium, quẽ odio etiam in necessitudines suas semper impotenti flagrasse compertum erat, impiè in fratrem Drusum cõsuluisse; ac epistolam, qua Drusus secum de cogendo ad restituendam Rempublicam Augusto egisset, prodidisse.

PAVLLVS FABIVS MAXIMVS, Q. AELIVS TVBERO COSS.

B Augustus vt res vrbanas componeret, Senatum rursus legere instituit: quum enim amissis per bella patrimoniis, census Senatorius centum millibus esset præfinitus: pòst autem, magnis iam partis diuitijs, vsque ad ducenta millia esset perductus, nemo erat qui sponte Senator esse vellet: quin & filij nepotesque Senatorum afflicta re familiari, nõ solùm Senatoriam dignitatem non appetebant, sed ea vltrò se abdicabant. Ceterùm, quia nec Tribunatum plebis quisquam amplius vltrò petebat, vti ex Quæstorijs & nondum annos quadraginta natis aliqui fierent, omnes ipse perquisiuit: & qui supra triginta quinque annos nati erant, præterijt; qui verò infra eam ætatem erant, & censum Senatorium habebant, Senatores esse coëgit: nisi si quis manco aut mutilo corpore esset. Sanxit præterea, ne infrequentia candidatorum Tribunatus plebis negligeretur, vt tot ex Equitũ numero aut suffragiis crearentur, aut à designatis cooptarentur, quoad legitimus Tribunorum numerus expleretur; ea lege, vt quum Tribunatu abijssent, ipsis liberũ esset, in Senatorio ordine censeri, vel in Equestri manere, si mallent.

Pro vrbibus autem quæ in Asia terræmotu aut labefactatæ, aut prostratæ essent, Tributum Reipublicæ ipse persoluit. Iis autem quæ suarum prouinciarum essent, vectigalia in sexennium remisit. Quumq; Palæstina & Iudæa in ægerrimo prouentu etiam fame laborarent, easdem summissa ex Ægypto per P. Petronium annona recreauit.

D Interea temporis Drusus superato Rheno, Vsipetas perdomuit: Lupiaque flumine ponte constrato incursionem in Sicambros fecit: inde Tenchteros afflixit: & Catthos Sicambrorum armis fractos, quia societatem cum ceteris Germanorum populis coire, vt commune periculum coniunctis viribus propulsarẽt, noluissent, varijs cladibus attriuit. Posthæc validissimas Cheruscorum, Sueuorum, & Sicambrorum copias magno & difficili prælio superauit. Saluti imprimis fuit, quòd hostes multitudine sua confisi, temerè & sine ordine vndique in Romanos statariа pugna condensatos incurrentes, non impunè propelleren-

tur. Eæ gentes, quia victoriam animo præceperát, spolia similiter prædasque ex Romanis pactione inter se distribuerant; Cherusci equos, Suevi opes, Sicambri captiuos delegerant. Et vt aliqua sceleris necessitudine mutuam inter se societatem veluti auctoramento aliquo obstringerent, viginti Centuriones à se interceptos concremauerant: ita non nisi magno tandem cum labore & militum Romanorum virtute Germanorum pertinacia victa est. Drusus equos, pecora, torques, quin & ipsos captiuos veluti prædam militi suo distribuit, & sub corona vendidit. Magna quidem ea victoria, sed nec incruenta Romanis fuit: sexta ab hora diei vsque ad noctem cæsi hostes sex passuum millia cadaueribus atque armis oppleuêre; repertis inter spolia eorum cathenis, quas in Romanos, vt non dubio victoriæ euentu, secum portauerant. Miles in ipso prælij commissi loco Drusum Imperatorem salutauit; substructoque aggere in modum trophæi, arma subscriptis victarum gentium nominibus imposuit. Ab hoc Drusus per Mosam flumẽ, per Visurgim, & per Rheni ripam quinquaginta amplius castella, vt hostium incursiones arceret, condidit. Ob hæc Druso triumphales honores decreti, & vt ouans vrbem iniret. Sed Augustus ornamentis triumphalibus donato, Proconsulare quoque Imperium, postquam Pręturam, quam tum gerebat, abijsset, concessit: Imperatoris tamen nomen quo à militibus salutatus fuerat, non permisit. Tiberius interea Delmatas se absente cum Pannoniis rursus arma mouentes, iterum in potestatem redegit; atque hinc eosdem honores, quos Drusus adeptus est. Drusum ne ouans iniret, mors (vti deinceps dicturi sumus) præmatura prohibuit. Augustus ob tot victorias suis auspicijs partas, XII. Imperator à Senatu appellatus est. Dum ea quæ prædiximus in Pannonia ac Germania geruntur, atrox in Thracia bellum exortũ est, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis: quæ tantò validius & ferocius insultabant, quòd signis militaribus, & disciplinæ armisque Romanorum assueuerant. Bulogæses Thrax Bessorum Rex, vt supra retulimus, Rhascupolin Cotys filium Populi Romani socium interfecerat: & patruum eius Rhymetalcen exercitu exutũ in Thraciæ Chersonesum compulerat. Hinc L. Piso ex Pamphilia, cui præerat, castris motis, in Bessorum regionem venit; cladem que ab ijs acceptam ingenti victoria correxit. Hoc anno Theatrum Marcelli ab Augusto dedicatum produnt; atque tunc primùm Tigrin mansuefactam Romæ ijs ludis exhibitam. Drusus autem Romam reuersus, natalem Augusti magno apparatu celebrauit: ac tum Senatusconsulto decretũ est, vt Augustalia festus dies ipso natali Augusti à Prętore vrbano quotannis celebraretur. Quòd Drusus tempestiuius hoc anno in Vrbem

AVGVSTVS IMP. XII.

A B C D

A bem redierit, militemque in hiberna deduxerit, causam adferunt idonei auctores fuisse, quòd examen apum pro tabernaculo Hostilij Rutili castrorum præfecti consedisset: ita vt funem prætensum, præfixámque tentorio lanceam amplecterentur: quo prodigio aruspices multitudinem hostium, & periculum ex insidiis metuendum prædixerant. Repugnat Plinij auctoritas, qui examen apum in castris Drusi sedisse asseuerat, quo tempore apud Arbalonen prosperrimè pugnatum est. Sed haudquaquam perpetuò vera aruspicum coniectura, qui semper id ostentum vt dirum interpretati sunt. Consules inde creati, Iulus Antonius, M. Antonij ex Fuluia filius, & Q. Fabius Maximus Africanus, quum Drusus ineunte vere in Germaniam profectus, Sueuos magna clade profligatos, in ditionem recepit; iisque Vannium regem dedit, initiò sui principatus clarum acceptumque popularibus. Inde etiam Marcomannos congredi ausos, non sine maxima strage, nunc acie, nunc populationibus ad imperata coëgit: quorum similiter spolijs tumulum quendam in trophæi modum exornauit. Præterea inter flumina Alisonem & Lupiam castellum, vt Catthorum impetus arceret, condidit: præsidiaq; & custodias in tutelam prouinciarum vbique dispo suit. Eas ob res, simul & Pisonis aduersus Bessos victoriam, Augustus XIII. Imperator salutatus est. Sub hæc filius Tiberio ex Iulia Aquileiæ natus, infans etiamnum paullò pòst exstinctus est. Moritur & Octauia Augusti soror; cui quum præcipua officia viuæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit, mortuamque laudauit. In huius luctu, præterquàm quòd lati claui annuliq; publicè positi sunt, omnesque etiam matronæ luxerunt; Drusus quoque Consul designatus pro Rostris, veluti in publico luctu, vestem mutauit; itidem & L. Domitius: vterque enim Octauiæ gener erat; vterque funus extulit, quod in Augusti Mausolæo conditum est. Ceterùm, quia ob Senatorum, qui ad edictum conueniebant, infrequentiam, Senatusconsulta ex ipsius instituto (quo non minore numero quàm quadringentorum opus erat) aut nunquam, aut raró admodùm fieri possent, permisit vt ex trecentorum sententia Senatusconsulta perscribi, & ad ærarium perferri possent: eademque Quæstoribus seruanda, & custodienda tribuit: quia Tribuniplebis & Ædiles, quibus antè id negotij datum fuerat, per apparitores suos negligentius & confusius ea curassent. Obseruo & hoc anno ex aliquorum sententia Ser. Cornelium Maluginensem Flaminem Dialem esse creatum, LXXIIII. annis post L. Cornelium Merulam; qui bello ciuili Mariano Consul, quum se Magistratu abdicasset, incisis venis sponte vitam finierat. Et tunc ex Pontificum decreto fuisse constitutum, ne Flamen Dialis plus quàm

IVLVS ANTONIVS Q. FABIVS MAX. AFRICANVS COSS.

AVGVSTVS IMP. XIII.

OCTAVIA MORITVR.

SER. CORNELIVS MALVGIN. FLAMEN DIALIS

FLAMEN DIALIS.

quàm binoctio ab vrbe abesse posset; idque valetudinis tantùm causâ, & ex Pontificis Maximi arbitrio; & ne diebus publici sacrificij, néve sæpius quàm bis in eundem annum; néve iis, etiamsi Magistratus capere poterant, prouinciarum administrationes concederentur. A

Per id ferè tempus Augustus Proculum, vnum ex acceptissimis libertis, in carcere necari iussit, conuictum matronas adulterio corrumpere solitum: item Thallo, quo à manu vtebatur, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura frangi imperauit. Haud multò pòst Drusus in Galliam cum Augusto, ob motus Germanorũ compescendos profectus, Lugduni aram Augusto dedicauit, idq; Kal. Augusti: quo die ipsi Ti. Claudius Drusus, qui postea imperauit, natus est. B Tiberius verò in Pannoniam ab Augusto missus fuerat, quòd ea Cotisonis Regis iussu incursionibus Dacorum opprimeretur. Delmatæ etiam ob tributum iniquissimè imperatum, & acerbissimè coactum, rebellauerant, séque cum Dacis sociauerant: quos Tiberius partim acie profligatos, partim vltra Danuuium summotos, ad imperium coëgit: ripasque cisdanuuianas, vt vagas hostium excursiones prohiberet, præsidiis castellisque firmauit. Interea in Thracia L. Piso Mæsios & Bastarnas, qui armis Ænimontanos ceterósque populos iterum infestarant, magno prælio vicit: qui in ipsa etiam captiuitate cathenas morsibus impetentes barbariem suam ostentabant. Drusus Catthos, qui Sicambris coniuncti rebellauerant, aliquot cladibus oppressos, ad deditionem coëgit: ac Lugdunum victor reuersus, vnà cum Augusto in Italiam rediit. C Augustus ob ea quæ suis auspiciis feliciter gesta fuerãt, Imperator XIII. salutatus est. Pro statuis autem, quas ipsi Senatus ob victoriam decreuerat, Salutis, Concordię, ac Pacis signa poni iussit. In restitutionem domus Palatinæ incendio consumtæ, Veterani, Decuriæ, Tribus, atque etiam singulatim quàmplurimi è cetero genere hominum libentes, ac pro facultatibus quisque suis sponte pecunias contulerant: ceterùm Cæsar delibans tantummodò summa rum aceruos, haud plus denario ex singulis abstulit. Quumque Kal. D Ianuariis etiam absenti omnes ordines strenam in Capitolio offerrent, similiter & in lacum Curtium stipem pro salute ipsius ex voto quotannis coniicerent; Cæsar eadem modestia & continentia vsus, ex ea summa pretiosissima Deorum simulachra mercatus, eadem vicatim dedicabat: vt Apollinem Sandaliarium à vico cognominatum, & ab habitu tragico Iouem Tragœdum, atque alia. Consulatum inierant Nero Claudius Drusus cum T. Quinctio Crispino, quum Drusus expeditione in Germanos repetita, Catthos per multas clades profligat: & facto cum Sueuis prælio, victor ad Albin vsque, quem traiicere moliebatur,

AVGVSTVS IMP. XIII.

NERO CLAVDIVS DRVSVS T. QVINCT. CRISPINVS COSS.

A liebatur, iam magna ex parte Germaniæ domitor penetrauit. Ibi species incognitæ mulieris, quæ voce humana ampliore, Latino sermone eum vltra tendere vetans, iam quoque ipsius vitæ terminum adesse prænunciauit. Drusus siue prodigio, siue omine territus, conuerso statim itinere ad Rhenum reflexit: ibi supremum ex morbo in castris æstiuis diem obijsse, quum annum ageret ætatis tricesimum, memoriæ proditum est. Eaque castra ob eius mortem Scelerata fuisse cognominata Suetonius cum Dione auctor est. Liuius verò ex fractura, equo super crus eiusdem collapso, tricesimo quàm id acciderat die mortuum scribit. Strabo quoque mortis locum inter Salam & Rhe- DRVSI MORS.
B num circumscribit. Tiberius nuncio valetudinis eiusdem euocatus, raptim duobus solùm vehiculis ducenta millia passuum emensus accurrerat; mortuoque inuento, corpus prægrediente etiam pedibus per totum iter Tiberio, per Municipiorum Coloniarumque primores suscipientibus obuijs scribarum decurijs ad vrbem delatum, & in campo Martio in Augusti Mausoleum illatum est. Ceterùm, exercitus honorarium ipsi tumulum excitauit; circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, ac ipsæ Galliarum ciuitates publicè supplicarent. Senatus autem inter alia complura, Druso arcum marmoreum cum trophæis iuxta viam Appiam decreuit: & nouo ex-
C emplo Germanici cognomen ipsi à prouincia, posterisque eius attribuit. Fuisse fertur non minus excelsi quàm ciuilis animi: nam ex hoste super victorias opima quoque spolia affectasse, summoque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatum; nec dissimulasse se quandocunque posset, pristinum Reipublicæ statum esse redditurum. Vnde credibile est nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto fuisse, reuocatumque ex Prouincia; & quia cunctaretur, veneno interceptum. Quod equidem magis ne prætermitterem retuli, quàm quòd verum aut verisimile putem: quum Augustus tantoperè & viuum dilexerit; vt cohæredem vnà cum filijs instituerit, quod
D & in Senatu aliquando professus est: & defunctum ita pro concione laudauerit; vt Deos precatus sit, similes ei Cæsares suos Caium & Lucium faceret: sibique tam honestum exitum darent, quàm illi dedissent: nec contentus elogium tumulo eius versibus à se compositis insculpsisse, etiam vitæ eius memoriam soluta oratione prosecutus est. Augustus interea, vt Senatores curiam frequentarent, mulctam eorum qui nullam satis iustam ob causam non conuenissent, iterum auxit: & quum plerique ob multitudinem eorum qui mulcta tenebantur, impunè elaberentur, statuit (quod & ante aliàs fecerat) vt quinctus quisque in quem sors cecidisset, mulctaretur:

decreuitque vt Senatusconsultum esset, si quod perscriberetur, quum **A** Senatus legitimè conuenisset: sin verò ea frequentia, qua vocatus fuerat, Senatus non conuenisset, aut nec legitimo in loco, nec die idoneo, nec edicto legitimo, sed ambitioso, aut si fortè Tribunus plebis intercessisset, tum quidem quod perscriberetur, Auctoritatem Senatus, non S. C. esse appellandum: taleque decretum pro imperfecto, nec rato haberetur. Sanxit & hoc, ne plus quàm bis in mense legitimus Senatus cogeretur, Kalendis scilicet & Idibus; néue mense Septembri aut Octobri vllos adesse alios necesse esset, quàm sorte eductos; per quorum numerum decreta confici possent: Sibique concilia sortitus est trimestria, cum quibus de negocijs ad frequentem Senatum referendis, antequam referret, tractaret. **B** Terrinium Senatorem, quamuis minus sibi familiarem, oculis repentè captum, & ob id inedia mori destinantem, præsens consolando ad vitam reuocauit.

Dion auctor est (nisi fallat interpres) Prætoribus hoc demùm anno locum sententiæ in Senatu dicendæ factum fuisse. Verisimile est ipsum de Prætoribus loqui, qui quòd Magistratum gerebant, in Senatum quidem venire, sententiam verò loco Senatorio dicere, si nondum vel à Censoribus, vel ab ijs, qui Senatus legendi potestatem haberent, allecti essent, nondum poterant: atque hac potissimum condicione Prætura Tribunatui plebis cedebat: quòd Tribuni plebis ex **C** Atinio plebiscito etiam sine Censoria lectione Senatores essent; & sententiam in Senatu loco Senatorio dicendi ius haberent.

Augustus hoc anno plerisque in iudicijs testis citatus, & interrogari se & refelli, vti & aliàs semper, æquissimo animo passus est: ea enim fuit Augusti patientia, atque animi moderatio. Huic aliquando in Senatu verba facienti responsum est, Non intellexi: & aliàs ab alio; Contradicerem tibi si locum haberem. Aliquando etiam ob immodicas altercationes disceptantium, è curia per iram se proripienti, quidam ingesserant; licere Senatoribus de Republica loqui: neque cuiquam ea vel peruicacia, vel contumacia fraudi aut discrimini fuit. **D** Quum Nonius Asprenas arctius Augustum contingens, causam veneficij diceret, accusante Cassio Seuero, quòd CXXX. conuiuas veneno interemisset, consuluit Senatum Cæsar, quid officij sui esse censerent? dubitare enim se, ne si iudicio interesset, legibus reum eripere, sin abesset, destituere ac prædamnare amicum ac propinquum existimaretur. Et consentientib. vniuersis, sedit in subsellijs per aliquot horas: verùm tacitus, ne laudatione quidem in cõmendationẽ rei præbita. Memoriæ proditum est ab ijs qui illi tempestati æquales fuerunt,

Cas.

A Cassium Seuerum, etsi sordidæ aliâs originis vitæque probrosæ, vehementem tamen oratorem & accusatorē improbum fuisse; vsqueadeò vt multi accusante eo absoluerentur: & per immodicas inimicitias eousque contendisse, vt iudicio iurati Senatus in exsilium in Cretam insulam amoueretur. Ceterùm, quia & illic eodem animi morbo laboraret, veteráque & recentia odia auxisset, quum bonis exsuto aqua & igni interdictum fuisset, in saxis Seriphiis consenuisse. Produnt & id auctores idonei, veteranum quendam scutarium & euocatum, qui die sibi dicto, postulatus iniuriarum periclitabatur, accessisse ad Augustum, petiisseque vt sibi patrocinaretur. Augustum sine mora è B proximis suis ipsi patronum dedisse, & reum commendasse. Tum scutarius nudato pectore, cicatrices quas Actiaco prælio aduersas acceperat, ostendit: At ego istas, inquit, Auguste, proprio in corpore, vt te defenderem, excepi: nec qui pro te depugnaret optionem opposui. Ipse itaque Augustus etiam ad subsellia cum scutario venit, & in iudicio periclitantem patrocinio suo protexit. Paullò pòst & Castricium, per quem de Murenæ coniuratione cognouerat, è reorum numero precibus eripuit, exorato coram iudicibus accusatore.

Auctores habeo, qui Tiberium hoc anno, antequam Drusus eius frater obiret, ouantem in Vrbem ob res in Delmatia & Pannonia TIBERIVS OVANS.
C benè gestas ingressum prodant: eundemque Druso honorem paratum fuisse, nisi ante diem destinatum excessisset. Sunt & qui in proximum annum Ouationis honorem à Tiberio dilatum, ob publicum ex fratre luctum affirment: epulumque Populo in Capitolio, aliisque passim in Vrbe locis exhibuisse. Excepit deinde belli Germanici molem, curámque Tiberius; quod is magna fortuna gessisse, & consilio maiore patrasse proditur: paragratusq; victor omnes Germaniæ partes, sine vllo commissi sibi exercitus detrimento (quam curam Tiberio semper vel præcipuam fuisse memorant) plura artibus & calliditate, quàm vi peregit. Dum namque plerosque in societatem & fœ-
D dera beneficiis alliciebat, quos inter se domesticis odiis dissociatos intellexerat, mutuis itidem suspicionibus eosdem in mutuam perniciem armabat: distractaque per eam veluti contagionem in diuersas factiones & studia partium Germania, singulos bellis inter se attritos haud difficulter oppressit, quos sociatos & coniunctos antea metuebat. Eaque calliditate vsus, magna ex parte Germaniam inter Albin C. MARCIVS & Rhenum perdomuit, ita vt eandem quasi in prouinciæ formam CENSORINVS, redigeret. C. Marcio Censorino, C. Asinio Coss. quum Au- C. ASINIVS GALLVS, gustus Sacerdotum dignitatem simul & commoda auxisset, præcipuè COSS. virginum Vestalium; quumq; in demortuę locū aliam capi oporteret,

 ambi-

ambirentque multi, ne filias in sortem darent; adiurauit Augustus, si A
cuiquam neptium suarum ætas competeret, oblaturum se eam fuisse. Pontificis enim maximi manu apprehensæ ab iis parentibus in quorum potestate erant, quæ non minores annis sex, nec maiores quàm decem erant, viginti capiebantur: è quibus sortitò pro concione, quæ in demortuæ locum surrogaretur, legebatur. Posthæc Lupercalibus vetuit currere imberbes, aut impuberes; vt eorum pudicitiæ (nudi enim discurrebant) contra stupratorum insidias consuleret. In operibus publicis proximum à Dijs immortalibus honorem memoriæ Imperatorum præstitit, qui Imperium Populi Romani ex minimo maximum fecissent. Itaque opera cuiusque manentibus titulis resti- B
tuit; & statuas omnium triumphali effigie dedicauit: professus edicto id se commentum, vt ad illorum velut exemplar, & ipse dum viueret, & insequentium ætatum Principes exigerentur à ciuibus. Pompeij quoque statuam contra Theatri ipsius Basilicam marmoreo Iano superposuit, translatam è Curia, in qua C. Iulius Cæsar fuerat occisus.

AVGVSTVS IMP. XIIII.

Eodem tempore, ob ea quæ Tiberius in Germania, Sex. Appuleius in Pannonia feliciter gesserant, Cæsar XIIII. Imperator appellatus est; & in alios decem annos potestatem Reipublicæ constituendæ accepit: mensisque (vt plerique sunt auctores, vt supra retulimus) qui antea Sextilis, ex S. C. de ipsius nomine tum primùm Augustus appellatus C
est: & error tridui, iusto plus quàm ad anni à Cæsare instituti dimensionem pertineret, hactenus per XXXVI. annos intercalati, ab Augusto sublatus est; adhibito remedio, ne totis duodecim annis quidquam intercalaretur, vt supra dictum est: atque hoc demùm anno primùm intercalatio omissa est, vt fert ratio temporis à Cæsare constituti; quo quarto quoque anno non incipiente, sed conuerso intercalandum erat. Per id quoque tempus Cæsar auctis Populi Romani finibus,

POMERIVM AMPLIATVM

Pomerium etiam ex S. C. ampliauit, terminauitque. Sunt qui C. Cilnium Mæcenatem his Consulibus vita excessisse prodant: virum vt attauis regibus ex Etruria oriundum, ita eruditorum sui sæculi fautorem D

MAECENAS MORITVR.

eximium & cultorem nobilissimum; qui angusto clauo contentus, nullos vnquam honores petierat. Ferũt eum vbi res vigiliam & curam exigebat, exsomnem prorsus prouidumque, atq; actionum omnium peritissimum fuisse: ediuerso simul atque aliquid ex negotio remitti poterat, ocio ac mollicia fluxisse. Nec minus Augusto charus, quàm vel ipse Agrippa fuerat; ipse vicissim Augusto vsqueadeò familiariter vtebatur, vt auctoritate sua frequẽter animi eius impotentiam represserit, multisq; saluti fuerit; vtpote præcipuus cui secreta Augusti innitterentur: sed ætate prouecta speciem magis in amicitia Principis, quàm vim

A vim tenuit. Quod & C. Sallustio Crispo historici Sallustij nepoti postea contigit; qui viuo Mæcenate proximus, mox præcipuus cui arcana imperij crederentur: Fato potentiæ rarò sempiternæ; quia aut satietate capiuntur, aut fastidiunt; illi, quum omnia tribuerint; hi, quum iam nihil reliquum est quod cupere posśint. Crispus etiam Mæcenatem æmulatus, quanquã promoto ad capessendos honores aditu, sine dignitate Senatoria multos Triumphalium Consulariúmque potentia anteiit: diuersus à veterum institutis, per cultum & mundicias copiáque & affluentia in luxum solutior: suberat tamen animi vigor ingentibus negotijs par; & tantò acrior, quò magis somnum & inertiam præ se ferebat. B Exagitare solebat Augustus Mæcenatem suum, vt Cacozelum, & antiquarium, ipsiusque myrobrechos (vt ait) cincinnos vsquequaq; persequebatur, & imitando per iocum irridebat; quale illud in epistola ad Mæcenatem familiari in plurimos iocos effusa: Vale mel gentium Meduliæ, ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamas Supernas, Tiberinũ margaritum, Cilniorum smaragde, iaspis Figulorum, berille Porsenæ. Similiáque eiusdem ioci. Amicitias vt neque facilè admisit Augustus, ita constantiśsimè retinuit; & non tantùm virtutes ac merita cuiusque dignè prosequutus, sed vitia quoque & delicta, sed dumtaxat modica, perpessus est. Desiderauit & in Mæcenate taciturnitatem, vt in Agrip-C pa patientiam. Exegit & inuicem ab amicis beneuolentiam mutuam, tam à morientibus, siue defunctis, quàm à viuis; nam quamuis hæreditates minimè appeteret, vt qui nunquam ex ignoti testamẽto capere quidquam sustinuerit; amicorum tamen suprema de se iudicia morośiśsimè pensitabat; ne diśsimulato quidem dolore, si parcius, aut citra verborum honorem; neq; item gaudio, si gratè pieque aliquis se prosequutus fuisset. Legata, vel partes hæreditatum, & à quibuscunque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari ætate essent, die virilis togæ, & quum prætextam ponerent, vel certè die nuptiarum cum incremento restituere consueuerat.

D Auctores habeo qui hoc anno trans Tiberim de Taberna meritoria fontem olei ex terra erupisse, ac per totum diem largiśsimo riuo fluxisse; & circulum Iridis circa Solem aliquot diebus apparuisse tradant. FONS OLEI FLVXIT.

Per id tempus Augustus aduersus Gallos exercitum duxit, atque ipse quidem in prouincia mansit: Tiberius verò traiecto Rheno Germanos ad condiciones compulit; quibus repudiatis, magnis mox eosdem cladibus, quanquam non incruenta victoria, confecit; ita tamen vt consilio & astu plura, quàm vi & armis perficeret. Sicambrorũ Sueuorumque nonaginta millia, qui se dediderant, in Galliam inter Rhenum & Mosam Wahalimque fluuios traduxit: ceteras Germaniæ gen-

tes, posteaquam Romanæ vltioni consultum fuerat, internis discordijs eo consilio reliquit, vt intestino bello fractæ confectæq; securius faciliúsque vi Romanorum opprimerentur. Augustus quum Tiberium Imperatoris nomine ornasset, eundem Consulem iterum designauit; ac literas eum more maiorum de rebus à se gestis ad Senatum mittere, atque antequam magistratum iniret de ijsdem in Senatu disserere ac triumphare voluit. Tiberius itaque è Germania reuersus, Senatu in ædem Octauiam, quæ extra Pomerium erat, conuacato, res à se fortiter feliciterque gestas exposuit; postulauitque pro aucto imperio vt triumphanti sibi vrbem inuehi liceret. Senatus res triumpho dignas esse censuit: Augustoque, cuius auspicijs res gesta esset, triumphũ, itidem & ex Augusti voluntate Tiberio decreuit. Augustus triumphũ abiecit, ceterùm Tiberius Kal. Januarijs de Germanis triumphauit. Augusto trophæum tale dicatum est: IMP. CÆSARI DIVI F. AVGVSTO PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTEST. XVIII. S. P. Q. R. Quòd Eius Ductu Auspicijsque Gentes Alpinæ Omnes, Quæ à Mari Supero Ad Inferum Pertinebant, sub Imperium Populi Romani Redactæ Sunt. Sub idem tempus P. Sulpitius Quirinus Consularis, qui etsi veterem Patriciamque Sulpiciorum gentem nihil admodùm contingebat, quippe ortus apud municipium Lanuuium, ob rei tamen militaris scientiam & gloriam, operamque benè ac fortiter nauatam, Consulatum adeptus fuerat; nunc quinquennio exacto in Prouinciam profectus per Ciliciam, Homonadensium quadraginta quatuor castella expugnauit; ea inter asperas & præruptas conualles latitabant: ob quam victoriam ornamenta triumphalia iussu Augusti accepit. Ti. Claudius Nero Consulatum iterum Kal. Ianuarijs inijt, cum C. Calphurnio Pisone II. Eum Consulatum Tiberius per tres solùm menses gessit. Caius Augusti filius, quum decimum quartum tantùm ageret annum, populi studio vel adulatione Consul designatus est. Ceterùm Consulatum non inijt, auctoritate & intercessione Augusti prohibitus, vt Dio prodit. Verùm Tacitus auctor est, Augustum Caium & Lucium Cæsares nondum posita puerili prætexta Principes iuuentutis appellatos, etiam Consules designari specie recusantis flagrantissimè cupiuisse. His Coss. Augustus cognitionem de famosis libellis sub specie læsæ Maiestatis primùm tractauit: commotus Cassij Seueri libidine, qua viros fœminasque illustres procacibus scriptis diffamauerat: quanquam ipse alioqui Augustus scommata ac dicteria etiam in se iacta, vel cõtemnere, vel patienter audire solitus; ita vt inuidiosis quorundam & petulantib. iocis lacessitus edicto contradixisse contentus fuerit. Ne quid tamen de inhibenda scom-

TIBERIVS IMP. ITER. COS. DESIG. ITER.

TIBERII TRIVMPHVS DE GERMANIS.

TROPHAEVM AVGVSTI.

TI. CLAVD. NERO II. CN. CALPVRNIVS PIS. II. COSS.

A B C D

A scommatorum licentia Senatus constitueret, intercessit. Etiam sparsos de se famosos in Curia libellos, nec expauit, & magna cura redarguit: ac ne requisitis quidem auctoribus id modò censuit, cognoscendum posthac de his, qui libellos aut carmina ad infamiam cuiusquam sub alieno nomine ederent. Tiberio quoque de eadem re sedulò & violentius apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quemquam esse qui de me malè loquatur. Satis est enim si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit. Augustus quoque, quia Vrbs in maximam amplitudinem creuerat, spatium vrbis quod Setuius Tullus quum Pomærium ampliasset in Regiones quatuor diuiserat, ipse quidquid

B etiam collium aut conuallium pomærio & mœnibus includebatur complexus in Regiones XIIII. vicosque CCX. distribuit: quarum regionum ordo seriesque apud antiquos ita memoriæ prodita est; vt prima regio Porta Capena terminaretur; altera, Cælimontio; tertia, Isidis, Serapidis, & Iunonis Monetæ templis; quarta, via sacra, siue Templo Pacis; quincta, Esquilino & colle viminali; sexta, Alta semita; septima, Via lata; octaua, foro Romano; nona, Circo Flaminio; Decima, Palatio; vndecima, Circo maximo; Duodecima, Piscina Publica; Decima tertia, Auentino; Decima quarta, Transberina definiretur. Insti- VRBS IN XIIII REGIONES DIVISA.

C tuitque ad hæc, vt annui Magistratus Regiones sortitò tuerentur: vicos autem, Magistri è plebe cuiusque viciniæ electi; qui quatuor per singulos vicos erant: & vt Magistri vicorum prætexati ludos Compitalitios facerent; Laresque compitales bis in anno ornarent, vernis floribus & æstiuis. Per Regiones quoq; singulas, Curatores duos, & duos Denunciatores instituit. Curatorum munus erat procurare apud Principem cōmoda regionum, decus, elegantiam viarum & vicorum Vrbis; curare etiam ne à priuatis nouísve ædificijs interrumperentur. Denunciatorum verò erat, quidquid regioni tam publicè quàm priuatim accideret, denunciare. Aduersus incendia excubias noctur- MAGISTRI VICORVM.

D nas vigilumque cohortes septem ex Libertinis scriptas constituit; vt binis regionibus singulæ præessent. Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumtas, refecit: & inter hæc Iouis Feretrij templum; atque in eo opima spolia Cossi Cornelij Lentuli, quæ ille Consul Tolumnio Veientum regi detraxerat, restituit. Ceteras ædes opulentissimis donis adornauit; vtpote qui in Cellam Capitolini Iouis sedecim millia pondo auri; gemmasque ac margaritas vsque ad quingenties sestertiûm vna donatione contulerit. Inter hæc vt prauas filiorum suorum spes nimia generis sui fiducia sese efferētium cohiberet, Tiberium Tribuniciæ potestatis collegam in quinquēnium cooptauit; populumq; edicto TIBERIVS TRIBVNICIAM POTESTATEM ACCIPIT.

edicto increpuit, quòd quum ambo adhuc prætexati essent, Lucius A Caium fratrem Consulem suffragijs populi designari curasset: precatus insuper ne vnquam magno Reipublicæ incommodo accideret, vt filij sui Consules ante annum vicesimum crearentur. Ceterùm, Tiberius tot prosperis confluentibus, integra ætate ac valetudine prospera, duobus Consulatibus, totidemque triumphis, Ouatione & curru honoratus, quum Caius prætextam D. Lælio Balbo, C. Antistio Vetere Coss. posuisset, & Lucius eò maturitatis procederet, statuit repentè secedere, seque è medio quàm longissimè amouere: dubium, vxoris ne tædio, quam neque ob comperta adulteria criminari aut dimittere audebat, neque ob fastum, arrogātiamq; vlterius perferre poterat: an, B vt vitato assiduitatis fastidio auctoritatē absentia sua tueretur, eamque si quando sui indiguisset Respublica augeret. Quidam existimant adultis iam Augusti liberis loco & quasi possessione vsurpati à se secundi gradus sponte cessisse: ne aut obstare aut obtrectare aliquid præsens videretur, quam causam & ipse sed postea detexit. Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum prætendens, cōmeatum ab Augusto petijt: idque animo ita obfirmato, vt neque matri Liuiæ suppliciter precanti, neque vitrico deseri se etiam in Senatu conquerenti, quidquam concesserit: quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ C vxore Iulia, & Druso ex Agrippina filio, confestim Ostiam descendit; ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, paucósque admodum in digressu osculatus. Ab Ostia oram Campaniæ legens, imbecillitate Augusti nunciata, paullulùm substitit: sed increbrescente rumore, quasi ad occasionem maioris spei commoraretur, quamuis aduersis tempestatibus Rhodum enauigauit; amœnitate & salubritate Insulæ iam inde captus, quum ad eam ab Armenia rediens appulisset. hîc modicis contentus ædibus, nec multò laxiore suburbano, genus vitæ ciuile admodùm instituit, sine lictore, aut viatore in gymnasio interdum obambulans; mutuaque cum Græculis officia prope ex æquo vsurpans. D Interea Augustus quum Istriam quoque Italiæ adiecisset, eam in vndecim regiones, fluminibus, montibus, populisq; distinxit. Quumque crescente indies potentia ac Imperij magnitudine, odia simul & inuidiam augeri intelligeret, cohortes Prætorias nouem in sui custodiam allegit; ita tamen vt nunquam plures quàm tres simul in vrbe esse passus sit; easque sine castris per hospitia dispersas; reliquas in hiberna & æstiua circa finitima oppida dimittere assueuerat.

D. LAELIVS BALBVS. C. ANTISTIVS VETVS COSS.

TIBERIVS RHODVM SECEDIT.

ITALIA IN REGIONES DIVISA.

Quò verò plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit; sicuti Curationem operum publicorū, viarum, & aqua-

A aquarum, aluei Tiberis, frumenti quoque populo diuidundi, Triumuiratum legendi Senatus, & alterum recognoscendi turmas Equitum quoties opus esset. Sub id tempus, quodam in iudicio cùm Aimilio Æliano Cordubensi inter cetera crimina vel maximè obijceretur, quòd malè de Augusto opinari soleret; conuersus ad accusatorem commotoque similis; Velim, inquit, hoc mihi probes; faxo vt sciat Ælianus & me quoque linguam habere, plura enim de eo loquar. Nec quidquam vltra aut statim, aut postea inquisiuit: magno certè ciuilitatis & clementiæ documento; maiore etiam quòd Cassium Patauinum hominem plebeium, qui in pleno conuiuio proclamasset; neque B votum, neque animum sibi deesse Augustum confodiendi; leui tantùm exsilio punire satis habuerit. Petitus est etiam Telephi serui nomenclatoris insidiis: qui quasi debita sibi fato dominatione, & ipsum Augustum & Senatum aggredi decreuerat. Dum hæc in Vrbe aguntur, Herodes de captiuitate Parthica reuersus (Barzapharnes enim occupata Suria ipsum captiuum abduxerat) Hyrcanum, qui prius summus Iudæorum Pontifex fuerat, propter insidiarum suspicionem interemit. Aristobulum verò vxoris suæ fratrem, quem deiecto Ananelo Pontificem creauerat, decimum octauum agentem annum per insidias submergendum curauit. Augustus postquam duodeci-C mum Consulatum per septemdecim à proximo Consulatu annos sæpius oblatum recusasset, hoc demùm anno etiam vltrò eundem petijt; vt scilicet amplissimo præditus Magistratu, Caium filium tyrocinio suo in forum deduceret; positaque ibi ex more prætexta, Principem Iuuentutis crearet. Collega Augusto datus L. Cornelius Sulla. Caius autem sumta iam virili toga, clypeis, hastisque puris aureis ab Equestri ordine donatus, ac Princeps Iuuentutis appellatus est. Eundem Augustus mox Consulem designatum circum Prouincias & exercitus cum Imperio Proconsulari misit: adhibitisque qui ætatem ipsius haud dum satis maturam regerent, M. Lollio & P. Sulpi-D tio Quirino, in Asiam proficisci iubet. Hanc Phraates commouerat: occupataque Armenia insolentius se contra Augusti voluntatem gerebat. Quem quum Augustus in literis Phraatem tantùm, non adiecto Regis Regum titulo, (quo Parthi se efferebant) salutasset; ille vicissim par referre volens, Augustum Cæsaris tantùm nomine, nulla cum dignitatis præfatione resalutauit.

AVGVST. XII L. CORNEL. SVLLA COSS.

C. CAESAR PRINCEPS IVVENTVT. COS. DESIG.

Caius dum in Suriam proficiscitur, Tiberium vitricum suum Rhodi conuenit; eique tanquam superiori omnem honorem detulit. Suetonius tamen auctor est, Tiberium, quum ad priuignum suum Caium Orienti præpositum visendi gratia in Samum traiecisset,

C. CAESARIS IN ASIAM PROFECTIO.

 cum

eum à se animo alienatiore sensisse: idque ex criminationibus potissimùm M. Lollij comitis & rectoris ipsius, quem vt auctorem prauitatis & discordiarum C. Cæsari erga se ipse Tiberius sæpius incusauit: sicuti è diuerso Sulpicium Quirinum, laudatis in se eiusdem officiis, quodque se Rhodi agentem semper coluisset, magna in commendatione habuit. Ceterùm, Caius tam variè & inconstanter se in Asia gessit, vt nec laudaturum, nec vituperaturum mediocris materia defectura sit. Ex Suria in Arabicam expeditionem profecturus, Dionysium qui de situ Orbis terrarum scripsit, vt singula per ocium plenius exactiusque inspiceret, cognitaque in commentarios redigeret, A

CAESARIS ARABIAM EXPEDITIO.

præmisit: ipse Arabiam eminus tantùm prospexit, & inde gloriam petijt. In Arabico sinu res gerenti signa nauium ex Hispaniensibus naufragiis agnita feruntur. Ita vt hinc vel ex eo tempore ex Hispania in Orientem nauigationes patuisse constet. Cui rei & hoc argumento est, quòd Hanno florente opibus Carthagine, à Gadibus ad Arabicum sinum Africam circumuectus proditur. Contrà Cornelius Nepos auctor est, sua ætate Eudoxum quendam, quum Ptolomæum Latyrum Ægypti Regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades esse peruectum. Cælius etiam Antipater scriptum reliquit, vidisse se eum qui ex Hispania in Æthiopiam commercij gratia nauigasset. Quorum testimoniis euinci posset, ex Oriente in Occidentem, & conuersim ex Occidente in Orientem, per Oceanum Australem notas fuisse veteribus nauigationes; vti multò antè etiam per Septemtrionalem patuisse, eiusdem Nepotis auctoritate confirmatur. Tradit enim Q. Metello Celeri Galliarum Proconsuli, qui cum L. Afranio Anno ab Vrbe Condita sexcentesimo nonagesimo tertio Consulatum gessit, Indos à Rege Sueuorum dono missos; qui ex India commercij gratia nauigantes, tempestatibus in Germaniam abrepti essent. De hac Arabica expeditione Iuba Rex Mauritaniæ volumina ad Caium Cæsarem scripsit. Augustus interea Romæ exstructis in campo Martio sedilibus ligneis, Athletas exhibuit: item nauale prælium cauato circa Tiberim solo, in quo nunc Cæsarum nemus est. Quibus diebus custodes in Vrbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset. Mox aquam in Circum Flaminium induxit: in ea triginta sex Crocodilos concisos, in actis Augusti relatum est.

C. CALVISIVS SABINVS L. PASSIENVS RVFVS COSS.

Anno insequenti, C. Caluisio Sabino, L. Pasieno Rufo Coss. Augustus Forum, quod exstruxerat, publicauit. Exstruendi causa fuit, hominum frequentia, & iudiciorum multitudo; quæ non sufficientibus duobus foris, tertio indigere videbatur. Festinantius itáque necdum perfecta Martis Vltoris æde publicatum est; cautúmque

vt se-

A vt separatim in eo publica iudicia, & sortitiones iudicum fierent. Idem tamen Forum arctiore spacio inclusit; non ausus vicinos possessiones deijcere, aut proximas à possessorib. domos extorquere. Caius interea in Suriam ingressus, quòd Iudæam prætervectus apud Hierosolymam non supplicasset, velut peregrinarum religionum contemptor, ab Augusto laudatus est. Tiberius autem dum Rhodi agens circa scholas & auditoria professorum assiduus esset, moto inter antisophistas grauiore iurgio, non defuit qui eum interuenientem, vt alterius partis studiosiorem conuicio incesseret. Sensim itaque domum regressus, repentè cum apparitoribus prodijt; citatumque pro tribunali

B voce præconis conuiciatorem, in carcerem rapi iussit. Hoc vnum annotatum est, nec aliud quicquam, in quo ius Tribuniciæ potestatis toto eo Rhodij secessus tempore exercuisse visus est. Phraates verò simul atque Caium in Suriam venisse intellexit, haud perinde ob metum ex Augusto, quàm fidei popularium, quos crudelitate nimia exacerbauerat diffisus, Saraspadem filium natu maximũ, qui amicitiam fœdusque cum Caio, reddita quam occupauerat Armenia cõiungeret, præmisit. Caius adolescentem humaniter exceptum, æquato vtriusque partis numero, in Insulam quam Euphrates ambiebat ad colloquium inuitat: citeriorem ripam Romanus, vlteriorẽ Parthicus tenebat exercitus, vbi

C de conditionibus peractum est: prior Parthus, vt fiduciam ostenderet, in citeriore ripa apud Caium; posterior hic apud regium iuuenem in hostili exulatus est. Ibi postquam, vti fieri solet, animi à curis laxati in hilaritatem & libertatem effunduntur, Parthus M. Lollij perfida & plena subdoli versutique animi consilia, Caio detexit; ea Caius præ iracundia, cuius impotens erat, omnia euulgauit; Lollioque sua amicitia interdixit; cuius mors post sexennium sequuta, fortuitàne an voluntaria fuerit incertum. Plinius veneni haustu mortem præoccupasse scribit. Saraspades autem Phraatis filius qui ad amicitiã ac fœdus cum Caio confirmandum à patre missus fuerat, cuncta venerantium offi- PAX CVM PARTHIS.

D cia Augusto delaturus, Armenia cedens, fratres tres legitimos, Phraaten, Cerospadem, & Vononem, duasque ipsorum coniuges vnà cum liberis Arsacidæ gentis omnes, Caio obsides dedit. Auctores tradunt omnes regios & legitimæ stirpis ex versuto Thermusæ consilio obsides Romam missos. Operæprecium me facturum, ob ea quæ sequuntur, arbitror, si paucis plena doli ac perfidiæ Thermusæ consilia complexus fuero. Hæc Italici generis ancilla, inter cetera dona quibus Phraaten Augustus sibi superioribus annis demerendum putauerat, missa fuerat. Eandem Phraates tum ob formæ vetustatem, tum illecebris muliebribus & obsequio captus, primùm tantùm pro concubina,

postquam autem ex eadem illegitimũ filium Phraatacen procreasset, A etiam legitimæ vxoris loco habuit. Hæc vt filio suo regni successioné deiectis legitimis præoccuparet, regis liberos Augusto obsides esse mittendos persuaserat: & habuit fraus paucis inde annis successum: nam Phraataces inita cum incestuosa matre in patris sui cædem conspiratione, interemtoque patre regno potitur. Ceterùm postea à proceribus ob scelus regno deiectus, vt suo tempore memorabo, trucidatusq; est.

L. CORNELIVS LENTVLVS, M. VALERIVS MESSALLA COTTA COSS.

Sequuntur Coss. L. Cornelius Lentulus Flamen Martialis, & M. Valerius Cotta, qui Tiberio vltimus Tribuniciæ potestatis in quinquennium acceptæ annus erat. Transacto itáq; iam quinquennio, confessus tandem per literas Tiberius, nihil aliud secessu se deuitasse, quàm B æmulationis cum Caio & Lucio suspicionem; petijt, vt sibi securo deinceps ab hac parte, coroboratis iam Caio & Lucio, ac secundum locum facilè tutantibus, necessitudines suas reuisere permitteretur, quarum desiderio teneretur. Sed non impetrato, vltrò etiam ab Augusto admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupidè reliquisset.

C. CAESARIS EXPEDITIO IN ARMENIAM.

Caius interea temporis Armeniam ingressus, prima introitus sui principia prospera habuit: mox in colloquio (cui se temerè crediderat) circa Artageram oppidum grauiter ab Addone præfecto circum tempora vulneratus est. Verùm Addo expugnato oppido à militibus discerptus, & Armenia per vim recepta.

ARMENIA CAPTA.

Caius ex eo tempore vti C corpus minus habile, ita & animum haud æquè vtilem Reipublicæ habere cœpit: postulauitque ab Augusto vt sibi priuato vitam agere liceret: nec defuit consuetudo & conuersatio improborũ vitia eius assentatione alentium (etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio) per quæ eò ductus erat, vt in vltimo Orbis angulo consenescere, quàm Romam regredi mallet.

SER. SVLPICIVS GALBA NASCITVR.

His Coss. Ser. Sulpicius Galba natus scribitur, qui post annos septuaginta & vnum Imperator Neroni successit. Constat Augustum Galbæ puero adhuc salutanti se inter æquales apprehensa Buccula Græcè in hanc sententiam dixisse: Et tu fili aliquando Imperium degustabis: nec malè auguratus est, imperauit D enim tantùm mensibus septem, totidemque diebus.

L. CAESAR PRINCEPS IVVENTVTIS COS. DESIGN.

Hoc anno Augustus vti antea duodecimum, ita & nunc tertium decimum Consulatum vltro petijt: quò & Lucium filium, vti prius Caium, maximo præditus Magistratu ad populum produceret, & virilem ei togam daret, qui sumpta virili toga, clypeisque & hastis puris ab Equestri ordine donatus, Princeps quoq; iuuentutis, vti prius Caius frater ipsius, appellatus, ac Consul designatus est.

AVGVSTVS XIII. M. PLAVTIVS SILVANVS COSS.

Augusto M. Plautius Siluanus collega datus est. Lucium Augustus ad Hispanienses exercitus cum Imperio Proconsulari misit, qui valetudinis incommodo detentus toto hoc

ferè

A ferè anno in Gallia Massiliæ substitit. Tiberius interim qui Rhodi hactenus contra voluntatem remanserat, vix tandem per matrem consecutus est, vt ad velandam ignominiam quasi legatus ab Augusto abesset. Enimuerò tunc non priuatam modò, sed obnoxiam etiam & trepidam vitam agebat, mediterraneis Insulæ agris abditus; vitansq; prænauigantium officia, quibus assiduè frequentabatur: nemine cum imperio aut Magistratu tendente quopiam, quin Rhodum officium suum Tiberio probaturus, diuerteret. Venit etiam in suspicionem, per quosdam beneficij sui Centuriones à cômeatu castra repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua, & quę singulorum animos ad res
B nouas tentare viderētur. De qua suspicione certior ab Augusto factus, non cessauit efflagitare aliquem cuiuslibet ordinis dictis ac factis suis custodem. Solitas quoque equorum & armorũ exercitationes omisit: depositoque patrio habitu ad Græculorum pallium & crepidas se demisit; atque in eo statu biennio ferè permansit, contemtior indies, ac magis inuisus: adeò vt imagines eius & statuas Nemausenses subuerterint: ortaque in familiari quodam côuiuio, cui Caius intererat, mentione ipsius, non defuit qui Caio polliceretur, confestim se si iuberet, Rhodum nauigaturum, caputque exsulis (sic enim contumeliæ causa Tiberium nominabat) relaturũ. Per id temporis Augustus ædem
C quam Marti vltori bello Philippensi pro vltione paterna suscepto vouerat, dedicauit: sanxitque vt de bellis triumphisq; in eadem æde Senatus consuleretur: prouincias cum Imperio petituri, huc insignia triumphorum inferrent. Eius ædis dedicatione magnificentissimos ludos faciebat, naumachiamq; atque alia varia edebat spectacula: quum statim à dedicato templo, ea parte anni qua C. Caninius Gallus Plautio suffectus Consul erat, fœda dictu, memoriáque horrenda in ipsius Augusti domo tempestas erupit. Quippe filia eius Iulia per omnia tanti parentis ac viri immemor, magnitudinemque fortunę suæ peccandi licentia metiens, nihil quod facere ac pati turpiter fœmina posset lu- IVLIA AVG. F. IN EXSILIVM PELLITVR.
D xuria aut libidine, infectum reliquit: quidquid liberet pro licito habens. Augustus de filia absens ac libello per Quæstorem in Senatu recitato ad Patres referri iussit: cumque diu præ pudore hominum congressu abstinuisset, tandem etiam de necanda deliberasse traditur: aliquantò enim patientius mortem suorum quàm dedecora tulit. Certè cùm sub idem tempus Phæbe vna ex conscijs liberta, suspendio vitam finijsset; maluisse se, ait, Phæbes, quàm Iuliæ patrem fuisse. Relegatæ itaque in Insulam Pandatariam filiæ vsum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit: neque à quoquam libero seruóve, nisi se consulto, adiri permisit: ita vt certior fieret, qua ætate, qua statura, quo colore

T iij esset,

esset, quibus etiam cicatricibus. Tiberius postquam comperit Iuliam vxorem ob libidines atque adulteria damnatam, repudiumque suo nomine ex auctoritate Augusti remissum, quanquam lætus nuncio, sui tamen officij duxit, quantum in se esset patrem filiæ frequentibus literis exorare; & vel vtcunque meritæ quidquid vnquam dono dedisset, concedere. Adulteros Augustus aut fuga, aut morte multauit: nam culpam vulgati corporis inter filiam & adulteros, graui nomine læsarum religionum ac violatæ maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Tum Iulius Antonius Triumviri filius, nobile exemplum clementiæ Augusti, quem victo patre non tantùm incolumitate donauerat, sed & Sacerdotio, Prætura, Consulatu, Prouinciis honoratum, etiam matrimonio Marcellæ sororis suæ filiæ in arctissimam affinitatem receperat; is idem violator domus Augusti, sceleris à se commissi ipse vltor fuit. Eiusdem filium, L. Antonium sororis suæ nepotem adolescentulum etiamnum, Augustus in ciuitatem Massiliensium amouit: vbi specie studiorum nomen exsilij tegeretur. Ti. Sempronius Graccus, familia quidem nobili & ingenio solers, sed prauè facundus, eandem Iuliam in matrimonio Agrippæ adulterio temerauerat: nec is libidini finis, traditam Tiberio peruicax adulter etiam contumacia & odijs in maritum accendebat: literæque quas Iulia patri Augusto cum insectatione Tiberij scripserat, à Gracco compositæ credebatur. Is in Cercinnam Africi maris insulam relegatus, quatuordecim annis exsilium tulit: donec sub initium principatus Tiberij mandato eiusdem trucidatus est. T. Quinctius Crispinus Consularis, qui singularem nequitiam tristi supercilio semper celauerat, iridemque Ap Claudius, & P. Scipio, alijque minoris nominis vtriusque ordinis viri, pœnas alij aliter pependêre. Iulia ipsa relegata in Insulam, vt diximus, Pandatariam, atque ita patriæ parentúmque oculis subducta: quam tamen mater Scribonia voluntario exsilio comitata est. Paullò pòst & altera Iulia Augusti neptis, quam L. Paulo Censoris filio collocarat, quum Æmiliam Lepidam peperisset, adulterij quoque cum D. Iunio Silano conuincitur. Hanc Augustus in Tremerum maris Hadriatici insulam deportari iussit; editumque ex eadem post damnationem infantem agnosci, alique vetuit: in Silanum nihil vlterius sæuitum, quàm vt amicitia Augusti prohiberetur. Hinc exsilium sibi demonstrari intellexit: nec nisi Tiberio demùm imperante Senatum ac Principem deprecari ausus fuit. Augustus ad omnẽ Iuliarum, filiæ scilicet & neptis mentionem ingemiscens, proclamare solebat Homericum versum, quo ille apud Poëtam exoptat, vt in cœlibatu vitam, aut in sterilitate sine liberis peregisset: nec aliter eas, quàm vomi-

A vomicas ſuas, aut carcinomata appellabat. Eo libello quem in Senatu à Quæſtore recitatum ſcripſimus, continebatur, admiſſos gregatim adulteros; pererratam nocturnis commeſſationibus Vrbem: forum ipſum ac Roſtra, ex quibus pater legem de adulterijs tulerat, filiæ in ſtupra patuiſſe; quotidianum ad Marſiam concurſum, quum ex adultera in quæſtuariam verſa ius omne licentiæ ſub ignoto adultero peteret. Auguſtus tamen poſtquam interpoſito tempore deferueſcens, paulatim ab impotenti ira ad verecundiam rediÿſſet, gemens quòd non illa ſuppreſſiſſet, ſæpius exclamauit; horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut Agrippa, aut Mæcenas vixiſſent: animique mœrore & angore per qua-
B triduum ſe affligens, ægrè tandem ſolatijs Liuiæ atque amicorum recreatus eſt: cui vt fortuna in Republica ſatis proſpera, ita domi improſpera fuit. Sed nullum decus vnquam maius eiuſdem imperio accedere potuit, quàm quòd in hoc eius Conſulatu XIII. natus eſt DN. IESVS CHRISTVS VNICA AC VERA SALVS GENERIS HVMANI, SERVATOR ORBIS TERRARVM, omnibus omnium gentium Heroibus Deiſqne maieſtate ſua ſuperilluſtri, ac virtute præpotenti caliginem inducturus. Sub hæc enim tempora, pacata Armenia, Sulpicius Quirinus Suriæ rector cum Proconſulari poteſtate ab Auguſto conſtitutus, cenſum Iudææ agebat; quum IESVS CHRI-
C STVS, ex DEO PATRE DEVS, ex Virgine MARIA, cooperante SPIRITV SANCTO, verus homo, in Bethleem Iudææ, A. D. VIII. Kal. Ianuar. ortus eſt; Anno poſt Actiacam victoriam triceſimo; cuius initium (vt præmonuimus) ex A. D. IIII. Nonas Septembris numeramus. A primo Auguſti Conſulatu annus primus vltra quadrageſimum, & menſis ferè quattus explebatur, anno ab V.C. DCCLI. conuerſo. Oracula omnia ante hoc tempus deſiiſſe, Pythium, quod Delphis petebatur; Dodonæum, Ammonium, & reliqua, Cicero ipſe atque alij obſeruarunt. Cuius rei cùm nullam ſatis idoneam expedire cauſam poſſent, alij alias coniecturas commentabantur. Erant qui eſſe
D anhelitus quoſdam terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent, eamque terræ vim, quæ Pythiæ mentem ad diuinationem concitabat, euanuiſſe opinarentur. Ceterùm, quum Auguſtus facto ſemel atque iterum ex Hecatombe ſacrificio omnium maximo, Apollinem Delphicum conſuleret, ecquis ipſi in Romano imperio ſucceſſurus eſſet? parua interpoſita mora, verſibus Græcis cur oracula euanuiſſent, in hanc ſententiam de CHRISTI recenter nati Numine, eiusque potentia reſpondiſſe traditur:

CHRISTVS SERVATOR GENERIS HVMANI NASCITVR.

ORACVLVM DE CHRISTO

Παῖς ἑβραῖος κέλεταί με, θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν τι, καὶ αὖθις ἅδος ἵκεσθαι.

Λοιπὸν

A In Africa per id tempus tumultuatum magis quàm bellatum est: missusque contra Gætulos & Musulamios Sirtium accolas L.Passienus Consularis, re bene gesta triumphi quoque ornamenta accepit. Sequuti Coss. C.Iulius Cæsar Vipsanianus Augusti filius & L.Aemilius Paulus, non quidem Censoris Pauli, vt quidam opinantur, filius, sed Lucij eius qui C. Marcello collega fuit. Consulatum Caius absens in Oriente iniit. Sub id tempus Lucius Augusti filius, quum annum ageret decimum sextum, Massiliæ morbo consumtus est. Tiberius autem hoc tandem anno reditum impetrauit, casu etiam hac in parte haud parum adiutus. Constituerat

C.CAESAR L.AEMILIVS PAVLVS COSS.

L.CAESAR MORITVR.

B Augustus nihil super ea re nisi ex filij maioris voluntate statuere. Is cum fortè M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in Tiberium vitricum fuit. Permittente ergo Caio reuocatus est: ceterùm in proximum demùm annum, & sub conditione, ne quam partem curámve Reipublicæ attingeret. Auctores habeo, qui in hunc annum referant L. Pauli, qui Censoris filius Augusto progener ex Iulia Agrippina erat, coniurationem in Augustum, priusquàm inualesceret, indicio detectam oppressamque fuisse. * Produnt nonnulli, quia Augustus ingenia sæculi sui omnia fouebat, T. Liuium Patauinum scriptorem eloquentia ac fide clarissimũ, quia Cn.Pompeium magnis

C ac veris laudibus prædicauerat, Pompeianum ab eo appellatum; nec hoc ipsorum amicitiæ fraudi fuisse constat. P.quoque Virgilium Maronem, & Q. Horatium Flaccum, Poëtas nobilissimos in honore habuit. Virgilium ita arctè complexus est, vt quum de reddenda Republica cogitaret, non dedignaretur & ipsum super ea re consulere. Certè carmina eius contra testamenti ipsius verecundiam cremari vetuit: maiusque hinc Vati testimonium contigit, quàm si ipse sua carmina probasset. Componi autem de se aliquid nisi seriò & à probatissimis Augustus vetuit; Alexandri Magni exemplum in hoc sequutus. Idem recitantes benignè & patienter audiebat; nec tan-

D tùm carmina, sed & Orationes & Dialogos. Quare P. Ouidium Nasonem, grauissimum aliquod ob delictum Tomos in exsilium fuisse relegatum verisimile est: cui nec Fabius Maximus, nec ipse Germanicus Cæsar reditum in patriam impetrare potuère: quum satis constet vel Timagenis historiarum scriptoris documento, Augustum iræ minimè impotentis fuisse: is enim dicteria quædam ac scommata, tam in ipsum Augustum, quàm in eius vxorem domesticosque iecerat, contumeliosa quidem, sed arguta; ita vt vrbani illi Timagenis sales temerè effusi, etiam cum voluptate & iocis euulgabantur.

V Hunc

Hunc Cæsar contentus monuisse, vt temperantius deinceps contumaci lingua vteretur, domo sua tantùm interdixit, atque amicitiam renunciauit: eundemque deinceps in contubernio Asinij Pollionis consenescere passus est. Eiusdem lenitatis est, quòd quum ius diceret, & de falso testamento ageretur, omnesque signatores lege Cornelia tenerentur; non tantùm duas tabulas Condemnationis scilicet & Absolutionis simul cognoscentib. distribuit; sed & tertiam adiecit, qua ignosceretur iis quos fraude vel errore ad signandum inductos constitisset. Similiter & manifesti parricidij reum, ne culeo insueretur (quòd nisi confessi hac pœna afficerentur) vt inficiandi occasionem præberet, ita fertur interrogasse: Certè patrem tuum non occidisti? L.quoque Tarius, qui etsi infima natalium obscuritate, tamen egregia bello Siculo opera meritus erat, vt Consul postea ab Augusto designaretur, & L. Domitio ex Kal. Iulijs sufficeretur: is quum de filij parricidio cogniturus domi suæ esset, Augustum quoque in concilium vocauit. Augustus censuit relegandum esse quò patri videretur, atque ita à patria & parentis oculis submouendum: ceterùm, quum pater insuper exhæredandum diceret, Augustumque sibi ex asse hæredem (sestertiûm enim millies sibi parcimonia sua Tarius congesserat) scribere vellet; iurauit Augustus, se eam hæreditatem non aditurum; impetrauitque vt Tarij filius Massilia exsularet, patrimonijque parte viuo patre frueretur. Quidam tradunt Augustum hoc anno legem de maritandis ordinibus, & augenda prole tulisse: quoq; magis persuaderet eam rem non à se primùm animaduersam, sed antiquis etiam curæ fuisse, Orationes Q. Metelli Numidici, quas de vxoribus ducendis in Censura dixisset, per edictum populo commendauit, & in Senatu recitari iussit. Sequuti Coss. P. Vinicius, & P. Alfinius Varus. Vinicium callibus Campaniæ oppido oriundum inuenio patre Marco, Consulari quidem, ceterùm Equestri tantùm familia. Augusto admodùm familiariter vsum constat: eundemque in causis agendis ingenio fuisse præsentissimo traditur: vsqueadeò vt quidquid alijs longa præmeditatio suggerere potuisset, illud ipsi vel prima animi intentio daret. Hinc illud Augusti de eodem celebratur: Vinicium ingenium suum in numerato habere. His Coss. rediit octauo post secessum anno Tiberius: & iam magnam nec incertam futurorũ spem tam ostentis, quàm prædictionib. præceperat. Ante paucos enim quàm reuerteretur dies, aquila nunquã antea Rhodi conspecta in culmine domus eius assedit: & pridie quàm de reditu certior fieret, vestimenta mutanti tunica ardere visa est. Thrasyllũ quoq; Mathematicũ, quẽ vt sapientię professorem contubernio suo exceperat, tunc maximè exper-

[Marginal letters: A, B, C, D]

[Marginal notes: P. VINICIVS P. ALFINIVS VARVS COSS. — TIBERIVS E RHODO REDIT.]

A expertus est, affirmantem naue procul visa gaudium afferri: quum quidem durius illum tractare,& rebus contra prædicta cadentibus, vt falsum & secretorum temerè conscium,eo ipso momẽto dum vnà spatiatur in mare præcipitem agere destinasset. Romã reuersus Tiberius deducto in forũ Druso filio, statim è Carinis domo Pompeij Esquilias in hortos Mæcenatis transmigrauit: totumq; se ad quietem conferens,priuata solummodò officia obibat, publicorũ munerũ expers.

Hoc anno Augustus præfecturã morum quinctùm sine Censuræ honore in decennium accepit. Caius sub hæc Augusti filius diu reluctatus, inuitusque tandem animum ad reditum in Italiam adiecit; B ceterùm vt vulnere adhuc inualidum,ita graui morbo correptum,Limyræ (quæ vrbs est Lyciæ) fato exstinctũ, aut certè Liuiæ dolo multi interceptũ opinantur.Sunt qui tradant Lucium & Caiũ intra bienniũ, imò duodevicesimo vtrumque mense defunctum. Lucium è morbo mortuum constanter ab antiquitate proditum est: sed in Caio hærent. quòd eum lento veneno à Liuia petitum scribant, vt morbo fortuito exstinctus crederetur.Prægrauat eius rei famam,quòd Caio exstincto, omnia in Tiberium priuignum imminere viderentur, vacua iam Augusti domo. Agrippa namque posthumus M.Agrippæ filius,ob ingenij ruditatẽ,morumq; asperitatẽ, quodq;robore corporis ferox nihil C mitioris animi præ se ferret, etiamsi nullo aliâs flagitio teneretur,Augusto minus carus erat: ita vt Caio exstincto, in vnum Tiberium spes Imperij,successionisq; ius proclinare videretur.Eum annis maturum, triumphis & belli artibus clarũ ferebant: quem Augustus aliquot epistolis vt rei militaris peritissimũ,vtque vnicum Populi Romani præsidium cõmendasset. Exagitabatur tamen vulgi rumoribus Tiberij morositas, sæuaque & lenta natura. Deprecante autem Populo Romano Augustum,vt & Iuliam ab exsilio reuocaret, nullo modo exorari potuit: deinde pertinacius instanti,tales filias talesque coniuges pro concione imprecatus est. Anno insequenti,quo L. Ælius Lamia, D M. Seruilius Geminus Consules fuêre, corpora Caij & Lucij Cæsarũ Romam à Tribunis militum, ac singularum Coloniarum Municipiorumque Decurionibus perlata sunt: clypeique atque hastæ puræ aureæ,quibus quum togam virilem sumerent,ab Equestri ordine donati fuerant,in Curia posita sunt. Augustus pædagogum ac ministros Caij per valetudinis mortisq; eius occasionem auarè superbeq; grassatos,oneratis graui cathenarum pondere ceruicibus in flumen præcipitari iussit. Ceterùm,vt Imperium armis partum,armis tueretur, è copijs militaribus legiones & auxilia prouinciatim distribuit: imperíque limites statuit versus Barbaras nationes aut flumina aut montes:

C. CAESAR MORITVR.

L. AELIVS LAMIA M. SERVILI-VS GEMINVS COSS.

eaq́ue validissimis legionariorum præsidijs communiuit, vti hostium A
incursiones prohiberet. Rhenum & Danubium fluuios & prærupto-
rum montium anfractus à Septemtrione, ab Oriente Euphratem, ab
LEGIONES XXV. PROVINCIATIM DISTRIBVTAE. Occidente Meridieq́ue Africam Arabiamq́ue solitudinibus inaccessas
præsidijs firmauit: idq́ue, præter auxilia & cohortes alasq́ue equitum
innumeras, viginti quinque legionibus tali ordine serieq́ue distributis;
vt in Germania superiore quatuor ad Rhenum, in inferiore totidem,
commune in Germanos Gallosq́ue præsidium. Hispania tribus legio-
nibus habebatur; Mauretaniam Iuba rex donum Populi Romani ac-
ceperat: cetera Africæ duæ legiones; totidem Ægyptum tutabantur.
Mox à Suria quidquid vsque ad Euphratem amplissimo terrarum B
tractu flexuq́ue comprehensum erat, quatuor legionibus regebatur.
Iberiæ Albaniæq́ue Reges ceteriq́ue magnitudine Populi Romani cō-
tra vim externam protegebantur. Thraciam Rhæmetalces eiusq́ue fra-
tris Cotys liberi, ripam Danubij legiones duæ in Pannonia, duæ aliæ
in Mæsia defendebant. Erant & in Dalmatia duæ, quę situ regionis illis
à tergo erant; & si quod repentinum auxilium Italia posceret, ex haud
longinquo spacio accersebantur. Ceterùm nouem cohortes in sui cu-
stodiam, Tres autem vrbanas ad Vrbis tutelam ex Etruria fermè atque
Vmbria aut Latio vetere antiquisq́ue Colonijs adlegit Germanorum
etiam satellitium post dimissos Calaguritanos vsque ad Varianam cla- C
dem inter armigeros circa se habuit. Italiam duabus classibus muniuit
ab vtroque mari: quarum altera in Supero siue Hadriatico mari Ra-
CLASSES IN PERITRES. uennæ, altera in Tusco siue Infero, ad Misenum in statione erat. Galliæ
littus Rostratæ ex Actiaca Victoria captæ cum validissimo apparatu in
Oppido Foroiuliensi tutabautur. Verùm apud Prouincias maritimas
sociæ triremes, alæq́ue equitum sex, Cohortesq́ue ex auxiliaribus vi-
ginti duæ; neque multò minus in ijs virium quàm in alijs iam enume-
ratis ac mediterraneis prouincijs; sed ea sigillatim persequi, vti longum,
ita incertum foret: quia vti vsus postulabat, ita huc illuc mittebantur,
CENTESIMAE ET VICESIMAE VECTIGAL. numero nunc accrescebant, aliquando minuebantur. Vtque perpetuò D
sine difficultate sumtus tot tantisq́ue exercitibus alendis suppeterent,
ærarium militare ex centesima rerum venalium, & vicesima hæredita-
tum Augustus constituit; ærario tres Prætorios præfecit.

SEX. AELIVS CATVS, C. SENTIVS SATVRNINVS COSS. Sequuntur Coss. Sex. Ælius Catus, C. Sentius Saturninus, quum Au-
gustus postquam censum fine Censuræ honore vicatim egisset, Tribu-
niciam potestatem Tiberio à patribus iterùm impetrauit. Qua in re
quanquàm oratione laudis plena, quædam tamen de moribus, cultu,
habitu, instutisq́ue Tiberij adiecerat, quæ veluti excusando exprobra-
bat: vt verisimile videatur, eum vxoris precibus victum adoptionem
non

A non abnuisse; vel forsan ambitione tractum, vt comparato sibi tali successore, ipse quandoque desiderabilior fieret. Sunt qui illam vulgi quæ tunc iactabatur suspicionem rationibus infirment. Argumēto esse Augustum circumspectum & prudentissimum Principem in tanto præsertim negocio nihil temerè fecisse: sed vitijs virtutibusque Tiberij perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cùm & Reipublicæ causa adoptare se eum pro concione iurasset: & epistolis aliquot, vt peritissimum rei militaris atque vnicum Reipublicæ præsidium honorasset. Adoptatus est ab Augusto Tiberius lege curiata in foro V. Kal. Iul. vnà cum Agrippa Posthumo: coactus prius ipse Germanicū Drusi fratris sui filium adoptare. Nec quidquam postea pro patrefamilias (quia iam in patris Augusti potestatem transierat) egit: vti nec ius quod adoptione amiserat, vlla ex parte retinuit. Neque enim donauit vel manumisit; imò ne hæreditatem quidem aut legata percepit vlla, aliter quàm vt peculio referret accepta. Ceterùm Augustus quia Cor. Cinnam aliosque præcipuæ nobilitatis, præsentia & tuta odisse, antiqua & periculosa malle, proinde in res nouas incumbere coniurationibusque frequenter Rempublicam inuadere obseruaret, confisus modestia Tiberij, Tribuniciam eidem potestatem in decennium iterum concessit: ne si quid sibi humanitus accideret (nam senio iam morboque affectus erat) successor in incerto foret: ratus sic prauas aliorum spes se cohibiturum. Multus hinc de Tiberio sermo: maturum quidem annis, bellique ac pacis artibus clarum (quinctum enim & quadragesimum egressus annum binos Consulatus, totidemque triumphos gesserat) sed natum ex antiqua patriciaque gente Claudia, quæ contra Plebeiorum iura, superbiam, vim, contumaciam semper exercuisset: multaque sæuitiæ indicia, etiam si clementiæ fauorem simulatione captaret, sese prodere: ne ijs quidem annis, quibus Rhodi sub nomine secessus exsulem egerit, aliud quàm simulationem, iram, secretasque libidines meditatum; ecquid moderati aut æqualitatis ab eo exspectandum, qui ijs maioribus ortus in domo regnatrice educatus esset. hæc atque alia his similia vulgò de Tiberio iactabantur.

TIBERIVS ET AGRIPPA POSTHVMVS AB AVGVSTO ADOPTATI.

GERMANICVS A TI. CAESARE ADOPTATVS.

TI. CAESAR TRIB. POTEST. ITER. IN DEC. ACCIPIT.

B

C

D

Hoc tandem anno Augustus victus Populi Ro. precibus, ipso quoque Tiberio deprecante, Iuliam filiam post quinquennium demùm ex Pandataria in continentem, nimirum in Bruttios Rhegiumque oppidum, lenioribúsque aliquanto conditionibus transtulit. Nam vt omnino eam reuocaret, nullo modo exorari potuit. Fuerat ea (vt retulimus) in matrimonio Tiberij, florentibusq; Caio & Lucio Cæsaribus, Tiberiū vt suo coniugio imparem spreuerat: ipsam vicissim Tiberius postea imperium adeptus, extorrem, infamem, deniq; post Agrippam

posthumum ipsius iussu interfectum, omnis spei subsidijque egenam, A
inopia ac tabe longa post decennium peremit, mortem eius ob exsilij longinquitatem ratus in obscuro futuram. * Hoc anno Augustus, quum censum vicatim sine collega egisset, Senatorium ordinē multa liberalitate prosequutus, censum Senatorium pro octingentorum millium summa, ad duodecies sestertiûm, hoc est, sescuplum ampliasse traditur, donóque expleuisse ijs qui merebantur, & non haberent. Neminem adhæc ab eodem in Equestrem ordinem receptum, cui quadraginta sestertiûm in censu non essent: simul & hunc ordinem ipsius liberalitate adiutum: eos autem, qui consumto patrimonio equestris dignitatis insignia confecissent, ordine mouisse; ita tamen vt vel æquissimo animo sibi ab iis contradici, qui falsò delati fuissent, pateretur. B
Nam quum Equitem quendam notasset, quòd equestris ordinis ornamenta confecisset, ille contrà auxisse se patrimonium ostendit: mox quum obiecisset, eundem culpa teneri, quòd vxorem non duxisset; idem & vxorem sibi & tres liberos esse probauit, magna cùm vocis libertate subijciens; Posthac, Auguste, quum de probis inquires, probis mandato. Ceterùm, M. Hortalus Q. Hortensij Oratoris nepos, quum attrito per bella ciuilia patrimonio, ob res domi tenues, ne sibi pudori, aut cuiquam oneri foret, à matrimonio abstinere decreuisset; Augustus non compellatus, sed vltrò ac sponte sua, vt nobilissimi iuuenis pudori consuleret, & ne gens Hortensia, tot Consulū, C
tot Dictatorum progenies, ob angustias rei familiaris exstingueretur, liberalitate decies sestertiûm inuitauit, vt vxorem duceret, liberosque educare vellet. Tiberius statim accepta Tribunicia potestate in Germaniam tunc bello ardentē missus est. In eam M. Vinicius locis aliquot rem benè gesserat, hostemq; haud infeliciter represserat: hinc Triumphalia ipsi ornamēta à Senatu decreta. Consules illius anni Sex. Ælius & L. Sentius legem tulêre, qua de modo & ratione manumissionum pluribus capitibus cauebatur: hæc ab auctorib. Ælia Sentia dicta est.

Insequens annus Consules habuit L. Valerium Messallam, & D
Cn. Cornelium Cinnam, Pompeij Magni ex filia nepotem. Hunc Augustus Pompeianorum partes sequutum, ac in hostium castris inuentum, primùm vita & sacerdotio donauit: postea etiam vitæ ipsius insidias struxisse per indicium prodito & cōuicto, ex consilio Liuiæ, contentus familiariter ac remotis arbitris non sine cōmemoratione prioris beneficij, summa tamen cum lenitate cum eo expostulasse, iterum ignouit, ac vitam concessit. Posthæc etiam amplissimum Consulatus honorē vltrò detulit; questus quòd petere non sustinuisset: eodémq; amicissimo ac fidelissimo deinceps vsus est, hærésque ipsi Cinnæ solus

CENSVS SENATORIVS AVCTVS.

LEX AELIA SENTIA.

L. VALERIVS MESSALLA VOLVSVS CN. CORNELIVS CINNA COSS.

A &ex asse fuit: neque vllis posthac insidijs à quoquam petitus est. Interea Cossus Cornelius contra Musulamios Sirtium accolas & Getulos fortiter rem gessit. hinc ornamentis triumphalib. donatus Getulici quoque cognomen assumsit. Obseruo & M. Durmium Garamanteis & Marmaridas in Africa circa hæc tempora ad imperium coëgisse.

Tiberius autem Cæsar Germaniam cum exercitu ingressus, consilio quàm viribus plura peregit. Canunefates Bataniæ populos, mox Cattos Brucherosque in potestatem redegit. Cheruscos, qui post mortem Drusi defecerant, recepit: superatoque Visurgi amne copias diuisit, ac partem belli asperrimam difficillimamque sibi sumsit. Sentium verò TI. CAESARIS EXPEDITIO IN GERMANIAM.
B Saturninum legatum Proconsularem ceteris rebus præfecit; æstiuis anni illius vsque in mensem Decembrem productis. Sicambros in ditionem acceptos, quum obsides dedissent, in Galliâ atque proximis Rheno agris collocauit: ac sub hiemis initium in Italiam, quia Delmatiam seditionibus inquietam ad res nouas sollicitari intellexerat, reuersus est: quum Consulatum anni insequentis M. Aimilius Lepidus & L. Arruntius inijssent. Sunt qui Tiberium ideo ad Vrbem frequentius remeasse opinentur, vt Augustum sibi magis demereretur; potestatemque quam per adoptionem assequutus esset, confirmaret; veritum scilicet ne Agrippa Posthumus, vel Germanicus Drusi fratris M. AIMILIVS LEPIDVS L. ARRVNTIVS COSS.
C sui filius sibi anteferrentur. Hunc annum tum ob Solis defectum Tiberisque inundationem, tum etiam propter famem passim in Italia & Vrbe grassantem, calamitosum fuisse obseruatum est. Augustus Agrippæ Posthumo togam virilem dedit; sed neque Principem iuuenrutis, vt ius in Equites Romanos haberet; neque Consulem designari petijt: quod antea Caio et Lucio fratribus ipsius tributum fuerat; adiecit solummodò eum quandoque in honore habendum, siquidem mereretur; sordidum ac minus liberale Agrippæ ingenium exosus.

Ceterùm, quia de Vestalibus in demortuarum locum capiendis, nobilitas ne filiæ ipsorum in sortem offerrentur, ambiebat; legem tulit,
D vt etiam ex libertinorum filiabus oblatæ capi Vestales in sortem possent. Posthæc Augustus quidquid vbique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorúmque formulam adstrinxit: definitis pro gradu atque ordine cuiusque militiæ temporibus, & missionum commodis; ne aut ætate, aut post missionem per inopiam ad res nouas sollicitari possent. Agros quidem emeritis, Prætorianis autem missionis legitimæ annum fore militiæ decimum sextum, præmium viginti millia sestertiûm constituit; & binos in stipendium diurnum denarios. Legionario verò siue gregario militi legitimam missionem esse vicesimo militiæ anno, & præmium duodena sestertium millia, diurnum

autem

autem stipendium decem assium. Intera plebs Vrbana fame stimulante, duce quodam P. Rufo ad res nouas sollicitabatur. Verùm Augustus vt incendiorũ, quæ per tumultum, qui in grauiore annona metuebatur, noctu aut interdiu oboriri possent, occasiones reprimeret, Libertino milite vsus est: quum ex iure alioqui Libertini nisi extra ordinem, & durissimis Reipublicæ temporibus non centuriarentur. Libertinos itaque per Vrbem in statione disposuit: vt singulæ cohortes per binas vrbis regiones excubias custodiasque agerent: ijsque vnum ex Equitum numero præfecit. Quumque eam annonæ difficultatem ex ægro anni prouentu difficilique remedio incidisse intelligeret, venalicias mancipiorum, & lanistarum familias, peregrinosque omnes, exceptis medicis & præceptoribus, partem quoque seruitiorum Vrbe expulit. Quum primùm autem annona remitti cœpit, in eam voluntatem sententiamque inclinabatur, vt frumentationes publicas in perpetuum aboleret: quod earum fiducia agrorum culturam neglectam fuisse pro comperto haberet. Hoc ferè tempore Quinctilius Varus illustri magis quàm nobili familia oriundus, qui Suriam non sine insigni auaritiæ nota rexerat (prouinciam enim locupletem ac prædiuitem ipse pauper ingressus, exspoliatam pauperemque diues reliquerat) in Italiam reuersus, cum Tiberio in Germaniam profectus est. Ibi receptæ à Tiberio Cauchorum gentes, omnisque eorum iuuentus numero infinita, quanquam alioqui locorum situ tutissima, traditis armis vnà cum ducibus suis, cincta vndique fulgenti armatóque militum Romanorum exercitu, ante Tiberij tribunal supplex procubuit. Paullò pòst fracti armis & Langobardi, gens eius regionis vti ferocissima, ita hactenus incognita: denique, quod nũquam antea tentatum fuerat, ad quadringentesimum à Rheno ad Albim flumen miliare perductus Romanorum exercitus. Albis per Sueuorum Hermundurorumque fines in Oceanum delabitur. Eòdem classis quæ oras sinusq; Oceani Germanici præternauigauerat, aduerso Albi subuecta, non sine magna plurimarum gentium victoria, maximaque omnium commeatuum copia, se Tibe. Cæsari coniunxit: qui victor omnium quas adierat gentium, cum incolumi inuiolatoque, & semel tantũmodò (magna tamen cum hostium clade, eorundemque fraude) tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit, & pari, qua priore anno, festinatione in Vrbem reuersus est. Hoc anno maximum vbique per Prouincias bellum commotum est. Isauria Ciliciæ pars prædationibus & latrocinijs olim infamis, nunc etiam commercia nauigationum ex Phaselide intercludebat: eam Cossus Lentulus, qui triumphalia inde ornamenta & Isaurici cognomen meruit, ad imperium redegit.

A redegit [illegible] Sequuti inde Coss. A. Licinius Nerua Silianus, Q. Cæcilius Metellus Creticus, quum per Sulpitium Quirinum Census in Suria & Iudæa secundùm actus est. Sardinia quoque per id tempus latrociniis & crebris piratarum insectationibus diuexata, annona inualuit. Quumque plurimæ in prouincijs Vrbes ad defectionem inclinarent, S.C. factum est, vt qui prouincijs præessent, imperium in ijs biennium retinerent, nec prius inde decederent quàm successor ipsis mitteretur. Parthorum sub hæc legati, ijs quæ in mandatis habebant Augusto Romæ expositis, Tiberium Cæsarem in Galliam profectum adire iussi sunt. Parte alia M. Valerius Messallinus, qui

A. LICINIVS NERVA Q. CAECILIVS CRETICVS COSS.

B Illurico præerat, per subitam Prouincialium rebellionem hostili circundatus exercitu, cum legione vicesima, eaque vix semiplena, viginti amplius hostium millia fudit, fugauitque: triumphalibus ob id ornamentis donatus. Ceterùm, quum nihil iam in Germania restaret quod vinci posset, præter Marcomannorum gentem, quæ duce Maroboduo sedibus suis excitata, continuis se Herciniæ siluis latebrisque incluserat. Maroboduus vti nobili ortus genere, ita corpore valido atque animo praeferoci, occupatis ijs quos prædiximus locis, certum sibi imperium constituerat: gentesque finitimas quà bellis domuerat, quà conditionibus sui iuris fecerat: militem verò suum

C perpetuis exercitijs ad Romanæ penè disciplinæ formam redegerat: vsqueadeò vt breui temporis spacio sese in magnum, & ipsi quoque Romano metuendum imperio fastigium erexerit; ita tamen interim aduersus Romanos se gerens, vt neque eos lacesseret; sin autem ipse lacesseretur, vim sibi ac voluntatem ad defendendum superesse declararet. Legati quos ad Cæsares mittebat, interdum vt supplicem commendabant, aliàs tanquam pro pari verba faciebant: gentibus autem virisque, qui à Romanis deficiebant, tutum aperiebat perfugium: exercitumque, quem LXX. millium peditum, quatuor equitum alebat, assiduis aduersus finitimos bellis exercendo, maiori-

D bus & nouis se rebus præparare credebatur. Tiberius Cæsar, quia Maroboduus tanto incremento Romanorum obstruere securitati, & ob vicinitatem, veluti Italiæ incubiturus, metuendus videretur, cum legionibus duodecim à diuersis simul regionibus ipsum aggredi constituerat. Sentio igitur Saturnino mandat, vt per Catthos excisis continentibus Herciniæ siluis, legiones in Borohemium (id regioni quã Maroboduus incolebat, nomẽ erat, duceret: ipse à Carnunto (qui locus Norici regni ab ea parte proximus erat) cum exercitu qui in Illurico

BELLVM PANNONICVM ET DELMATICVM IN ILLVRICO.

merebat, in Marcomannos proficisci decreuerat. Ceterùm postquam A Valerius Messallinus à Tiberio euocatus militem, quem Delmatis ceterisque imperauerat, deduxisset; Delmatæ quia se longa pace adultos, copiosaque iuuentute florere animaduertebant, cum vniuersa Pannonia omnibusque eiusdem tractus gentibus in societatem coëuntibus, ex constituto arma corripuêre. Primùm se Breuci Pannones cum Delmatis coniuxerant, Sirmiumque quod Ro. præsidio tenebatur inuaserant, à cuius oppugnatione variis cladibus repulsi, obsidionemque soluere coacti, tandem à Cæcina Seuero, qui Mæsiæ Proconsul Romanis auxilio venerat, prælio victi sunt. Ti. Cæsar nunciata Illurici defectione, Maroboduum tanto belli apparatu consternatum, per dona & legationes fœdus petentem pace obstrinxit: seseq; B ad Illurici belli curam conuertit. Id omnium externorum post Punica bella grauissimum, per XV. legiones paresque auxiliorum copias, triennio magna constantia in magnis omnium rerum difficultatibus simulque frugum inopia gestum est. Gentium populorumque qui rebellauerant amplius quàm octingenta millia fuisse memorant: inter hos qui armati erant peditum ducenta, equitum decem millia: hi ducibus parebant acerrimis, duobus Batonibus ac Pineto, qui inter ceteros eminebant. Conuenerat vt pars Italiam per Nauporti, ac Tergestinos limites, tunc milite & præsidio vacuos peteret; pars sedibus suis præsidio esset: pars autem in Macedoniam iam irruperat. C Accedebat ad hæc quòd apud Pannonios non tantùm ratio disciplinæ militaris vigeret; sed linguæ etiam Romanæ literarumque earundem vsus floreret. Hinc factum vt omnia Romanorũ colloquia consiliaque ipsis paterent. Nulla itaque vnquam gens tam maturè consilio belli bellum coniunxerat, neque decreta celerius patrauerat. oppressi ciues Romani: trucidati negotiatores: magnus eorum qui sub vexillis habebantur numerus, quia sine ducibus erant, ad internecionem antequam quid ageretur in aperto esset, cæsus est: occupataque armis Macedoniæ parte, omnibus passim ferro & flamma vastatis, tan D. tus huius belli metus inuaserat, vt Augustus ipse tot bellis exercitatus, quique ad omnem fortunam obduruerat, consternaretur. Habiti itaque delectus, reuocati vndique veterani, viri pariter ac fœminæ ex censu militem dare coacti. Iam Consulatum inierant Kal. Ianuarijs M. Furius Camillus, & Sex. Nonius Quinctilianus, quum Augustus in Senatum retulit, posse hostem decimo die, ni caueretur, in conspectum Vrbis apparere: totum Illuricum, quà intra Italiam regnúmque Noricum & Thraciam Macedoniamque, itidem

M. FVRIVS CAMILLVS SEX. NONIVS QVINTILIAN. COSS.

quà

A quà inter Danubium flumen, ac sinum maris Hadriatici pateret, in armis esse. Senatoribus itaque simul & Equitibus omnem ad id bellum operam pollicitis, Tiberio Cæsari eius gerendi imperium traditur. Is in Illuricum mouens, magna prudentia, oportunitateque capta grassantes furibundè hostes, nonnunquam vniuersos cunctatione, mox etiam congredi ausos prælio fregit: partem quoque hostilis exercitus etiam fame ad deditionem sine sanguine compulit.

Ceterùm A. Cæcina, & Plautius Siluanus Consulares, cum quinque legionibus & totidem auxiliarijs, & regio Thracum equitatu (quippe Rhemetalces Thraciæ Rex cum magna Thracum manu Romanis au-
B xilio venerat) ab ea hostium parte quæ ipsis obuersa erat, insignem cladem accepêre: equitatus Thracum in fugam actus; alæ Romanæ, & cohortes in fugam versæ. Imò & apud ipsa legionum signa trepidatum. Saluti fuit legionariorum virtus, prælijs exercitata, & melioribus obedire parata. Posteaquam enim ab exploratoribus, hostium vim & artes successisse cognouerant, mutua exhortatione confirmati (etiamsi Tribuni aliquot & castrorum Præfecti subitò Illuriorum incursu cecidissent, Centurionesque non pauci plurimis cruentati vulneribus, telisque obruti circa principia cernerentur) cominus tamen & ordinibus condensatis hostem repressère; perruptaque acie
C victoriam ex insperato vindicauère. Augustus ob hanc pugnam per legatos felici euentu commissam Imperator XVI. salutatus est. Interim & Bato Desidiates cum exercitu ad Salonam Delmatiæ vrbem, quæ Romanorum præsidio tenebatur, oppugnandam profectus, saxo feritur: oppugnationéque infeliciter tentata, maritima omnia, oramque maris Ionici perpopulari iussit. Dum hæc diuersis in locis geruntur, dumque Tib. Cæsar & Valerius Messalinus Sisciæ omnes vndique copias cogunt, hostes interea captato tempore, crebris in vicinos agros incursionibus cuncta passim longè lateque vastationibus infesta reddunt: Tiberio ita ad omnia dissimulante, vt ipsi etiam Au-
D gusto in suspicionem veniret, studio ipsum exstrahere bellum, quò, si quid sibi in senium & ægritudinem præcipiti humanitus accideret, per speciem belli gerendi legiones eousque in potestate haberet. Germanicum itaque Drusi filium, quem Tiberius adoptauerat, Quæstorem cum Proconsulari imperio, nouoque exercitu, & semestri commeatu in Illuricum mittit. Agrippa interea Posthumus, M. Agrippæ filius, qui eodem die, vt prædiximus, quo Tiberius ab Augusto adoptatus fuerat, mira animi prauitate insignis, corporisq; magnitudine ac robore stolidè ferox, maris imperium sibi

AVGVSTVS IMP. XVI.

GERMANICI CAESARIS EXPEDITIO IN ILLVRICVM.

(vtpote oriundo M. Agrippa, duabus præcipuis victoriis, Sicula scilicet & Actiaca nobilitato) deberi iactabat: eò etiam vesaniæ prolapsus, vt Neptuni cognomẽ assumeret; & Iuliam matrem quasi nouercam, Augustum verò tanquam hæreditatis suæ inuasorem cõtumeliis proscindere non dubitaret. Quibus Augustus irritatus, Agrippam ex familia & gentilitate sua abdicatum, facultatibusque ipsius ærario militari adscriptis, Surrenti inclusit. Sed quum ne sic quidem de ingenita ferocia quicquam remitteret, imò indies magis insaniret, in Planasiam insulam Corsicæ vicinam eundem relegauit: cauitque S.C. vt eodem loco in perpetuum contineretur. Agrippa itaque ad hunc modum abdicato & semoto, certa iam vni Tiberio successionis spes incumbebat. Proinde tanquam filius & collega imperij, consorsque Tribuniciæ potestatis, lege per Consules lata, in omnes quoque exercitus & prouincias imperium obtinuit: non obscuris iam, vt antea, Liuiæ matris suæ artibus; sed palàm, & eiusdem hortatu. Et quanquam sæpius ex Illurico ab Augusto reuocatus, prouincia decedens belli difficillimi molestia se expedire posset, omnes tamen difficultates constanter pertulit: metuens ne vicinus & præualens hostis, veluti vltrò cedentibus instaret: perseuerantiæque eiusdem grande pretium tulit, toto Illurico perdomito, & in ditionem redacto. Ceterùm, postquam Germanicus in Pannoniam venisset, eoque exercitus vndique conuocarentur; Batones obseruato tempore quo & Cæcina Seuerus è Mæsia eò accederet, castra eiusdem ex improuiso iuxta Volcæas paludes adorti sunt. Romani autem trepidationem simulantes, vallo se continebant: hinc hostem temerè subeuntem, & in vallum fossasque irruere parantem, simul vndique castris effusi, inopinantem subitaque re pauidum prosternunt profligantque. Parte alia Germanicus Mazæos Delmatiæ populum pugna congredi ausos fundit, fugatque: multisque inde cladibus fractos ad deditionem compellit. Tandem Pannonij vniuersi simul & Delmatæ, fame omniique rerum inopia oppressi, pacem petentes, Romanorum se potestati permisère. ob hæc Augustus Imperator XVII. salutatus est. Bato Desidiates quum Ti. Cæsarem pro tribunali sedentem salutasset, vultu nec proiecto, nec degenere, sed ore magnam præ se dignitatem ferens, interrogatus à Tiberio; Ecquid tot calamitatibus, tot bellis fractus toties rebellaret? libera voce respondit: In culpa esse Romanos, qui ad gregum suorum custodiam lupos non pastores misissent. Delmatis pax certis legibus data est. Bato verò Breucus, qui Pinnetem ducem Romanis prodiderat, ac mercedem proditionis Breucorum regnum possidebat, à Breucis, qui ipsum vti proditorem pro rege accipere aut agnoscere dedi-

AGRIPPA ABDICATVS EXVLAT.

TI. CAESARI IMPERIVM LEGE DATVM.

AVGVSTVS IMP. XVII.

A B C D

A dedignabantur,(vt sunt proditores genus hominum inuisum semper omnibus,imò & ijs quibus operam suam nauarunt) captus & vinctus Batoni Desidiati traditus,ab eodem occisus est. Ipsi autem Breuci,qui Batone sublato arma iterum sumserant, prælio ad Drauum flumen à M.Plautio Siluano superati,& multis cladibus populationibusque fracti,in potestatem tandem redacti sunt. Senatus Plautio ob res benè gestas triumphalia ornaméta decreuit: Augustum Imperatorem XVIII. salutauit. Bato Desidiates vbi sese è Pannonia Siluano exturbatum exclusumque vidit,Delmatiam vndiq; quà angustijs adiri posset,præsidijs sepsit; eamque populationibus vastatam iterum ad arma secum

AVGVSTVS IMP.XVIII.

B coniungenda compulit. Ceterùm ferox illa tot millium numero iuuentus Pannonica, quæ ipsi paullò antè Italiæ seruitutem comminata fuerat, postquã arma,vt imperabatur, ad Bathonium flumẽ in vnum aceruum congessisset,vniuersa sese ad genua Ti. Cæsaris prostrauit,ac supplex pacem petijt: quibus in deditionem receptis,atq; agros colere iussis, exercitus in hiberna reducitur; copijsque vniuersis M.Lepidus præfectus est. Quumq; pacata iam Pannonia,tota belli moles in Delmatiam incumberet, Germanicus ad Rhetinum Delmatiæ oppidum calliditate ac simulatione ciuium deceptus cladem accepit. Ciues enim vbi validissimo Germanici exercitui sese impares sensêre,arte agẽdum

C rati,ædificia quæcunq; mœnibus imminebant, incendunt: cauteque ne quà subitò flamma emicare posset,obstruunt: seseq; (quod ex castris videri poterat) veluti vrbem deserẽtes in arcem subducunt. Irrumpunt itaque magno numero & pari impetu Romani prædæ atque vrbis occupandæ auidi,quũ subitò elucere flammã vndique inualescente per ambitum incendio conspicati,consternatique, etiam missilibus telisque ex arce vrgebãtur: qua calamitate pars ipsorum maxima flammis consumta est: reliqui semiustulati per cadauera in aceruos cumulata euasêre. Seretium tamen castrum firmissimum, quod frustra prius Tib. Cæsar tentarat,tum à Germanico expugnatum est; aliaque

D aliquot loca satis difficilia in deditionem accepta. Consulatum anni insequentis C.Poppæus Sabinus & Q. Sulpicius Camerinus inierant,quum Tib. Cæsar in Delmatiam iterum missus est:quia ceteræ gentis illius contumacia expugnari non poterat. Quumque & Ionium mare à Liburnis infestaretur,vsqueadeò vt intercluso maris cõmercio, Italia iterũ fame infestaretur;Augustus quo propiore loco sicubi consilio ipsius opus esset,consuli posset,primò Ariminum,mox Aquileiam vsque progressus est. Tiberius verò ad belli Delmatici molem multò maximam animum adijciens, omnes copias conuenire iussit. Lepidus itaque ipso statim æstatis initio educto ex Hibernis exercitu, per gen-

C.POPPAEVS SABINVS Q.SVLPICIVS CAMERINVS COSS.

tes adhuc intactas & à belli clade immunes, ac proinde ferociores & contumaciores, ad Ti. Cęsarem contendens, magna cum locorum difficultate pariter & hostium viluctatus, maioreque cum rebellantium clade progressus, exustis ædificijs, agris depopulatis, cæsisque hostium copijs, victoria lætus & præda onustus cum exercitu ad Tiberium tandem incolumis peruenit. Quæ quidem si proprijs tanta felicitate auspicijs gessisset, Triumphum exemplo maiorum iustum meritus videri poterat. Sed postquam receptum fuerat, vt soli Principes triumpharent, consentiente Senatu triumphalibus ornamentis donatus est: ipse verò Augustus Imperator XIX. salutatus. Tiberius antem quum iam vndique maxima copiarum multitudo conuenisset; bellumque diutius duci omnes ægerrimè ferrent, copias suas cum legatis partitus est. Conuenerant in vna castra decem legiones, cohortes amplius quàm septuaginta, in his veteranorum plura quàm decem millia; ad hæc magnus euocatorum numerus, frequensque equitatus, quem Rhemetalces Thraciæ Rex adduxerat. Tiberius eas quas M. Lepidus & Plautius Siluanus ad se deduxerant copias, ipsorum imperio permittit: ac manus distinendæ caussa à diuersis simul partibus incurrere iubet: ita factum, vt dum Romani in singulas partes incubituri viderentur, hostium pariter copiæ dum ad sua quæque defendenda in varia distrahuntur, dissiparentur: pars fessi ex itinere, oppressi ac trucidati sunt: alij commissa acie in prælio cæsi, aut profligati: plurimi quoque qui in montes ac siluas se receperant, inedia ac fame confecti, ad deditionem compulsi sunt. Ceteram copiarum partem Tiberius cum Germanico partitus, Batonem vagum & nulla satis certa regionis parte hærentem, infestis signis persequitur: eundemque iuxta Anderium ad Salonas castellum assequutus, Anderij munitionibus se includentem obsidet. Diu tenuit ea obsidio, tum quòd Anderium loco editissimo ac rupe inaccessa situm, conuallibus altè depressis, torrentibúsque magna rapiditate planiciem intercidentib. muniretur; tum quòd ab omni commeatuum genere armisque ac telis instructissimum esset. Accedebat ad id incommodi, quòd hostes per ignotos saltus ex insidijs Romanos frumentatores intercipiebant: vsqueadeò vt summa frugum inopia in castris laboraretur. Saluti fuit, quòd Romani, quum in loca iniquissima temerè sese conieciffent, obsessorum eruptionem fortiter & magna cum virtute obnixi sustinuerint. Hinc factum, vt obsessi postquam Tiberium in obsidione perseuerare conspexissent, victa pertinacia, atque incolumitate pacta clementiæ ipsius se permiserint. Germanicus cum exercitu contra ceteros qui adhuc in armis erant missus, Arduba castello situ ac natura loci munitissimo potitus est,

AVGVSTVS IMP. XIX.

A est, pręsidiarijs intestina seditione furentibus, & inter se decertantibus, atque ex improuiso oppressis. Hinc reliquos, qui nondum parebant, ad deditionem coëgit; vsus in ea victoria C. Vibij Postumi viri Consularis consilio, & virtute singulari; cui ob hæc merita ex S. C. ornamenta triumphalia decreta sunt: Germanicus verò Imperator appellatus est: ipse Augustus Imperator XX. salutatus. Ceterū Bato iam rebus suis diffisus, Sceuam filium ad Tiberium pacem precatum mittit: salutémq; pactus se suosque in Augusti potestatem traditurū pollicetur. Bato itaque data acceptaque fide, noctu in castra Tiberij venit: à quo humanissimè exceptus ingentibusque insuper præmijs donatus, Ra-

GERMANICVS CAESAR IMPERATOR APPELLATVS. AVGVSTVS IMP. XX.

B uennam translatus est: gratiam referente Tiberio, quòd se bellis superioribus locorum iniquitate cum exercitu circumclusum passus esset euadere. Vniuerso itaque Illurico iam perdomito, & quidquid inter Italiam Noricumque esset, Trachiamque & Macedoniam; insuper inter Danubium & Hadriatici maris sinum, in Prouinciæ formam composito, Germanicus tantæ victoriæ nuncium Romam tulit: cui quum Senatus in æde Martis Vltoris datus esset, & res à patre suo per tres annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postulassetque vt patri triumphanti Vrbem inire liceret: Senatus nō solùm res à Tiberio gestas triumpho dignas censuit; sed & multos insuper magnosque honores

ILLVRICVM RECEPTVM.

TRIVMPHVS TI. CAESARI DECRETVS.

C decreuit. Censentibus etiam quibusdam vt Pannonicus, alijs, vt Inuictus, nonnullis, vt Pius cognominaretur. sed de cognomine intercessit Augustus; affirmans Tiberium eo cognamento contentum fore, quod se defuncto accepturus esset. Gloriæ Tiberij amplior ex opportunitate cumulus accessit: nam sub id ferè tempus Quinctilius Varus cum tribus legionibus & totidem auxiliis Arminij insidiis oppressus est: nemine dubitante, quin Germani victores se cum Pannoniis iuncturi fuissent, nisi Illuricum Tiberius prius debellasset. Mœsta igitur ob cladem Varianam (quæ quarto Nonas Quinctiles accepta fuerat) ciuitate, Tiberius triumphum distulit: ceterùm prætextatus & laurea

D coronatus Vrbem intrauit: positoque in Septis tribunali, adstante Senatu medius inter duos Coss. cum Augusto consedir, inde populo consalutato, circum templa deductus. Germanico autem ornamenta triumphalia simul & Prætoria insignia decreta suut: ipseque Consul in biennium designatus. Verùm Augustus accepto cladis Varianæ nuncio, excubias per Vrbem indixit, ne quis tumultus existeret: pręsidibus quoque Prouinciarum imperium prorogauit: quò scilicet à peritis & assuetis socij continerentur. Ludos quoq; Magnos Iovi Opt. Max. vouit; Si Rempublicam In Meliorem Statum Vertisset: quod & prius bello Cimbrico Marsicoque factum fuerat. Adeò denique ea clade

GERMANICVS COS. DESIGN.

con-

consternatum ferunt, vt barbam ac capillum per continuos aliquot A
menses summiserit: caputque interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare redde legiones. diemque illius cladis (in quem prius & Cannensis inciderat) quotannis lugubrem ac mœstũ habuerit. Quinctilius Varus apud omnes auctores culpam tantæ cladis ex securitate & socordia (quæ frequentissima sunt ad calamitatem initia) sustinet. Is enim, quum exercitui qui erat in Germania præesset, quos armis nemo hactenus edomare potuerat, eos iure ad imperium mulceri posse credebat: nouoque exemplo in regione necdum in Prouinciæ formam redacta, ius dicebat. At Germani in summa ferocia etiam versutissimi, fictas litium caussas & series simulabant; alter alterũ iniuriarũ B
dedito studio appellabant: mox Varo gratias agebant; quòd controuersiæ ipsorum iusticia Romana finirentur; feritasque, & barbaries ipsorum nouitate disciplinæ olim ipsis incognitæ mitescerent: solitáque prius armis ac duello decerni, iure terminarentur. Qua simulatione Quinctilium in summam socordiam perduxerunt: vsque eò, vt se veluti Prætorem Vrbanum Romæ in foro ius dicere, non in Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tunc Ariminius Cheruscorum princeps, Segimeri filius, qui ardorem animi vultu oculisq; præ se ferebat, assiduusque militiæ Romanæ comes, ciuitateque ab Augusto donatus, & in ordinem equestrem adscriptus, segnitia Vari in sceleris oc- C
casionem vsus, primò paucos, mox plures in consilij societatem recipit: opprimi posse Romanos vt incautos & ostendit & persuadet: decretísque facta coniungens, locum ac tempus insidiarum ex conuento præfinit. Varo per Segestem Ariminij socerum rebellionem parari sæpius indicatum fuerat, imò & supremo post quod armis oppressi sunt Romani conuiuio, Segestes Varo author fuerat, vt se & Ariminium & reliquos proceres vinciret; nihil ausurum plebem Principibus amotis: ipsi interea spacium superfuturum, intra quod crimina & innoxios discerneret. Sed fata iam consilijs præualebant, omnem Varo mentis aciem perstrinxerant. Ariminij itaque fraude & dolis Romani in D
CLADES VARIANA.
Teutoburgensem saltum inter Luppiam & Rhenum deducti, ibidémque paludibus & siluis præpediti, iniquitate loci pariter & fortunæ circumuenti, insultantibus vndique Germanis oppressi sunt. Varus ab hostibus vulneratus, dum res desperatas videt, ne viuus in potestatem veniret, ipse sibi manus intulit. Eius cadauer semiustulatũ feritate hostium laceratũ est: caput eius abscissum & ad Maroboduum missum, & ab eodem ad Tiberium, gentilicij tandem tumuli sepultura honoratũ est. Volumnius Equitum Vari præfectus, desertis in tanta calamitate legionibus, cum Equitatu ad Rhenum fuga elapsus, quum fluminis

A nis rapiditatem altitudinemque superare non posset, ab hostibus vnà cum suis trucidatus est. Cælius Primipilaris in castra cum paucis perruperat; ibique obsessis pro duce fuit: nec quicquam commotus, quòd Arminius ad metum incutiendum, capita cæsorum pilis præfixa propius ad vallum admoueri iussisset, suos ad vltionem & propugnationẽ accendit: hostemq; ingruentem, & sæpius irrumpere conantem, magna cum virtute & constantia repulit. Ceterùm, veritus ne Germani arbores, quæ pro castris prostratæ iacebant, vallo admouerent; iisque accensis ipsa etiam castra igni corriperentur; lignorum inopiam simulat, & militem tanquam ad ea rapienda vndique emittit. Eam simula-
B tionem Germani ab expressa necessitate exortam suspicantes, vniuersos arborum truncos, ne vsui obsessis essent, ipsi amoliti sunt. L. Cædicij quoque & L. Eggij, qui castrorum præfecti erant, virtus, & animi præsentia ea in clade celebratur: qui postquam vnà cum iis quos ex fuga collegerant, locum editum munitumque occupassent, & affluentibus vndique Germanorum copijs obsidione premerentur; omni difficultate quam inopia rerum intolerabilem, aut hostium vis insuperabilem faciebat, fortiter constanterque superata, obseruataque occasione viam sibi ferro ad suos aperuêre. Cælius Caldus, ne ad ludibrium hostium captiuus seruaretur, cathenarũ quibus adstrictus erat seriem
C complexus, ita eam capiti suo illisit, vt cerebro profluente protinus exspiraret. Quæ quidem argumento sunt, Varum magis imperandi peritia, quàm militum virtute destitutum, tam egregium exercitum vnà secum in tantam calamitatem præcipitasse. Constat rem Romanam nulla atrociore vnquam apud gentes externas post Crassianam apud Parthos cladem, quàm hac Variana fuisse concussam. Visum est & id antiquis obseruatione dignum, hanc cladem quarto & vicesimo vltra ducentesimum anno post Cannensem, decretoriis conuersionum cladiumque in septenarium numeris, eodémque die euenisse. Varianorum reliquiis saluti fuit, quòd L. Asprenas, Vari ex sorore nepos, qui
D hostium vestigiis cum duabus legionibus vbique & semper insistebat, superstitibus tutum ad se receptum præberet: ceterasque cis Rhenum gentes ad defectionem sollicitatas armis in fide contineret. In nullum genus hominum Germani victores insolentius insultarunt, quàm in causidicos, rabulasque forenses: è quibus plærisque oculos eruerunt, nonnullis manus præsecuerunt: traditur & vni os consutum, recisa prius lingua, quam Germanus quidam manu tenens, Tandem, inquit, vipera sibilare desiste. Ceterùm Arminius haud dubiè liberator Germaniæ; & qui non quidem tenuia etiamnum Populi Romani, sicut alij Reges Ducesque, incrementa lacessierat;

sed imperium gloria opibusq; florentissimum; quiq; dubio & ancipiti A
frequenter cum Romanis prælio congressus, vniuerso tamen bello inuictus fuerat; is idem libertatê popularium suorum sibi aduersam habuit. Nam dum pulso Maroboduo regnum inuadere conatur, suorum armis impetitus, quum varia adhuc fortuna certaret, fraude cognatorũ oppressus est. Vixerat annos XXXVII. regnauit XII. & quod vnũ apud Germanos memoriæ & annalium genus erat, eorum carminibus per multa sæcula celebratus est. Græcis alioqui scriptoribus, qui sua tantum mirantur (quod multis etiamnũ gentibus peculiare est, & semper erit) ignotus; Romanis autem non adeò celebris, qui vetera laudibus extollunt, eorum quæ ipsorum ætate fortiter gesta essent, incuriosi. Audita B
enim visis laudamus libêtius; & vti præsentia inuidia, sic præterita veneratione prosequimur: quòd his nos obrui, illis doceri credimus.

Varianarum legionum reliquiæ in Teutôburgiensi saltu vsque ad sex ferè annos inter Amisiam & Luppiã fluuios insepultæ iacuêre; donec Germanicus suscepta in Catthos expeditione, parêtandi insepultorum manibus percupidus, in campos visu ac memoria deformes mœstosq; ingressus, veteres ac dispersas reliquias vno tumulo humaturus, arida & iam albentia ossa sua manu legere, & primus comportare aggressus est; quamuis Imperatori & Consulari, adhęc Augurali sacerdotio, aliisque cæremoniis prædito, feralia attrectare nefas & irreligiosum esset. C
Aras autem in lucis Germanorum erectas, apud quas Tribunos, ac primorum ordinum Centuriones hostiarum more hostes mactauerant, trophæaque arborum truncis præfixa disturbari iussit. Hoc anno Coss. suffecti M. Papius Mutilus, & Q. Poppæus Secundinus, in quorum Magistratu Augustus legem tulit de maritandis ordinibus; quæ
LEX PAPIA POPPAEA. à Coss. qui eandem perrogauerant, Papia Poppæa dicta est. Hæc vltra XXXV. continebat capita; eaque inter cetera cauebatur, vt cælibes sterilésq; decima bonorum parte multarentur. Hanc quum Augustus vrgeret, emendassetque quàm ceteras seuerius, quumque Equester ordo, ludis votiuis qui pro Augusti salute concepti erant, abolitioné eiusdem D
publico in spectaculo postularet, Augustus acerbissimè inuectus in cælibatum sterilitatemque eorum, qui quum possent, posteritati consultum nollent, accitos quatuor Germanici liberos, quos ex Agrippina genuerat, partim ad se, partim ad patris gremium receptos populo ostentauit: manu vultuque significans ne grauarentur iuuenis exemplum
P. CORNEL. DOLABELLA C. IVNIVS SILANVS COSS. imitari. Proximo anno, P. Cornelio Dolabella, C. Iunio Silano (qui Flamen Martialis erat) Coss. Tiberius repetita, vt cladem Varianã vlcisceretur, Germania, quum animaduerteret eam temeritate & negligêtia ducis accidisse; nihil non de concilij sententia egit: & quanq̃ alias

sui

A sui semper arbitrij & se vno contentus, tunc præter consuetudinem cum pluribus de belli ratione communicauit: Rhenumque traiecturus curam solito exactiorem adhibuit, omnemq; commeatum ad certam formulam adstrictum non prius transmisit, quàm consistens in ripa ipse vehiculorum onera explorasset; ne aliqua deportarentur, nisi concessa aut necessaria. Ac superato iam Rheno eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens in cespite nudo cibum caperet: sæpe etiam sine tentorio pernoctaret: præcepta sequentis diei omnia, & si quid subiti muneris esset iniungendum per libellos daret, addita monitione, vt si de aliquo quisquam dubitaret, se, nec alio interprete quacunque vel noctis hora B vteretur. Augustus autem hac in expeditione Germanica ad tutelam fluminis Rheni libertino milite vsus est: eosque seruos adhuc viris fœminisque pecuniosioribus addictos sub priore vexillo habuit: quos vtpote vilia capita, & tanquam auxiliarios, primo hostium furori obijceret; sed neque commixtos cum ingenuis (qui soli in legionibus merebant) neque eodem modo armatos. Ea multitudo è vernis conscripta, solutis moribus, & vti lasciuiæ assueta, ita laborum intollerans, seditionibus tumultibusq; militaribus postea causas præbuit. Interea L. Andasius falsarum tabularũ reus, & Epicadus Themasinus ex gente Parthina Sybrida, Iuliam Augusti filiam ex Rhegio, ac Agrippã C Posthumum nepotem ex Planasia insula, in qua continebatur, rapere vi, atque cum eisdem ad exercitus fugere, & quasi fato debita sibi domĩnatione, Augustum & Senatum aggredi destinauerant: sed tantæ dementiæ subitò pœnas dedêre. Mox & Clementis, qui Agrippæ seruus erat, audacia, discordiis armisq; ciuilibus Rempublicam perturbasset, nisi oportunè præoccupatus fuisset. Is enim in Planasiam pergere, & Agrippam fraude, aut vi raptum ferre ad exercitus Germanicos magno animi impetu conceperat: sed ejus audaciam tarditas nauis onerariæ, qua vehebatur, impedijt. Ipse Clemens tunc quidem fuga elapsus, post Augusti mortem, cædemque Agrippæ, ad maiora, & magis præcipitia D conuersus, dum se Agrippam esse fingit, magnas turbas nisi tempestiuè occursum eius furori fuisset, daturus erat. Quum autem & Iunius Nouatus quidam Agrippæ nomine asperrimam de Augusto epistolam, & contumeliis refertã in vulgus edidisset, Augustus pecunia tantùm multari iussit: Patribusque conscriptis auctor fuit, quęstionem posthac sub crimine Maiestatis exercendi, de his qui libellos aut carmina ad infamiam cuiuspiam sub alieno nomine ederent. Quumq; huc vsque officia mutua cum multis exercuisset, iam natu grandior dies cuiusque festos & solemnes frequentare desiit; postquam quodam sponsaliorum die in turba ob affluentem subitò multitudinem vexatus fuisset:

TI. CAESARIS EXPEDITIO IN GERMANIAM.

habuitque sæpe Senatum in ea porticu quam ad Palatinam domum A
suam adiunxerat, decuriasque iudicum ibidem recognouit. Stipatores
verò quos ex Germanorum manu, & alas Equitum, quas ex Batauis
conscripserat, ne quid noui molirentur, à se dimisit; & per insulas distribuit: vt longo separati interuallo nullam inter se conspirationem coire
possent. Gallos & Germanos qui peregrini in Vrbe versabantur, intra
certum diem, vt Vrbe excederent, edixit. Ser. Cornelius
Maluginensis in partem anni reliquam Silano suffectus flamen Dialis
erat; duobus & septuaginta annis post Cornelij Merulę cædem in Flaminem cooptatus. Is primus auctor fuit, vt Prouinciam extra Italiam
sorte habere posset: quum frustra vulgatum dictitaret, non licere Dia- B
libus Italia egredi: sed Tiberius intercessit, ostenditque annuam absentiam ab Italia Dialibus non concedi, quum ne binocto quidem ab
Vrbe saluis cæremonijs abesse possent. M. Aimilio Lepido & T.
Statilio Tauro Coss. Germani, quum ab externo metu se iam liberatos viderent, æmulatione gloriæ & Tiberij artibus, per Segesten & Maroboduum arma in se verterant. Segestes enim qui fidem erga Romanos non mutauerat, Arminio ex improuiso nihilque tale metuenti
cathenas iniecerat; eundem veluti fœderum violatorem Romanis traditurus. Ceterùm Arminius à sua factione per vim ereptus, Segesten
vicissim vinctum tenebat: eiusq; filiam Thosneldam alij pactam per C
vim rapuerat. Sed Thosnelda etsi mariti quàm parentis studiosior, Arminio tamen exorato, patrem Segesten liberauit. Hinc Germania in
partes & factiones diuulsa, exercitus dilapsi sunt: duces ipsi per inuia
saltuum paludumque exigua cum manu vagabantur. Frater Arminij cognomento Flauius egregia semper erga Romanos fide fuerat: is
amisso per vulnus oculo quum superioribus annis duce Tiberio Germania armis infestaretur, ad Arminium fratrem Tiberij permissu
profectus, vt clementiam ipsi & veniam, si in deditionem veniret, fide à Ti. Cæsare data pacisceretur, ab Arminio fratre cùm ob oris deformitatem, tum propter seruitutis spontaneæ patientiam irrisus & D
contemtus est: contumeliosiusque vt patriæ gentisque suæ desertor
& proditor exceptus, tandem & à castris fraternis ne violaretur, abire
iussus est. Tiberius interim disciplinam militarem acerrimè exegit:
vsqueadeò vt legatum legionis, quòd paucos milites cum liberto suo
trans ripam venatum misisset, ignominia notauerit. Mox vbi nusquā
apparêre hostem, sed partim in saltus, atque inuia siluarum dilapsum,
partim in Germaniam penitiorem se recepisse comperit: quò latior
populatio fieret, legiones in quatuor cuneos distribuit: mandatque legatis, quos singulis præfecerat legionibus, vt fortunę casibusque quàm
mi-

M. AIMILIVS LEPIDVS T. STATILIVS TAVRVS COSS.

A minimum permitterent. Ita per quinquaginta millia passuum omnia longè latèque ferro ac flamma peruastata: non ætas, non sexus miserationem attulit: profana simul ac sacra solo æquantur. Sed nec ea clades Germanos etiamnum inter se dissidentes exciuit: hinc nec pugnandi cum hoste potestas facta, neque populus vllus in deditionem acceptus est: contentiq; Romani Germanorum impetum repressisse, eorumque copias distraxisse, veritique ne si denuò coirent hostes cladem aliquam ipsi vicissim acciperent, haud longè à Rheno progressi, vsque ad autumnum armis abstinuêre. Romæ interea quum Equites magno studio contendissent, vt lex de maritandis ordinibus leniretur,
B potissimum Papia Poppæa, quā Augustus vt ærarium militare augeret, etiam additis custodibus acerrimè exequebatur, dum cælibes tota hæreditate quæ testamento obueniret, (nisi si qui genere proximi essent) orbos verò dimidia eorū quæ relicta erant parte multat; victus tandem Equitum precibus eam nonnihil moderauit: lenita scilicet parte pœnarum, & vacatione triennij data, auctisque maritorum præmijs. Lege quoq; Voconia matronas haud paucas soluit. Hac cautum fuerat, ne quis Census (Censum accipiebant eum, qui centum millia sestertiûm possideret) mulierem hæredem faceret vltra quadrantem. Adhæc ijs quæ perpetuam virginitatē seruarent, eadem quæ matribus
C præmia largitus est. Instituit & vectigal nouum, vt ij qui nocturnas in vrbe excubias agerent (sex enim vigilum cohortes erant) stipendium de publico acciperent; idque ex quinquagesima precij eius quod pro seruitiorum emtione solueretur. Perrogauit & sumtuariā; qua vetuit ne profestis diebus plusquàm ducenta sestertia, Kalendis, Nonis, Idibus, Festiuisque diebus ne plusquàm trecenta; nuptijs verò & repotijs mille tantùm in sumtus conuiuiorum impenderentur. Legem etiam de Ambitu noua rogatione auxit: vt qui turbam in Comitijs siue largitione, siue conuocata seruitiorum manu, vel quomodocunque motum aliquem excitasset, relegaretur. Per id tempus & Mathematicis
D interdictum est, ne consultoribus de vitæ spacio inquirentibus responderent. Tum quoque Equitibus summa contentione vrgentibus nouo exemplo concessum, vt gladiatorio munere fungerentur.

LEX VOCONIA.

LEX IVLIA SVMTVARIA.

Quæsturam tum gerebat Drusus Tiberij ex Vipsania filius. Germanicus autem Cæsar in Vrbem reuersus Consulatū cum C. Fonteio Capitone init. Germanico omnes animi corporisque dotes, & quantas nemini vnquam, contigisse satis constat. Formam & fortitudinem egregiam, ingenium in vtroque eloquentiæ doctrineque genere præcellens, beneuolentiam singularem, ac studium conciliandæ hominū gratiæ promerendiq; amoris mirum, & efficax: nec militari laude infe-

GERMANICVS CAESAR C. FONTEIVS CAPITO COSS.

rior, hostem cominum sæpe percussit, spoliaque opima frequenter referre annisus est. A

TRIVMPHVS TI. CAESARIS DE ILLYRIIS ET GERMANIS.

Tiberius è Germania in Vrbem post biennium reuersus, triumphum quē huc vsque ob mœstam clade Variana ciuitatem distulerat, egit de Illiricis, Pannonijs, Delmatis, & Germanis VI. Idus Maij, prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat, Germanico videlicet Cæsare, C. Vibio Posthumo, Plautio Siluano, M. Lepido, atq; alijs: ac priusq̄ in capitolium flecteret, è curru descendit, Patrique Augusto ad genua sese summisit. Prandium deinde populo mille mensis, & congiarium trecenos viritim nummos dedit. Dedicauit & Concordiæ ædem; item Castoris & Pollucis suo ac Drusi fratris nomine de manubijs. Germanicus autem B qui toto ferè Consulatus tempore Romæ semper permansarat, sub anni exitum in Galliam factionibus & intestinis bellis commotam profectus est. Accenderant eum motum Viennenses: sed postquam Gallos coërcitione magis quàm pœna emollijsset, in Germaniam perrexit, octo ibi apud Rhenum legionibus præpositus. Bellum ea tempestate nullum erat nisi aduersus Germanos, abolendæ magis infamiæ causa ob Varianam cladem, quàm imperij proferendi cupidine.

C. SILIVS L. MVNATIVS PLANCVS COSS.

Sequuti inde Consules C. Silius, L. Munatius Plancus, quum Augustus prouecta iam ætate, ægro insuper cum corpore conflictatus, quanquam iam potentiæ securus, Reipub. tamen constituendæ potestatem in aliud decennium cum Tiberio accepit: & quò prauas ceterorum spes, rumoresque contumeliosos infringeret, III. Nonas Aprileis, annum & quatuor menses antè quàm è viuis excederet, testamentum fecit: idque duobus codicibus partim sua, partim libertorum Polybij ac Hilarionis manu descriptum apud sex virgines Vestales deposuit, cum tribus alijs æquè signatis voluminibus. Ceterùm, quòd propter valetudinem rarissimè in Curiam veniret, intelligerétque ob vicesimam hæreditatū multorum animos auerti ac sollicitari; per libellum in Senatu petiit, vt singuli aliquod vectigalis genus inuenirent, proponerentque, quo ærario militari consultum esset: se non solùm si D quid expeditius proponeretur obtemperaturum, sed etiam auxilio futurum. Quumq; nec hac via quidquam succederet, omnium tandem consensu vicesima recepta est.

VICESIMA HAEREDITATVM.

Druso Ti. filio potestatem fecit petendi post triennium Consulatus, etiamsi Præturam nondum gessisset.

SEX. POMPEIVS, SEX. APPVLEIVS COSS.

Annus insequens Sex. Pompeium & Sex. Apuleium Coss. habuit. Rumor erat Augustum selectis aliquot conscijs & comite vno Fabio Maximo Consulari in Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic vtrimque lachrimas, & signa charitatis obseruasse Fabium; hinc spem fore Agrippam quandoque reuocandum: quod

Maxi-

A Maximum vxori suæ Marciæ (quæ Augusto ex Marcio vitrico soror erat) aperuisse creditur; Marciam Liuiæ: mox C. Nauium Augusto Liuiam eius esse consciam indicasse. Per id tempus lege iterum per Coss. lata, vt Ti. Cæsar Prouincias cum Augusto communiter administrarent, simulque Censum agerent, censa sunt ciuium capita nonagies & ter centena & septuaginta millia: lustrumque LXXII. conditum. Hoc in Censu peragendo mors Augusti euidentissimis ostentis præcognita est. Nam dum lustrum in Campo Martio conderet, aquila ipsum sæpius circumuolauit: transgressaque in vicinam ædem super Agrippæ nomen ad primam literam consedit; quo animaduerso, vota B quæ in proximum Lustrum suscipi moris erat, collegam suum Tiberium nuncupare iussit: nam se quanquam conscriptis paratisque iam tabulis, negauit suscepturũ, quæ non esset soluturus. Tiberium quoque condito lustro in Illuricum dimissurus, & Beneuentum vsque prosequuturus, quum interpellatores alijs atque alijs de causis eum in iure dicendo detinerent, exclamauit; (quod & ipsum mox inter omina relatum est) Non si omnia morarentur, eum amplius posthac Romæ futurum: instituto que itinere Asturam perrexit; inde præter consuetudinem de nocte ad occasionem auræ euectus. Causam valetudinis ex alui profluuio contraxisse plerique auctores sunt: plurimis Liuiæ C dolus suspectus fuit; quæ medicatas ipsi ficus obtulisset edendas; verita ne si cum Agrippa in gratiam redijsset Augustus, Tiberium seque adeò ipsam è possessione imperij deijceret. Vtcunque ea se res habuit, ipse Augustus littorali Campaniæ ora, proximisque insulis circumnauigatis, Caprearum quoque secessui quatriduum impendit; remississimo ad otium & ad omnem comitatem animo. Ibi inter cetera Ephebos, quorum adhuc copia ex vetere instituto Capreis erat, se exercentes assiduè spectauit: epuloq; ijsdem publicè exhibito, promiscuam iocandi licentiam etiam in conspectu suo, pomorumque & obsoniorum aliorumque missilium direptionem, non solùm permisit, sed & D exegit: nullo denique hilaritatis genere abstinuit. Mox Neapolim traiecit: atque ibi, quanquam & tum infirmis adhuc intestinis & morbo variante, Quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum vsque ad finem spectauit: inde cum Tiberio ad destinatum locum contendit. Sed ingrauescente in reditu valetudine, tandem Nolæ decubuit: reuocatumque ex itinere Tiberium diu secreto sermone detinuit; neque postea vlli maiori negocio animum intendit. quanquam haud satis constet inter scriptores, an spirantem adhuc Augustum affectumque, an exanimem Tiberius repererit. Liuia enim non domum tantùm in qua decumbebat, sed & vias arctissimis passim custodijs

AVGVSTVS ET TI. CAESAR CENSS. LVSTRVM LXXIII.

diis ſepſerat; ſparſis interim lætiorib. de ipſius valetudine nunciis, dum A
Tiberius acceleratis matris literis, vixdum Illuricum ingreſſus reuocaretur: prouiſiſque ad ſecuritatem quæ ratio temporis monebat, ſimul exceſſiſſe è viuis Auguſtum, & Tiberium rerum potiri fama diuulgaret. Auguſtus ſupremo die identidem inquirens, an foris de ſe tumultus eſſet, petito ſpeculo capillum ſibi comi, ac malas labantes ſibi corrigi præcepit: amicoſque admiſſos percunctatus; Ecquid ipſis vitę ſuæ mimum commodè tranſegiſſe videretur? adiecto & hoc verſu Græco: Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε. ſibi tanquam fabula feliciter peracta applaudere iuſsit. Omnibus deinde dimiſsis, poſtquam aduenientes ab Vrbe de Liuilla Druſi filia, quæ tunc afflictæ valetudi- B
nis erat, interrogaſſet; repentè in oſculis Liuiæ, & in hac voce defecit: Liuia noſtri coniugij memor viue ac vale. Exitum ſortitus facilem, & qualem ſemper optauerat. Nam ferè quoties audiſſet, citò ac nullo cruciatu quempiam defunctum, ſibi & ſuis εὐθανασίαν ſimilem precabatur. Antequam animam efflaret, vnum dumtaxat alienatæ mentis ſignum oſtendit; quòd ſubitò pauefactus à quadraginta ſe iuuenibus abripi queſtus eſt. Quanquam id præſagium potius, quàm mentis diminutio videri poſsit: ſiquidem totidem Prætoriani defunctum in publicū exſtulerunt. Obijt Nolæ, eodem in cubiculo, in quo pater eius Octauius,

AVGVSTVS MORITVR.

decimo quarto Kal. Septembris, hora diei nona: quo die primū Con- C
ſulatum acceperat: poſtquam continuata per ſeptem & triginta annos Tribunicia poteſtate, tredecim Conſulatib. cùm geſtis, tum initis, Valerium Coruinum ſimul & C. Marium æquaſſet; plurimaq; ob bella ac prælia partim per ſe, partim per legatos ſuis auſpiciis proſperè geſta ac confecta, nomen Imperatoris ſemel ac vicies accepiſſet. Vixerat annos ſeptuaginta & ſex, diebus quinque & triginta minus. Corpus Decuriones Municipiorum & Coloniarum à Nola Bouillas vſque deportarunt: idque noctu, propter æſtum, & anni tempus, quum Sirius arderet: nam interdiu in aliqua ædium ſacrarum maxima, vel in cuiuſq; oppidi Baſilica deponebatur. A Bouillis Equeſter ordo ſuſcepit, Vrbiq; D
intulit, atque in veſtibulo domus Palatinæ collocauit. Poſtquam itaq; Auguſti corpus Romam perlatum, ipſeque ſimul Tiberius in Vrbem veniſſet, primo Senatus die nihil niſi de extremis Auguſti, iuſtiſq; funeri perſoluendis agi permiſit. Teſtamentum ipſius ante omnia per Virgines Veſtales cum tribus illis codicibus illatum, atque in Senatu lectum eſt. Eo teſtamēto Tiberium Cæſarem ex parte dimidia & ſextante hæredem ſcripſerat: Liuiam verò ex parte tertia; ſed prius lege Voconia ex S. C. ſolutam; eandemque in familiam Iuliam, conceſſa etiam appellatione Auguſtæ, adſumſerat. Secundos hæredes, Druſum

TESTAMENTVM AVGVSTI.

LIVIA IVLIA AVGVSTA APPELLATA.

Tiberij

A Tiberij filium ex triente; & ex dodrante Germanicum, liberosq; eiusdem tres, Drusum, Neronem, & Caium iam tum recens natum: tertio gradu propinquos amicosque complures adscripserat. Populo Romano quadringenties, Tribubus autem tricies quinquies sestertiûm legauit. Prætorianis militibus singula millia nummûm; cohortibus Vrbanis quingenos, legionariis verò trecenos viritim nummos; quam summam repræsentari iussit. nam eandem in numerato depositam in hunc vsum seruarat. Reliqua legata variè dedit; produxitque quædam ad vicena millia sestertiûm: quibus persoluendis annuum diem præfiniuit, excusata rei familiaris mediocritate: nec plus ad hæredes suos
B peruenturum quàm millies & quingenties professus: quamuis viginti proximis annis quater decies millies ex amicorum testamentis percepisset; quod penè totum cum duobus patrimoniis, ceterisque hæreditaribus in Rempublicam impendisset. Iulias filiam & neptem, si quid iis humanitus accidisset, vetuit suo sepulchro inferri. E tribus reliquis voluminibus vno complexus fuerat mandata de funere suo: altero indicem rerum à se gestarum, quem incidi volebat æneis tabulis, quæ ante Mausolæum ipsius statuerentur. Tertio Breuiarium totius imperij inscripsit: quantum militum sub signis vbique esset; quantum pecuniæ in ærario & fiscis & vectigalium residuis: adiecerat & liberto-
C rum seruorumque nomina, à quibus ratio exigi posset. Addiderat & consilium coërcendi intra præscriptos à se terminos imperij, incertum metu'ne, an per inuidiam. Post testamentum recitatum, Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est, vt inter cetera quidam censuerint, funus triumphali porta ducendum, prælato aureo Victoriæ simulachro, quod erat in Curia, præcinentibusque næniam Principum liberis vtriusq; sexus. Præter hæc Asinius Gallus & L. Arruntius censuêre, vt legum ab ipso latarum tituli, & victarum ab eo gentium nomina anteferrentur. Alij exsequiarum die tanquam in luctu publico, ponendos annulos au-
D reos, ferreosque sumendos: nonnulli ossa per summorum collegiorum Sacerdotes legenda. Fuit & qui appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam suaderet: quòd hoc genitus Augustus, illo defunctus esset. Alius vt omne tempus à prima die Natalis vsque ad exitum eius, Sæculum Augustæum appellaretur, & ita in fastos referretur. Patres vniuersi magno consensu atque acclamatione censebant corpus ad rogum humeris Senatorum efferendum. Verùm monente Tiberio, honoribus modus adhibitus est; laudatusq; Augustus bifariam; pro æde scilicet Diui Iulij à Tiberio, & pro Rostris sub veteribus Tabernis à Druso Tiberij filio; Senatorumque humeris in

FVNVS AVGVSTI.

Campum Martium delatus, ibidem crematus est. Multus hinc de Augusti vita sermo; quæ apud prudentes variè commendabatur, vel accusabatur. Ceterùm reliquias legerunt primores Equestris ordinis tunicati, & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausolæo condiderunt: quod opus, vt diximus, sexto suo Consulatu inter viam Flaminiam ripamque Tiberis exstruxerat: siluasque circumiectas & ambulationes in vsum populi publicarat. Ceterùm, sepultura ex more peracta, Templum, & cælestes religiones decernuntur: consecratusque Augustus inter Diuos relatus est. Numerius Atticus vir Prætorius à Liuia decies sestertiûm acceperat, vt iuraret se cremati effigiem in cælum vidisse subeuntem. Eam diuinitatem euidentissimis ostentis præcognitam fuisse, multi scriptores prodidêre. Quia quo tempore postremum conderet Lustrum, ex inscriptione statuæ eius prima nominis litera in voce Cæsar ictu fulminis elisa est: responsumque est, Centum dumtaxat dies posthac superuicturum; quem numerum C. litera notaret: futurumque vt inter Deos referretur, quod ÆSAR, id est, reliqua pars Etrusca lingua DEVS vocaretur. Annotatum & hoc inter eiusdem temporis prodigia, quòd Solis globus obiectu Lunæ centesimo ferè antequam Augustus excederet die totus tegeretur. Primum noui principatus Tiberij augurium fuit, Posthumi Agrippæ cædes, quem eius rei ignarum inermemque valentissimus Centurio ægrè confecit. Tiberius statim à defuncto Augusto, signum Prætoriis cohortibus vt Imperator dederat; excubias, arma, cetera aulæ inuaserat; miles in forum, miles in Curiam comitabatur; literas ad exercitus tanquã adepto Principatu miserat; nusquam cunctabundus, nisi quum in Senatu loqueretur. Causa ipsi cunctationis præcipua ex metu erat; ne Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud Populum fauor, habere Imperium, quàm exspectare mallet. Cupiebat & id vulgo persuasum, & apud bonos, vt vocatus electusq; potius à Republica, quàm per malas Liuiæ artes, & ex senili adoptione ad Imperium obrepsisse videretur. Postea compertum est, ipsum ad Imperium suscipiendum tantum simulationis & artis adhibuisse, vt Procerum Optimatiumque in se voluntatem exploraret: nam verba vultusque singulorum altius in animo suo recondebat, vt per occasionem ea vlcisceretur. Ceterùm, de ipsius rebus gestis, vitaque, seorsim scripturi sumus.

AVGVSTVS CONSECRATVR.

TI. CAESAR IMPERIVM ACCIPIT.

A B C D

VITA

VITA AVGVSTI FAMILIARIS ET DOMESTICA.

Ex Suetonio potißimùm deſcripta.



QVALIS in imperiis ac magiſtratibus, regendaque per terrarum Orbem pace belloq; Republica Auguſtus fuerit, prolixè ſatis ex hiſtoria noſtra Auguſta cognoſci poteſt. Nunc domeſticam, ac familiarem eius vitam, quibusque moribus, & qua fortuna domi, & inter ſuos egerit à iuuenta vſque ad ſupremum vitæ diem, ſimul & de maioribus natalibusque eiuſdem referemus. Gentem Octauiam, ex qua genus duxit, olim Velitris (quæ Volſcorum vrbs in Latio erat) nobiliſsimam fuiſſe conſtat. Eà à Tarquinio Priſco Rege inter minores gentes allecta in Senatum, mox à Ser. Tullio in Patricias relata, procedente tempore ad plebem tranſiit: ac rurſus per Diuum Iulium magna vi in Patriciatum rediit. Primus ex hac gente magiſtratum cepit C. Octauius Rufus. Is Quæſtorius Cnæum & Caium procreauit: à quibus duplex inde gens Octauia defluxit; altera nobilis & imaginibus clara, altera Equeſtris tantùm. Siquidem Cnæus, & ab eo deinceps reliqui omnes functi ſunt honoribus. At Caius eiusque poſteri, ſeu fortuna, ſeu voluntate, in Equeſtri ordine nullo magiſtratu functi vſque ad Auguſti patrem permanſêre. Proauus Auguſti ſecundo bello Punico, ſtipendia in Sicilia Tribunus militum fecit ſub L. Aimilio Papo Imperatore. Auus municipalibus magiſteriis contentus, opulento patrimonio magna cum animi tranquillitate conſenuit. Ipſe Auguſtus ſe Equeſtri tantùm familia, veteri quidem ac locuplete, ſed in qua ante patrem ſuum, qui primus in ea Senator fuerat, nulli honores extitiſſent, ſe ortum ſcribit. Octauius enim pater ipſius à principio ætatis & re & exiſtimatione magna fuit. Amplis enim innutritus opibus, honores & adeptus eſt facillimè, & cum laude adminiſtrauit. Ex Prætura Macedoniam ſortitus, fugitiuos reſiduamque Spartaci gladiatoris, & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, negocio ipſi in Senatu extra ordinem dato, ex itinere deleuit. Prouinciæ quoque Macedoniæ non minore iuſticia, quàm fortitudine & rei militaris peritia præfuit. Beſsis namque ac Thracibus magno prælio fuſis; talem ſe erga ſocios præbuit; vt M. Tullius Cicero Quinctum Fratrem eodem tempore parum ſecunda fama Aſiam pro Conſule adminiſtrantem hortaretur, & moneret, vt in promerendis ſociis vicinum ſuum Octauium imitaretur. Macedonia decedens prius quàm ſe Conſulatus candidatum profiteri poſſet, nullo manifeſto morbo Nolæ manè dum calcearetur, extinctus eſt; ſuperſtitibus liberis Octauia maiore, quam ex Ancharia; item Octauia minore, & Caio (qui poſtea Auguſtus appellatus eſt) quos ex Attia tulerat. Attia M. Atio Balbo, & Iulia ſorore C. Cæſaris Dictatoris genita erat. Balbus paterna ſtirpe ex Aricia municipio oriundus, multis in familia Senatoriis imaginibus; materna verò Pompeium Magnum arctiſſimo gradu contingebat. Functusque Prætura inter Viginti viros agrum Campanum plebi lege Iulia diuiſit. Natus eſt Auguſtus M. Tullio Cicerone, C. Antonio Coſs. nono Kalendas Octobris. Infanti cognomen Thurino inditum eſt; quòd pater eius (vt memorauimus) in agro Thurino recens eo nato, aduerſus fugitiuos proſperè rem geſſerat. Poſtea ex teſtamento Cæſaris maioris auunculi C. Iulius Cæſar appellatus eſt; deinde (vti ſupra retulimus)

GENS OCTAVIA.

OCTAVIA PATRICIA.

OCTAVIA PLEBEIA.

NATALIS AVGVSTI.

ex Munatij Planci sententia Augusti cognomen assumsit. Quadrimus patrem amisit: duodecimum agens annum auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit. A

PRIMA MILITIA AVGVSTI.

Quadriennio post sumta virili toga, donis militaribus triumpho Cæsaris Africano donatus est: quanquam expers belli propter ætatem. Mox Cæsarem auunculum in Hispanias aduersus Pompeij liberos profectum, vixdum à graui valetudine firmus, per infestas hostibus vias paucissimis comitibus, naufragio etiam facto subsecutus, magnoperè eundem sibi demeruit: Cæsare super itineris industriam etiam morum indolem approbante. Ea in expeditione dum Cæsar apud Mundam castris locum caperet, siluamque cæderet, arborem palmæ repertam conseruari, vt omen victoriæ, iussit. Ex eadem continuò enata soboles adeò paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modò matricem, verumetiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis: quamuis id auium genus duram & asperā frondem maximè vitare soleat. Hoc præcipuè ostento Cæsarē motum ferunt, ne quem alium sibi succedere, quàm sororis suæ nepotē vellet. B

Cæsare post receptas Hispanias, expeditionem in Dacos, & inde in Parthos destinante, Octauius Apolloniam præmissus, studiis operam nauauit. Ibi quum Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa ascendisset, & Agrippæ, qui prior cōsulebat, magna & penè incredibilia prædicerentur, reticere ipse genituram suam, nec edere velle perseuerabat, metu ac pudore ne minor Agrippa inueniretur. Qua tamē vix tandem post multas admonitiones & cunctanter edita, exsiliuit Theogenes, adorauitque eum. Hinc tantam mox fati fiduciam Augustus habuit, vt siderum sub qua natus esset

GENITVRA AVGVSTI.

compositionem vltrò vulgauerit, nummosq; complures cum nota sideris Capricorni sub quo natus erat, percusserit. Post Cæsaris cædem reuerso ab Apollonia, & Vrbem ingrediente, repentè liquido ac puro cælo, circulus ad speciem arcus cælestis orbem Solis ambiit, ac subinde Iuliæ Cæsaris filiæ monumentum fulmine ictum est: ceterùm statim vt in Vrbem venit, hæreditatem Cæsaris adiit: quanquam matre dubitante, ac Marcio Philippo vitrico Consulari multum etiam dissuadente: comparatisq; ab eo tempore exercitibus, primùm cum M. Antonio ac Marco Lepido, dein cum Antonio tantùm per duodecim annos, nouissimè per quatuor & quadraginta solus Rempublicam tenuit. C

SPONSAE ET VXORES AVGVSTI.

Sponsam habuit adolescens P. Seruilij Isaurici filiam: sed reconciliatus Antonio post bellum Mutinense, postulantibus vtriusque partis militibus, vt & necessitudine aliqua sibi inuicem iungerentur, priuignā eius Claudiam Fuluiæ ex P. Clodio filiam vixdum nubilem vxorem duxit. Hanc postea simultate cum Fuluia socru belloque Perusino exorto, intactam adhuc & virginem dimisit. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam antè duobus Consularibus, & ex altero etiam matrē: cum hac etiam diuortium fecit, pertæsus morum eius peruersitatem. M. tamen Antonius obiecit, Scriboniam dimissam, quòd illa liberius doluisset nimiam pellicis potentiam: ac statim Liuiam Drusillam à matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitq; vnicè ac perseueranter. Ex Scribonia Iuliam, ex Liuia nihil liberorum tulit, quū maximè cuperet: infans qui conceptus fuerat, immaturus est editus. D

IVLIA AVG. FILIA.

Iuliam, vti supra retulimus, primùm Marcello Octauiæ sororis suæ filio vixdum pueritiam egresso; deinde postquam is obiit, M. Agrippæ nuptui dedit, exorata sorore vt sibi genero cederet; nam tunc Agrippa alterā Marcellarum, & ex ea liberos habebat. Hoc quoq; defuncto, multis ac diu etiam ex Equestri ordine circumspectis, Tiberium priuignū suum elegit: coëgitq; Vipsamiā Agrippæ filiam prægnantē, & ex qua Drusum genuerat, dimittere. M. Antonius scriptū reliquit, primùm eum Antonio filio suo Iuliam despondisse, dein Cotisoni Getarum Regi: quo tempore sibi quoq; inuicē filiam Regis in matrimoniū petisset. Nepotes ex Agrippa & Iulia tres habuit, Caiū, Luciū,

&

A & Agrippā: neptes duas, Iuliam, & Agrippinā. Iuliam L. Paullo Censoris filio, Agrippinam Germanico sororis suæ ex Antonia minore nepoti collocauit. Caiū & Lucium domi adoptauit per æs & librā, siue per emancipationē emtos à patre Agrippa: eosq; teneros adhuc, vt supra tradidimus, ad Reipublicæ curā admouit, & Principes iuuentutis, ac Consules designatos, circum prouincias exercitusq; dimisit. Iuliam filiam & neptes ita instituit, vt etiam lanificio assuefaceret, vetaretq; loqui aut agere quidquā nisi propalam, & quod in diurnos cōmentarios referretur. Extraneorū quidem cœtu adeò prohibuit, vt L. Tucinio claro decoroq; iuueni quōdam scripserit, parū modestè eum fecisse, quòd filiam suam Baias salutatū venisset. Nepotes suos litteras, & natare, aliaq; rudimenta per se plerumq; docuit: ac nihil æquè laborauit, quàm vt manū suam scribendo imitaretur. Neq; cœnauit vnà, nisi vt in imo lecto assiderent; neq; iter cum eis fecit, nisi vt vehiculo anteirent, aut circum adequitarent. Ceterùm vt fortuna ipsi

NEPOTES ET NEPTES AVG.

LIBERORVM EDVCATIO.

B in Republica constituenda prospera fuit ac valida: ita eum lætum fidentemq; sobole & disciplina domestica destituit. Iulias enim filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegauit. Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio ambos amisit: Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. Tertium itaque nepotem Agrippam, simulq; priuignum Tiberium lege curiata in foro adoptauerat. Ex quibus Agrippam breui ob ingenium sordidum ac ferox abdicauit, seposuitq; Surrentū. Ex nepte verò Iulia infantem post damnationem editum agnosci aliq; vetuit. Ipse autem Augustus in ceteris vitæ partibus continentissimus, circa libidines & aleæ lusum hæsisse traditur. Habitauit primò iuxta forum Romanum supra scalas Annularias, in domo quæ Calui Oratoris fuerat: postea in Palatio, in ædibus Hortensianis, iisq; modicis, & neq; laxitate, neq; cultu conspicuis. Ac per annos amplius quadraginta eodem in cubiculo

DOMVS AVG.

C hieme æquè ac æstate mansit: & quamuis aliàs parum salubrem valetudini suæ Vrbem hieme experiretur, assiduè tamē in Vrbe hiemabat. AEger autem in domo Mæcenatis cubabat. Ex secessibus præcipuè frequentauit maritima, insulasq; Campaniæ, aut proxima Vrbi oppida, Lauinium, Præneste, & Tibur: vbi etiam in porticu templi Herculis ius persæpe dixit. Ampla & operosa ædificia fastidiebat: & neptis quidem suæ Iuliæ, vtpote profusè ab eadem exstructa, ad solum vsq; diruit. Sua verò quàuis modica non tam statuarū Tabularumq; pictarū ornatu, quàm porticibus & nemoribus excoluit, rebusq; vetustate aut raritate notabilibus: qualia Capreis erāt immaniū belluarū ferarumq; membra prægrandia, quæ dicūtur Gigantū ossa, & Heroū arma. Instrumēti quoq; eius & supellectilis parsimonia adparebat ex residuis lectis atq; mensis, quorū pleraq; vix priuatæ elegantiæ erāt. Ne toro quidē cubuisse aiunt, nisi humili & modicē instrato. Veste nō temerè alia quàm domestica vsus est, eaq; ab vxore, sorore, & filia

SECESSVS AVGVSTI.

AEDIFICIA PRIVATA.

SVPELLEX.

D neptibusq; cōfecta: togis neq; arctis, neq; laxis: clauo nec lato, nec angusto, sed veste inter Senatoriam & Equestrē media: calceamentis verò altiusculis, vt procerior quàm erat, videretur. Et forensia calceosq; nunquā nō intra cubiculū habuit, ad subitos repētinosq; motus parata. Conuinabatur assiduè, nec vnquā nisi recta, vt pleno cōuiuio & lauticiis instructo exciperet cōuiuas: idq; nō sine magno ordinū hominūq; delectu. Cōuiuia nonnunquā & serius inibat, & maturius relinquebat, quū conuiuæ & cœnare inciperēt, priusquā ipse discumberet, & permanerēt eodem digresso. Cœnam ternis ferculis, quū abundantissimē, senis præbebat: vt nō nimio sumtu, ita summa comitate. nam ad cōmunionem sermonis tacētes, vel etiam submissius cōfabulātes prouocabat: & aut acroamata & histriones, aut etiam triuiales ex Circo ludios interponebat, ac frequētissimè aretalogos. Cibi minimi erat, atq; vulgaris ferè. Secundariū panē, pisciculos minutos, caseum bubulū manu pressum, & ficos virides biferas maximè appetebat.

VESTITVS.

CONVIVIA.

COENA.

CIBVS.

Vescebatur etiam ante cœnam quocunque tempore & loco quo stomachus desiderasset. Ex hac inobseruantia nonnunquam vel ante initum, vel post dimissum conuiuium solus cœnitabat, quum pleno conuiuio nihil degustaret. Vini quoque natura parcissimus erat: nec amplius quàm ter bibere eum super cœnam solitum in castris apud Mutinam Cornelius Nepos auctor est. Quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes non excessit; aut si excessisset, reiiciebat. E vinis maximè delectatus est Rhetico; vt Liuia Pucino, quod iuxta Timauum in Hadriatico sinu nascebatur; referebatque eadem vino Pucino acceptum, quòd ad LXXXII. ætatis annum vitam produxisset. Augustus postea etiam Setino vsus traditur. Ceterùm non temerè interdiu bibebat: verùm ad sedandam sitim pro potione sumebat perfusum aqua panem, aut cucumeris fructum, vel lactulæ Thyrsum, aut recens acidúmve pomum succi vinosioris. Post cibum meridianum, ita vt vestitus calceatusq; erat, rectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat: ibi donec residua diurni actus aut omnia, aut maxima ex parte conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius quumplurimùm quàm septem dormiebat horas, ac ne eas quidem continuas; sed vt in illo temporis spacio ter aut quater expergisceretur: si interruptum somnum recuperare non posset, lectoribus, aut fabulatoribus accersitis resumebat somnum, atque vltra primam sæpe lucem producebat. Nec in tenebris vigilauit vnquam, nisi assidente aliquo. Matutina vigilia offendebatur; ac si vel officij, vel sacri causa maturius vigilandum esset, ne id contra valetudinis rationem faceret, in proximo cuiuscunque domesticorum cœnaculo manebat: sic quoque frequenter indigens somni, vt dum per vicos deportaretur, deposita lectica inter aliquas moras condormiret.

POTVS. QVIES POMERIDIANA. SOMNVS. VIGILIA. A B

Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima: quanquam omnis lenocinij negligens, & in capite comendo tam incuriosus, vt raptim compluribus simul tonsoribus operam daret; ac modò tonderet, modò raderet barbam: eoque ipso tempore, aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat vel in sermone, vel tacitus adeò tranquillo serenoque, vt quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eò se inhibitum & remollitum, quò minus in transitu alpium per colloquij simulationem propius admissus, in præcipitium, vti destinarat, propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam inesse quiddam diuini vigoris existimari volebat; gaudebatque si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem Solis vultum summitteret: sed in senecta sinistro minus vidit. Dentes raros & exiguos & scabros habuit: capillum leuiter inflexum & subflauum: supercilia coniuncta: mediocres aures: nasum à summo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem inter aquilum & candidum: staturam breuem: quam tamen Iulius Marathus libertus quinque pedum & dodrantis fuisse tradit: sed quæ commoditate & æqualitate membrorum occulebatur, vt non nisi ex procerioris alicuius & adstantis comparatione notari posset. Cute traditur fuisse maculosa, dispersis per pectus atque ventrem notis cum ipso natis, in modum, ordinem, ac numerum cælestis Vrsæ: sed & callis quibusdam ex corporis prurigine, assiduoque & vehementi strigilis vsu plurifariam contractis, ad impetiginis formam. Coxendice, fœmore, & crure sinistro non satis expeditè vtebatur, vt sæpius etiam ab eo claudicaret: sed remedio arenarum calentium & arundinum confirmabatur. Dextræ quoque manus digitum salutarem tam imbecillem interdum sentiebat, vt torpentem frigoreque contractum vix scripturæ etiam cornei circuli supplemento admoueret. Questus est & de vesica, cuius dolore calculis demùm per vrinam eiectis leuabatur. Graues & periculosas valetudines aliquoties passus

FORMA CORPORIS. VVLTVS. OCVLI. VALETVDO. C D

A passus est: præcipuè domita Cantabria, quum etiam iecinore destillationibus vitiato ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem medendi rationem necessariò subijt, auctore Antonio Musa Medico, quòd calida fomenta non prodessent, frigidis curari coactus. Quasdam etiam anniuersarias & certo tempore recurrentes experiebatur: nam sub natalem suum plærumque languebat, & veris initio præcordiorum inflatione & melancholia tentabatur, austrinis verò tempestatibus grauedine: quare quassato corpore neque frigora, neque æstus facilè tolerabat. Hiemo quaternis cum pingui toga tunicis, subucula, thorace laneo, fœminalibus, & tibialibus muniebatur. Aestate apertis cubiculi foribus, ac sæpè in peristylio locoq; vndique columnis septo, sed aperto, cum saliente aqua, atque etiam aliquo ventilante cubabat. Solis verò ne hiberni quidem patiens: domi quoque non nisi petasatus sub dio spatiabatur. Itinera lectica, & noctu ferè, eaque lenta, ac minuta faciebat: vt Præneste, vel Tibur, biduo
B procederet: ac si quò peruenire mari posset, potius nauigabat. Verùm corporis imbecillitatem magna cura tuebatur, imprimis lauandi raritate. Vngebatur sæpius: sudabat ad flammam: perfundebatur tepida aqua, vel multo Sole calefacta. At quoties neruorum causa marinis Albulisque in Tiburtino agro scaturientibus, iisque calidis vtendum erat, contentus eo erat, vt insidens ligneo solio manus & pedes alternis vicibus iactaret. Exercitationes campestres equorum & armorum statim post ciuilia bella omisit: & ad pilam primò, mox ad folliculum transiit. Deinde nulla alia exercitatione vtebatur, quàm vt vectaretur, & deambularet, ita vt in extremis spatiis subsultim decurreret, festicula vel lodicula inuolutus. Animi laxamenti causa modò piscabatur hamo, modò talis nucibusque ludebat, etiam cum pueris minutis, quos facie & garrulitate gratiosos vndique conquirebat, præcipuè Mauros & Syros: nam pumilos atque distortos & omnis generis eiusdem, vt ludibria naturæ maliquе ominis abhorrebat. Eloquentiam studiaque liberalia prima ætate cupidè & laboriosissimè exercuit: ita vt Mutinensi bello, in tanta mole rerum & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie tradatur. Nam deinceps neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutus est vnquam, nisi præmeditata & composita oratione: quamuis ad subita non deesset facultas extemporalis. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut tempus in discendo consumeret, instituit omnia è scripto recitare; primusque eius rei auctor fuit. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores non nisi in scriptis & è libello habebat, ne plus minúsve loqueretur. Ex tempore pronunciabat dulci & proprio quodam oris sono: dabatq; assiduè operam phonasco, qui vocem eius formaret & moderaretur: sed affectis nonnunquam ex valetudine faucibus, præconis voce ad populum concionatus est. Multa
D varij generis soluta oratione conscripsit: è quibus nonnulla in cœtu familiarium, tanquam in auditorio recitabat: veluti rescripta Bruto de Catone; quæ volumina quum iam senior magna ex parte legisset, fatigatus, Tiberio perlegenda tradidit. Item hortationes ad Philosophiam: & de vita sua, quàm tredecim libris vsque ad Cantabricum bellum, nec vltra exposuit. Poëticam summatim attigit. Inter cetera librum Hexametris versibus conscripserat, cuius argumentum, & titulus erat Sicilia. Scripserat & Epigrammatum libellum, quæ ferè balnei tempore meditabatur. Nam Tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stylo aboleuit: quærentibusque amicis, quidnam Aiax ipsius ageret? respondit, Aiacem suum in spongiam incubuisse. Genus eloquentiæ secutus est elegans & temperatum, vitatis sententiarum ineptijs, atque inconcinnitate, & reconditorum (vt ipse dicere solebat) verborum fœtoribus: præcipuamque curam duxit, sensa mentis quàm apertissimis verbis

CVRA VALETVDINIS.

EXERCITATIONES.

ELOQVENTIA.

ORATIONES

PRONVNCIATIO.

LVCVBRATIONES.

POEMATA.

verbis exprimere. Hinc eos qui imitationem aliquam infeliciter affectabant, aut obsoletorum verborum studiosos vt diuerso genere vitiosos, pari fastidio spreuit. In quotidiano sermone quædam frequentius & notabiliter eum vsurpasse, etiam literæ ipsius autographæ ostendebant: vt pro stulto baceolum, pro insano vacerrosum, vapidè se habere, pro malè. Notatum quoque in eius chirographis, nulla ipsum diuidere verba solitum: nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum versum transferre; sed ibidem statim subijcere, ac linea circumducere. Formulam rationemque scribendi à Grammaticis institutam non vsquequaque obseruabat: eorum potius opinionem sequutus, qui perinde scribendum, ac loquendum existimabant. Quoties autem per notas scribebat, b pro a, c pro b, ac deinceps eadem ratione sequentes literas pro præcedentibus ponebat. Ne Græcarum quidem disciplinarum leuiore studio tenebatur, in quibus & ipsis excellebat: magistro dicendi vsus Apollodoro Pergameno, quem iam grandem Apolloniam quoque secum ab Vrbe iuuenis adhuc eduxerat. Deinde eruditione varia excultus, Arei Philosophi (quem alij Speratchum nominant) filiorumque eius Dionysij & Nicanoris contubernium iniit: non tamen vt aut loqueretur expeditè, aut componere aliquid auderet: nam & si quid res exigeret, Latinè formabat, vertendumque alij dabat. In euoluendis vtriusque linguæ auctoribus nihil æquè sectabatur, quàm præcepta & exempla publicè vel priuatim salubria: eaque ad verbum excerpta, mittebat ad domesticos, aut ad exercituum prouinciarumque rectores, aut ad magistratus vrbanos. Quod autem ad Religionem attinet, tonitrua & fulgura paulò infirmius extimescebat: ita vt semper & vbique pellem vituli marini pro remedio circumferret, atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem in abditum & concameratum locum se reciperet. Somnia neque sua, neque aliena de se negligebat. Ipse per omne ver plurima & formidolosa, sed vana & irrita videbat: reliquo tempore rariora & minus vana. Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat è populo, cauam manum asses porrigentibus præbens. Auspicia & omina quædam pro certissimis obseruabat: sicuti si manè sibi perperam calceus, ac sinister pro dextro induceretur, vt dirum: quia meminerat læuum sibi pro dextro inductum, quo die militari prope seditione afflictus erat. Si terra mari've ingrediente se longinquam profectionem fortè vocasset, vt lætum, maturique & prosperi reditus. Obseruabat & dies quosdam, ne aut postridie Nonas quoquam proficisceretur, aut Nonis quidquam seriæ rei inchoaret: nihil in hoc quidem aliud deuitans, vt ad Tiberium scripsit, quàm nominis δυσφημίαν. Sunt quibus id quoque studio fuit, omnia quæ Augusto euenerunt aduersa summatim complecti, vt eo argumento probarent, nihil in rebus humanis ab omni parte beatum. Inter hæc, repulsam in magisterio Equitum apud Cæsarem; & contra voluntatem eius prælatum Lepidum: proscriptionis inuidiam; collegium in Triumviratu pessimorum ciuium, nec æquali saltem potestate, præualente ferè semper Antonio: Philippensi prælio morbum: fugam turpem, & ægrotantis per triduum latebras in palude, & aqua intercute turgidi: tot Sicula naufragia, & alteram ibidem quoque in spelunca occultationem: mox in fuga nauali & vrgente hostium incursu preces ad Proculeium, vt sibi morituro manum commodaret. Itidem Perusini motus curam: belli Actiaci sollicitudinem: bello Pannonico ruina pontis afflictum: tot militum seditiones: tot ancipites corporis morbos: mox suspecta Marcelli vota: pudendam Agrippæ ablegationem: vitam tot insidijs obnoxiam: præproperam Caij & Lucij vitam: luctumque non tantùm orbitate tristem, sed & filiæ adulterio contumeliosum, & consilia patricidæ indicata: Priui-

Margin notes: SCRIPTVRA. ORTHOGRAPHIA. RELIGIO. SOMNIA. AVSPICIA. ADVERSA.

Section letters (right margin): A B C D

Priuigni Neronis in Rhodum secessum: aliud mox Neptis adulterium: cumulata deinde tot mala ob stipendiorum inopiam: rebellionem Illurici: seruitiorum delectus: iuuentutis penuriam: pestilentiam Vrbis: famem sitimque Italiæ. Adhæc cladem Varianam: fœdam tantæ Maiestatis suggillationem: Posthumi Agrippæ abdicationem post adoptionem, eiusdemque desiderium post relegationem: inde suspicionem in Fabium Maximum, arcanorumque proditionem: hinc vxoris & Tiberij cogitationes: supremam eiusdem curam. Denique ipsam destinationem exspirandi, & quatridui, qua contabuerat, inediam obseruarunt. In summa, Diuus ille hærede hostis sui filio, eo quo in historia eiusdem retulimus modo, excessit.

MOS CONSECRANDI IMPERATORES ET AVGVSTAS.

Ex Dione & Herodiano.


Romanis mos erat à Cæsare Augusto primùm institutus, deinde à Tiberio instauratus, eos consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs vel successoribus moriebantur: quique eo erant honore affecti, inter diuos relati dicebantur. Sic primus omnium Augustus Iulium Cæsarem, Tiberius Augustum mortuos consecrarunt. Quum Imperator Vita functus consecrandus erat, tota Vrbe primùm quasi luctus quidam esse videbatur, festæ celebritati promiscuus: quippe functum Vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliebant; ceream deinde imaginem defuncto quàm simillimam fingebant, eamque in palatij vestibulo propositam supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis, locabant. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbebat. Circa lectum verò vtrimque magnam partem diei sedebant: à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextera verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestabat. Harumque nulla vel aurum gestans vel ornata monilibus conspiciebatur, sed vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbebant. hæc ita per septem dies continuos faciebant, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumque veluti ægrum deterius se habere subinde pronuntiantibus. Dein vbi iam visus esset obijsse diem, lectum humeris attollebant Equestris Senatorijque ordinis nobilissimi ac lectissimi iuuenes, perque viam sacram in vetus forum deferebant, vbi Magistratus Romani deponere imperium consueuerant. Exstructum autem erat in ipso Romano foro coloris lapidei tribunal ligneum, super quod ædificium quoddam fabrefactum erat, quod columnæ vndique substinebant, eratque ebore vanè ornatum & auro: eò allatus fuerat alius lectus consimilis, cui stragulis purpureis atque auro intextis ornato erant circum capita belluarum terræ marisque; in eoque statuam ceream Principis consecrandi, vt dixi, ex palatio allatam ornatu triumphali collocabant, à qua puer egregia forma ita vt Imperator dormiret, pennis pauonis muscas abigebat. Ea ita iacente superstites Imperatores, & Senatus, Senatorumque vxores vestibus ijsdem induti accedebant pone lectum, dum in forum ipsi deuenissent. Vbi mulieres quidem in porticibus, Senatus verò sub dio sedebant. Ab vtraque autem fori parte, gradus quidam erant ad scalarum similitudinem exstructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus erat,

è nobilissimis atque patricijs, altera fœminarum illustrium hymnos in defunctum poeanasque canentium, verendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus ita dispositis, funebris pompa in foro inchoabatur extra vrbem in campum Martium tendens. Primùm antè ferebantur statuæ omnium veterum Romanorum illustrium qui vnquam ab ipso Romulo, vsque ad eius consecrationis tempus fuissent. Deinde prouinciarum & nationum omnium quæ Romano Imperio subiectæ erant ænea simulachra, variis distincta ornamentis, vt erat cuiusque gentis patria consuetudo. Sequebantur pòst varia genera ciuium, lictorum, scribarum, præconum, & qui sunt eiusdem generis. Sequebantur deinceps signa diuersorum illustrium virorum, quos præclare fecisse aliquid aut excogitasse, aut in aliquo studio floruisse constaret. Veniebant postea equites ac pedites armati, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant, quæ ab ipsis Principibus & Senatoribus, eorum vxoribus, & à clarissimis equitibus, ac populis, & à ciuium congregatione missa fuerant. Postremò ferebatur altare inauratum, ornatumq; ebore & lapillis Indicis. Quæ postquã transierant, Imperator viuus Rostra ascendebat, defunctumque Imperatorem laudabat. Quumque oraret, crebrò à Senatoribus adstantibus exclamabatur, partim laudantibus defunctum, partim lugentibus: sed oratione habita multò magis id factitabant, ac tandem quum lectus de loco in quo erat, moueri oporteret, omnes simul Senatores lamentabantur ac flebant. Quibus peractis, iterum lectum à tribunali tollebant Pontifices & Magistratus, non modò qui tum erant, sed etiam hi, qui in sequentem annum designati fuerant, eundemque postea tradebant nonnullis Equitibus ferendum. Pars Senatorum lectum anteibat, ex quibus multi dolere se simulabant, quæridas voces emittendo, multi canebant flebile carmen ad tibias. Imperatores postremi seqnebantur. Ita extra Vrbem in Martium campum veniebant. Vbi quà latißimè campus patet, rogus siue suggestus quidam specie quadrangula, lateribus æquis assurgebat, nulla præterquàm lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam: id quidem interius totum erat aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro stragulis, atque eboreis signis, variisque picturis exornatum: supra verò alterum minusculum quidem tabernaculum positum erat, sed forma & ornatu persimile, portis ianuisque patentibus. Tertium item, & quartum, semper superiore tabernaculo contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium breuißimum, perueniebatur. In summo eius currus inauratus, quo mortuus Imperator olim vehebatur, collocatus erat. Potest eius ædificij forma comparari turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas stationes dirigunt, Phari vulgò appellantur. Eius quoque tabernaculi formam adhuc in antiquis numismatibus Sabinæ Augustæ, Antonini Pij, Faustinæ Augustæ, & matris & filiæ, M. Aurelij Antonini, L. Aurelij Veri, P. Heluij Pertinacis, L. Septimij Seueri, & Iuliæ Piæ Augustæ consecratorum aliquando vidi. Igitur lecto in secundum tabernaculum, quod primo contractius est sublato, atomata & suffimenta omnis generis, fructus, herbasque, & succos omnes odoratos conquisitos aceruatim effundebant. Quippe neque gens erat, neque ciuitas, neque qui honore vllo aut dignitate præcelleret, quin certatim pro se quisque suprema illa munera Principis honori deferrent. Vbi verò ingens aromatum, ac eorum, quæ parentandi caussa allata fuerant, suffimentorum aceruus magnus aggestus est, ac locus omnis oppletus, Imperator superstes, ceterique Imperatoris mortui propinqui eius statuam osculabantur: quo facto Princeps in tribunal conscendebat, Senatores verò exceptis Magistratibus, in tabulata parata asidebant, vt tutò simul & commodè spectarent quæ gerebantur.

Magistra-

Magiſtratus & ceteri ex ordine collocabantur vt cuiuſque dignitas poſtulabat. Tum circa ædificium illud adequitabant vniuerſi Equeſtris Ordinis certa quadam lege ac recurſu motuque pyrrhichio numeroque in orbem decurrentes: pedites quoque circum ipſum rogum curſus vrbanos & confictos peragebant. Currus item circumagebantur inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferebant ducum omnium Romanorum Principumque illuſtrium. Quæ vbi celebrata erant, facem capiebat Imperij ſucceſſor, eamque tabernaculo admouebat, tum Conſules primò, ceterique omnes Magiſtratus, & alij ordine vndique ignem ſubijciebant, cunctaque illicò fomitibus illis aridis odoramentiſque referta, igni valido corripiebantur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tanquam è faſtigio quodam, ſimul cum ſubiecto igni aquila dimittebatur, quæ in cœlum ipſam Principis animam deferre credebatur. Ac iam ex illo vnà cum ceteris Numinibus Imperator defunctus colebatur. Hæc autem habeo ex Pertinacis & Seueri conſecrationibus à Dione & Herodiano deſcriptis: quibus, quò omnia accuratius percipiantur, Auguſti quoque conſecrationem adijciam à Dione ita deſcriptam: Poſtquam eiuſmodi præcepta recitata ſunt, funus Auguſti ducitur. Erat lectus ex ebore & auro factus ſtratus; atque ſtragulis purpureis auroque intextis ornatus, ſubter quem tanquam in feretro corpus eius iacebat occultum. Ante omnia verò ſtatua eius cerea veſtitu triumphali videbatur, eaque ex palatio ferebatur ab iis qui in ſequentem annum Magiſtratus deſignati fuerant: deinde ex curia altera aurea, tertia curru triumphali vehebantur, ferebanturque ſtatuæ maiorum ipſius atque propinquorum, qui è vita diſceſſerant, vno tantùm Cæſare excepto, propterea quòd iam eſſet in Deorum numerum relatus: portabantur deinde ſtatuæ ciuium Romanorum omnium, quicunque in Magiſtratu vnquam ab ipſo Romulo ad ea vſque tempora fuiſſent. Sed & quædam Cn. Pompeij Magni ſtatua ferri viſa eſt. Aderant etiam omnes prouinciæ & nationes pictæ, quæ aut in ſocietatem ab ipſo acceptæ, aut deuictæ fuerant. Eadem propemodum ratione mulieres Auguſtas, quæ conſecrabantur, inter Diuas referri ſolitas crediderim, neque enim alia mulierum conſecrandi ratio tradita eſt. Prima autem omnium Liuia Auguſta conſecrata eſt. Porrò autem tam Imperatoribus, quàm eorum vxoribus, vel filiis, aut ſororibus conſecratis, Flamen, & Sodales, qui ab eo nomen acciperent, ex S. C. addebantur, templumque in quo hi hymnos in eius honorem compoſitos canerent, conſtruebatur.

CAESARIS AVGVSTI GENEALOGIA.



TITVLI

TITVLI CÆSARIS AVGVSTI,

qui diuersis in nummis sparsi & diuisi leguntur.

C.CAESAR III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num 3.& 7.*
CAESAR III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num 4.& alijs.*
Γ.ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Cap.pr. Num.2.*
CAESAR DIVI F. III.VIR R.P.C. *Cap pr. Num 1.*
CAESAR IMP. III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num.8.& alijs.*
ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. L.Δ. *Cap.pr. Num.11.*
C.CAESAR DIVI F.IMP. COS. III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num.12.*
CAESAR IMP.PONT. III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num.13.& alijs.*
CAESAR DIVI F.IMP. PONT. III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num.14.*
CAESAR IMP.PONT.COS. III.VIR R.P.C. *Cap.pr Num.17.*
C.CAESAR DIVI IVLI F.IMP.AVGVR PONT. III.VIR R.P.C. *Cap.pr. Num.18.*
ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Cap.7. Num 11.*
IMP.CAESAR DIVI F. AVGVR PONT. III.VIR ITER. R.P.C. COS. ITER. ET TER. DESIGN. *Cap.pr. Num.19.& 20.& Cap.2. Num.13.& 15.& Cap 6. Num.6.*
IMP. CAESAR PONT. IMP.ITER. III.VIR ITER. R.P.C. COS. ITER. ET TER. DESIG. *Cap.pr Num.21.& Cap.2. Num.13.*
IMP. CAESAR DIVI F. PONT. III.VIR ITER. R.P.C. COS. ITER. ET TER. DESIGN. *Cap.pr. Num.23.& 24.& Cap.2. Num.15.*
IMP. CAESAR AVGVR PONT. III.VIR ITER. R.P.C. COS. ITER. ET TER. DESIG. IMP. ITER. *Cap pr. Num.22.& Cap.6. Num.10.*
IMP. CAESAR DIVI IVLI F. PONT. COS. ITER. ET TER. DESIGN. III.VIR ITER. R.P.C. *Cap.pr. Num.27. & Cap 6. Num.3.*
IMP. CAESAR DIVI F.PONT. IMP. TER.COS. ITER. ET TER. DES. III.VIR ITER. R.P.C. *Cap.pr. Num.61.& Cap.6. Num.2.*
DIVI F. *Cap.pr. Num.26.*
DIVI IVLI F. *Cap.pr. Num.33.*
IMP. DIVI F. *Cap.pr. Num.36.*
IMP. DIVI IVLI F. *Cap.pr. Num.29.*
CAESAR DIVI F. *Cap.pr. Num.31.& alijs.*
CAESAR DIVI IVLI F. *Cap.pr. Num.25.*
ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ. *Cap.pr. Num 30.*
IMP.CAESAR DIVI F. *Cap.pr. Num.35.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ. *Cap.pr. Num.28.& 44.*
CAESAR DIVI F.AVGVR PONT. IMP.QVART. COS.TER. *Cap.pr.Nu.62.*
CAESAR DIVI F.IMP.V. COS.IIII *Cap.pr. Num.63.*
IMP. CAESAR DIVI F.COS. V.IMP. VI. *Cap.pr. Num.64.*
ΚΑΙΣΑΡ ΟΥΠΑΤΟΣ. Ε. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. 5. *Cap.pr. Num.65.*
CAESAR DIVI F.COS.V. IMP.VII. *Cap.pr. Num.66.*
CAESAR IMP.VII.COS.V. *Cap.pr. Num.68.& Cap.35. Num.6.*
DIVI F.P.P. *Cap.pr. Num.81.*
IMP.CAESAR DIVI F.COS.V. P.P. IMP.VII. *Cap.pr. Num.67.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Cap.pr. Num.78.*
IMP. CAESAR DIVI F.PATER PATRIAE *Cap.pr. Nu.51.& Cap.24.Nu.3.*
CAESAR DIVI F.COS. VI. *Cap.pr. Num.69.& alijs.*
IMP.CAESAR DIVI F.COS. VI.LIBERTATIS P.R.VINDEX. *Cap.pr.Nu.71.*
AVGVSTVS *Cap.pr. Num.97. 99. 101. 104. 106 & 108.*
ΣΕΒΑΣΤΟΣ *Cap.pr. Num.98. 100. 102. 103. 105.& 107.*
AVGVSTVS DIVI F. *Cap.pr. Num.85.86.87.88.& alijs.*
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ. *Cap.pr. Num.89.*

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ *Cap. pr. Num.92.*
CAESAR AVGVSTVS. *Cap.pr. Num.109. 111. 112.114.115.117.& alijs.*
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Cap.pr. Num.110. 113.116.& 119.*
IMP. CAESAR AVGVSTVS. *Cap.pr. Num. 121. 123. 130. 132. & 144.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Cap.pr. Nu.122.124. 125 & alijs.*
AVGVSTVS P. P. *Cap. pr. Num.80.*
AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIAE. *Cap. pr. Num.75.*
CAESAR AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIAE. *Cap.pr. Num.73.*
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Cap. pr. Num.74.*
AVGVSTVS DIVI F. COS. VII. *Cap. pr. Num.82.*
CAESAR AVGVSTVS COS. VII. *Cap. pr. Num.84.& Cap.21. Num.3.*
CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. VIII. P.P. IMP. VII. *Cap.pr.Nu.145.*
AVGVSTVS DIVI F. COS. IX. IMP. VII. *Cap.pr. Num.147.*
AVGVSTVS P.P. COS. X. *Cap. pr. Num. 148.*
AVGVSTVS COS. XI. *Cap. pr. Num. 149.*
AVGVSTVS TRIBVNICIA POTESTATE. *Cap. pr. Num.153.*
CAESAR AVGVSTVS TRIBVNICIA POTESTATE *Cap. pr. Nu.153 & alijs.*
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ. *Cap.pr. Num.155.*
CAESAR AVGVSTVS DIVI F. COS. XI. TRIB. POT. *Cap. pr. Nu.150.*
AVGVSTVS DIVI F. COS. XI. TR. POT. II. IMP. VIII. *Cap. pr. Num.157.*
CAESAR AVGVSTVS TRIB. POTEST. III. P. P. *Cap. pr. Num. 158.*
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS TRIB. POT. IIII. *Cap. pr. Nu.159.*
IMP. IX. TR. POT. V. *Cap. pr. Num. 160.*
IMP. CAESAR AVGVSTVS COS. XI. TRIB. POT. VI. *Cap. pr. Num. 161.*
AVGVSTVS TR. POT. VII. *Cap. pr. Num. 162.*
CAESAR AVGVSTVS TRIB. POT. VIII. IMP. IX. COS. XI. PATER PATRIAE. *Cap. pr. Num. 163. & Cap. 26. Num. 1.*
CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POT. IX. COS. XI. *Cap. pr. Nu. 164*
IMP. CAESAR AVGVSTVS COS. XI. TR. POT. X. IMP. X. *Cap.pr. Nu.165*
AVGVSTVS PONT. MAX. *Cap. pr. Num. 167.*
ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΑΣ. *Cap. pr. Num.173.*
AVGVSTVS DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. X. COS. XI. IMP. XI. *Cap. pr.*
IMP. CAESAR AVGVSTVS COS. XI. TR. POT. XI. AVGVR PONT. MAX. IMP. XI. P. P. *Cap pr. Num. 175. & Cap. 28. Num.9.*
AVGVSTVS DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. XI. IMP. XII. COS. XI. PATER PATRIAE. *Cap. pr. Num. 177. & Cap. 26. Num. 1.*
AVGVSTVS P. M. TRI. POT. XII. *Cap. pr. Num. 178.*
AVGVSTVS PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. COS. XI. AVGVR IMP. XII. P. P. *Cap. pr. Num. 179. & Cap. 24. Num. 7.*
AVGVSTVS TR. POT. XIIII. COS. XI. IMP. XIII. P. P. *Cap. pr. Num.180.*
AVGVSTVS TRIB POT. XV. *Cap. pr. Num.182.*
AVGVSTVS DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. XVI. IMP. XIIII. COS. XI. PATER PATRIAE *Cap. pr. Num. 184. & Cap. 26. Num. 1.*
ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗ. ΕΞ. ΙΖ. *Cap. pr. Num. 185.*
AVGVSTVS PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. XI. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Cap. pr. Num. 186. & Cap. 26. Num. 2.*
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XIX. COS. XII. PATER PATRIAE IMPERATOR. XIIII. *Cap. pr. Num. 189. & Cap. 26. Num. 3.*
IMP. AVGVSTVS TRIB. POTEST. XX. *Cap. pr. Num. 190.*
AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXI. COS. XIII. IMP. XIIII. *Cap. pr. Num. 191.*
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXII. COS. XII. PATER PATRIAE IMPERATOR. XIIII. *Cap. pr. Nu. 192. & Cap. 26. Nu. 4.*

IMP.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXIIII. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Cap. pr. Num.* 193. & *Cap.* 26. *Num.* 4.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXIIII. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Cap. pr. Num.* 194. & *Cap.* 26. *Num.* 4.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXV. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Cap. pr. Num.* 195. & *Cap.* 26. *Num.* 4.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XIIII. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXVI. *Cap. pr. Num.* 196. & *Cap.* 26. *Num.* 5.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XIIII. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXVII. *Cap. pr. Num.* 196. & *Cap.* 26. *Num.* 6.

AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXX. COS. XIII. IMP. XV. P. P. *Cap. pr. Num.* 197.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XVI. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXII. *Cap. pr. Num.* 198. & *Cap.* 26. *Num.* 7.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XVI. PONTIF. MAXIM. TRIB. POTEST. XXXIII. *Cap. pr. Num.* 198. & *Cap.* 26. *Num.* 8.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XVII. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXIIII. *Cap. pr. Num.* 199. & *Cap.* 26. *Num.* 9.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XVIII. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXIIII. *Cap. pr. Num.* 200. & *Cap.* 26. *Num.* 9.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XIX. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXIIII. *Cap. pr. Num.* 201. & *Cap.* 26. *Num.* 9.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XX. PONTIF. MAXIM. TRIB. POTEST. XXXIIII. *Cap. pr. Num.* 202. & *Cap.* 26. *Num.* 9.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXXV. COS. XIII. PATER PATRIAE IMP. XX. *Cap. pr. Num.* 203. & *Cap.* 26. *Num.* 10.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XXI. PONTIF. MAX. TRIBVN. POTEST. XXXVI. *Cap. pr. Num.* 204. & *Cap.* 26. *Num.* 11.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XXI. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXVII. *Cap. pr. Num.* 204. & *Cap.* 26. *Num.* 12.

DIVVS AVGVSTVS. *Cap. pr. Num.* 208. 209. 210. & *alijs.*

ΘΕΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Cap. pr. Num.* 232. 234.

ΘΕΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Cap. pr. Num.* 230. 242.

DIVVS AVGVSTVS DIVI F. *Cap. pr. Num.* 205. 207.

DIVVS AVGVSTVS PATER. *Cap. pr. Num.* 217. & *alijs.*

DIVVS AVGVSTVS PATER PATRIAE. *Cap. pr. Num.* 225. 228. 245.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΣ ΠΑΤΗΡ. *Cap. pr. Num.* 239.

ΘΕΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Cap. pr. Num.* 237.

INSCRIPTIONES AC TITVLI HONORARII, TVM IPSIVS AVGVSTI, TVM ALIORVM ALIQVOT IPSIVS NECESSARIORVM,

quæ ad historiam Augustam pertinere videbantur, ex marmoribus antiquis fidelissimè, vt in ijsdem legebantur, descripta, ex Smetiano inscriptionum antiquarum volumine, quod est Brugis in musæo Marci Laurini D. de Watervliet.

Malphiæ in Apulia, aut Calabria, in basi.

DIVO IVLIO
CIVIT.
ZMYRNAEORVM.

In Vico Lucca in Prouincia.

IVSTITIAE
ET
CLEMENTIAE
C. CAESARIS.

Romæ in ædibus Colotianis, ad aquæ Virginis ductum, tabulæ marmoreæ fragmentum.

CAESAR C. OCTAVIVS C. F. C. N. C. PRO N.
I PATER AVGVSTI
IC. Q. PR. TR. MIL. BIS Q. AED. PL. CVM
COS. IN ASIA C. TORANIO IVDEX QVAESTIONVM
PR. PRO COS. IMPERATOR APPELLATVS
EX PROVINCIA MACEDONIA.

Brixiæ, Insubrum oppido.

C. IVLIO C. F.
FAB. SCAPT.
CAESARI
AVGVSTO.

Hic titulus Augusto inscribitur, qui hîc in duabus Tribubus censetur, Fabia scilicet & Scaptia, quarum altera propria ipsius erat, & gentis siue familiæ Octauiæ; altera Iuliorum, in quorum gentem, familiam, & iura per adoptionē Diui Iulij transierat Augustus. De Scaptia tribu fuisse Augustum suspicor; argumento est, quòd Liuius prodat, quum Lanuuini, Aricini, Nomentani, Pedani, ciuitate donati essent, censum fuisse actum; censos esse nouos ciues, Tribus propter eos additas, Mœciam, Scaptiā. ac ex Aricia oriundam esse Octauiam gentem prodiderunt Cicero & Suetonius. Sequitur itaque Iuliam gentem de Tribu Fabia fuisse. At vtramque, Iuliam à Tullio Hostilio; Octauiam à Tarquinio Prisco, Romam esse traductam Dionysius & Suetonius produnt. Fuit itaque in Tribus Vrbanas vtraque gens recensita, sed progressu temporis ex Vrbanis in Rusticas, Iulia in Fabiam, Octauia in Scaptiam transiit.

In secundo latere, ipse Augustus cum Sacerdotibus adstantibus sacrificat, & sunt superne lituus, lanx, & poculum.

In tertio latere; Augustus quadrigis vehitur, & ante eum stat mulier, fortasis Liuia, cum duobus filiis. Post eum alius ad laurum adstat. Supra ipsum Deus, vt apparet, Mars, in bigis vehitur. Supra mulierem, aliud Numen (fortasse Iuno) velo amplißimo arcuatim ambiente, se è nubibus promit.

In quarto latere, Apollo lyram tangens, in rupe ad arborem sedet: & ante eum sus est cum multis foetibus: & pastor cum virga, diuino habitu, pectore scilicet nudo, reliqua veste tenui rugosaque indutus: omnia optimè sculpta: sed partim vetustate, partim fracturis mutila deformataque.

Romæ ad tres columnas templi Iulij in foro Romano, in marmore Pario, quod intus abierat in crystallum, longo ped. ix. lato .iij. spisso.ij.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
IMP. CAESARI DIVI IVLI F. COS. QVINCT.
COS. DESIGN. SEX. IMP. SEPT.
REPVBLICA CONSERVATA.

Romæ, in obelisco campi Martij.

IMP. CAESAR
DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI.
TRIB. POT. XIV.
AEGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

Sub Tibure,
Loco qui vulgò Cassano dicitur,
Totidem passus à vicinis ruinis
ædificij antiqui.

IMP. CAESAR
DIVI F. AVGVST.
C(X)I. P. CCCXX.

In trophæo Alpium, Elogium Augusto dicatum, de quo Plinius libri tertij capite xx.

IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTESTAT. XVII.
S. P. Q. R.
QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE
GENTES ALPINAE OMNES QVAE A MARI
SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT
SVB IMPERIVM P. R. REDACTAE SVNT.

Romæ, basis marmorea alta palmos.vij. lata palm. vj.
effossa in foro Romano Anno M. D. XLVIII.
ad ædem Saturni, lacumque Curtij.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE QVAM POPVLVS ROMANVS
ANNO NOVO ABSENTI CONTVLIT
NERONE CLAVDIO DRVSO
T. QVINCTIO . CRISPINO COS.
VOLCANO.

Romæ, non procul inde, iuxta templum Diui Hadriani ad arcum
Imp. Cæs. L. Septimij Seueri, Anno M. D. LIIII. repertum
fuit & huius inscriptionis fragmentum, à nobis
postea suppletum, qua fieri potuit.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS.
IMP. XIIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE QVAM PO PVLVS ROMANVS
CALENDIS IANVAR . CONTVLIT
C. MARCIO CENSORINO C. ASINIO GALLO COS.

Tradit Suetonius in vita Augusti, omnes ordines quotannis ex voto pro salute ipsius Augusti in lacum Curtij stipem iacere solitos: immo ipsum Augustum ex nocturno visu quotannis certo die stipem à populo emendicasse. Item Calendis Ianuariis etiam absenti strenam conferri solitam. Ex qua summa ipse pretiosissima Deorum simulachra mercatus, eadem vicatim dedicabat: vt Apollinem Sandaliarium in vico eiusdem nominis, item Iouem tragœdum, & alia huiusmodi.

Romæ,

Romæ, in area S. Apollinaris prope Agonem Anno M. D. XLVII. effossa fuit hæc basis per medium fissa.

TI. CLAVDIVS TI. F. NERO
PONTIFEX COS. ITERVM.
IMP. ITERVM
LVDOS VOTIVOS PRO REDITV
IMP. CAESARIS DIVI F. AVGVSTI
PONTIFICIS MAXIMI
IOVI OPTIMO MAXIMO FECIT
EX S. C.

Ibidem effossa fuit & hæc dimidiata basis cum laruis tragicis marmoreis quinque, quæ suppleri ac restitui non incommodè hoc pacto posset.

P. QVINCTILIVS SE	X. F. VARVS
PONTIFEX C	OS.
LVDOS VOTIVOS PR	O REDITV
IMP. CAESARIS DIV	I F. AVGVSTI
IOVI OPTIMO M	AXIMO FECIT
TI. CLAVDIO TI. F. NER	ONE CONLEGA
EX S.	C.

In Gallia, in area Sancti Priuati, dimidio miliari supra pontem du Gard, sacellum est subterraneum olim Ioui dicatum, vt indicant columnæ sustinentes fornicem, sub qua statua Iouis columnæ insidebat, cuius fragmentum superest cum hac inscriptione.

SANCTITATI
IOVIS ET
AVGVSTI SACRVM
LVCILIVS
CESTI F.

Reperta in agro Tusculano.

ΘΕΑ ΑΡΤΙΜΠΑΣΑ
ΤΙ.ΙΟΥΛ.ΠΑΜΦΙΛ.
ΑΠΕΛΕΥΘΕΡ.ΣΕΒ.
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Idem Latinè.

Deæ Veneri cælesti
Ti. Iul. Pamphil.
Libert. Aug.
dicauit.

Tergestæ Coloniæ, Fori Iulij oppido, nunc Trieste.

IMP. CAESAR COS. DESIG. TERT.
III.VIR R. P. C. ITERVM
MVRVM TVRRESQ. FECIT.

In ciuitate Castellana Faliscorum oppido, tabula marmorea.

HONORI
IMP. CAESARIS DIVI F.
AVGVSTI PONT. MAXIM.
PATR. PATRIAE ET MVNICIP.
MAGISTRI AVGVSTALES
C. EGNATIVS M. L. GLYCO
C. EGNATIVS C. L. MVSICVS
C. IVLIVS CAESAR L. ISOCHRYSVS
Q. FLORONIVS Q. L. PRINCEPS
VIAM AVGVSTAM AB VIA
ANNIA EXTRA PORTAM AD
CERERIS SILICE STERNENDAM
CVRARVNT PECVNIA SVA
PRO LVDIS.

Romæ in duobus cippis, eiusdem formæ ac magnitudinis, eodemque modo inscriptis: quorum alter ad domum Alteriorum sub Capitolio iacet, alter verò ad domum Cæsiam in Vaticano erectus stat.

IMP. CAESAR DIVI F.
AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XVII.
EX S. C. TERMINAVIT.

R. R. PROX. CIPP. PED. CL XVIS.

Cordubæ in Hispania, in summo templo in columna ex saxo nigro.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
COS. XIII. TRIB. POTEST. XXI. PONTIF. MAX.
A BAETE. ET IANO AVGVST. AD OCEANVM
L. XIIII.

Peru-

Perusij, in porta.

AVGVSTO SACR. PERVSIA RESTITVTA.

Fani Fortunæ, in Piceno, in porta antiqua, quam ab Augusto primùm erectam, posteri in honorem Constantini Magni, Constantini, Constantis, & Constantij patris, superimpositis columnis, additisque ornamentis, in arcum triumphalem postea verterunt.

In media arcus fascia.

IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS
COS. XIII. TRIBVNICIA POTEST. XXXII. IMP. XVI.
PATER PATRIAE MVRVM DEDIT.

Ledesmæ in Hispania (quam Bletisam antiquitus fuisse autumant) in æde Diuæ Mariæ.

IMP. CAESAR AVG. PONTIF.
MAXIM. TRIBVNIC. POT. XXVIII.
COS. XIII. PATER PATR.
TERMINVS AVGVSTAL. INTER
BLETISAM ET MIROBR. ET SALM.

Romæ in quodam opere publico.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XXX.
IMP. XV. COS. XIII. PATER PATRIAE
P. LENTVLVS C. F. SCIPIO
T. QVINCTIVS CRISPINVS VALERIANVS COS.
EX S. C. FACIVNDVM COERAVER.
EIDEMQVE PROBAVER.

Romæ,

Romae, in aquaeductu Aquae Marciae, ad portam Esquilinam.

IMP. CAESAR DIVI IVLI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS COS. XII.
TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII.
RIVOS AQVARVM OMNIVM REFECIT.

Emeritae Augustae in Hispania in aedibus Ferdinandi de Carrera.

IMP. CAES. DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX.
COS. XI. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIIII.
ORBE MARI ET TERRA PACATO TEMPLO
IANI CLVSO ET REP. P. R. OPTIMIS LEGIBVS
ET SANCTISSIMIS INSTITVTIS REFORMATA
VIAM SVPERIOR. COS. TEMPORE INCHOATAM
ET MVLTIS LOCIS INTERMISSAM PRO DIGNITA-
TE IMPERII P. R. LATIOREM LONGIOREMQVE
GADEIS VSQ. PROMOVIT.

Arimini, in lateribus pontis cuiusdam.

IMP. CAESAR DIVI F. AVG. PONT. MAX. COS.
XIII. IMP. XXI. TRIBVNIC. POTEST. XXXVII. P. P.

TI. CAESAR AVGVSTI F. DIVI IVLII N. AVG.
PONT. MAX. COS. IIII. IMP. VIII. TRIB. POTEST. XXII.
DEDERE.

Iaderae in Illyrico, iuxta portam qua in agrum itur.

IMP. CAESAR DIVI F. AVG. PARENS COLONIAE
MVRVM ET TVRRES DEDIT.

L. IVLIVS OPTATVS TVRRES VETVSTATE CONSVMPTAS
IMPENSA SVA RESTITVIT.

Terraci-

Terracinæ, olim Anxur, Volſcorum metropolis.

ROMAE ET AVGVSTO CAESARI
DIVI F. COLONIA ANXVR.

Beneuenti.

IMP. CAESARI AVGVSTO
ET COLONIAI BENEVENTANAI.

Puteolis, in fronte templi maioris, quod antiquum eſt, quadratum, totum ex Pario marmore, opere Corinthiaco pulcherrimo.

RNIVS L.F. TEMPLVM AVGVSTO CVM ORNAMENTIS D.D.

forſan L. CALPVRNIVS

Polæ, in Illyrico oppido maritimo, quod alijs Iulia pietas, in Sacello Octauiani.

ROMAE ET AVG.
CAES. DIVI F.
PAT. PAT.

Emeritæ Auguſtæ in Hiſpania, in ædibus Ferdinandi de Carrera.

DIVO AVGVSTO
ALBINVS ALB. F. FILAMEN
DIVAE AVG. PROVINCIAE
LVSITAN.

Romæ, Obeliſci, qui in Vaticano eſt, titulus.

DIVO CAESARI DIVI IVLII F. AVGVSTO
TI. CAESARI DIVI AVGVSTI F. AVGVSTO
SACRVM.

Fani Fortunæ, in Piceno.

Q. TITIENVS Q. F.
IVLIA QVADRATVS.

Hæ duæ inſcriptiones eò pertinent, quòd tradunt auctores, Auguſtum in honorem gentis Iuliæ Tribũ Iuliam inter triginta quinque Tribus populi Romani retuliſſe, abolito antiquo alicuius è Tribubus cognomine: idque, vti veriſimile eſt, eius Tribus è qua erat D. Iulius, ſiue Fabia, ſiue Scaptia hæc fuerit.

Inter Aficiam & Bouillas in Latio.

DIS MANIBVS
Q. IVNIVS Q. F. IVLIA
VALENS
MIL. LEG. V. ALAVD.
VIX. ANN. XLIIX.
D. XX. H. IIX.
VIVVS FECIT SIBI ET SVIS
IN FR. P. IIII. IN A. P. III.

Bases duæ æquales è Tiburtino, altæ palmos. vj. latæ. iiij. coronis suis spoliatæ. Repertæ anno M. D. L I. ante ædiculam S. Mariæ Aegyptiacæ.

C. CAESARI AVGVSTI F.
PONTIFICI COS.
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS

L. CAESARI AVGVSTI F.
AVGVRI COS.
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS

Arimini.

C. CAESAR AVGVSTI F.
C O S.
VIAS OMNES ARIMINI
STERNI ///////////////

In Hispania in oppido quod nunc Arione, olim Aurigia, apud portam Aduganm.

L. CAES. AVG. F. DIVI NEP.
PRINC. IVVENT. AVGVRI
COS. DESIGN.

In Hispania Bætica, Bianæ, quæ olim Alba Varcaunensis dicta.

L. CAESARI AVGVSTI F. DIVI IVLI N.
PRINCIPI IVVENTVTIS AVGVRI
COS. DESIGNATO
MVNICIPIVM ALBENSE VARCAONENSE.

Romæ, ante templum S. Apostolorum, retro Mineruam.

OSSA
C. CAESARIS
AVGVSTI F.
PRINCIPIS IVVENTVTIS

Bononiæ in atrio domus Philippi Albergati.

DIVVS AVG. PARENS
DEDIT. ET
C. CAES. AVGVSTVS
GERMANICVS
REFECIT.

In agro Tusculano, in Monasterio Grottæ Ferratæ, in vrnula marmorea.

CELADVS
C. CAESARIS
DISP.

Romæ, in musæo Cardinalis Carpensis.

ABINNAEVS
CAESARIS AVG. P.
FASTO-

FASTORVM MAGISTRATVVM ET TRIVMPHORVM ROMANORVM PARS AB ANNO VRB. COND. DCCIX. VSQVE AD ANNVM DCCLXVI.

IX. C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR V. M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS

XVI. PRAETORES FACTI.
AEDILES CERIALES PRIMVM CREARI
COEPTI.

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR DICT. PERP.
C. OCTAVIVS C. F. C. NEPOS QVI IMPER. CONSTIT. CAVS.
POSTEA C. IVLIVS CAESAR APPEL. EST MAG. EQ.
VT QVM M. LEPIDVS PALVDATVS EXISSET INIRET.
CN. DOMITIVS M. F. M. N. CALVINVS MAG. EQ.
IN SEQVENTEM ANNVM DESIGNATVS ERAT NON INIIT.

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR VI.
DICT. PERP. COS. V.
OVANS EX MONTE ALBANO
VII. KAL. FEBR.

EODEM ANNO IDIBVS MART.

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR

A BRVTO ET CASSIO CVM CONIVRATIS IN CVRIA OCCISVS EST.
IN EIVS LOCVM COS. FACTVS EST
P. CORNELIVS P. F. /. N. DOLABELLA. EX IDIB. MART.

BELLVM CIVILE MVTINENSE.

DCCX.	C. VIBIVS C. F. C. N. PANSA	A. HIRTIVS. A. F. /. NEPOS.
	IN MAG. OCCIS. E. IN EIVS L. F. E.	IN PROELIO OCC. E. IN EIVS L. F. E.
	C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.	Q. PEDIVS M. F. /. NEPOS.
	QVI POSTEA IMP. CAESAR AVGVSTVS	IN MAGISTRATV MORTVVS EST.
	APPEL. EST ABDIC. IN EIVS. L. F. E.	IN EIVS LOCVM FACTVS EST
	C. ALBIVS C. F. /. N. CARRINAS.	P. VENTIDIVS P. F. /. N. BASSVS
		IDEM QVI PRAETOR ERAT.

EODEM ANNO EX A. D. V. KAL. DECEMBR.
AD PRIDIE KAL. IANVAR. SEXTAS.

TRIVMVIRI REI PVBLICAE CONSTITVENDAE REMPVBLICAM TENVERVNT.

M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS.
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS. III VIRI REI PVBLIC. CONSTIT.
C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.

L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS.
PRO COS.
EX GALLIA.
IIII. KAL. IANVAR.
M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS II.
III. VIR R. P. C. PRO COS.
EX HISPANIA.

M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS. III VIRI REIPVBLIC. CONSTIT.
C. IVLIVS DIVI F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.

BELLVM CIVILE PHILIPPENSE
CVM BRVTO, CASSIO, ET CONIVRATIS.
EODEM ANNO
A. POSTVMIVS A. F. A. N. ALBINVS BRVTVS
IN SEQVENTEM ANNVM DESIGNAT. ERAT
LEGE PEDIA DAMNATVS NON INIIT.
IN EIVS LOCVM FACTVS EST
M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS II. L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS
CENS. L. ANTONIVS M. F. M. N. PIETAS P. SVLPICIVS P. F. /. N. QVIRINVS L. N. F.
P. VATINIVS P. F. /. NEPOS
PROCOS.
DE ILLYRICO.
PRID. KAL. IANVAR.
II. M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS III VIRI REI PVBLIC. CONSTIT.
C. IVLIVS DIVI F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.
EODEM ANNO
P. SERVILIVS P. F. C. N. VATIA ISAVRICVS. L. ANTONIVS M. F. M. N. PIETAS

BELLVM CIVILE PERVSINVM
L. ANTONIVS M. F. M. N. PIETAS.
COS.
EX ALPIBVS K. IANVAR.
III. M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS III VIRI REI PVBLICAE CONSTIT.
C. IVLIVS DIVI F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.
EODEM ANNO
CN. DOMITIVS M. F. M. N. CALVINVS II. C. ASINIVS CN. F. /. N. POLLIO
ABDIC. IN EIVS LOC. FACT. EST ABDIC. IN EIVS LOC. FACT. EST
EX KAL. DECEMBR.
L. CORNELIVS P. F. /. N. BALBVS P. CANIDIVS P. F. /N. CRASSVS.
C. IVLIVS DIVI F. C N. CAESAR OCTAVIAN.
III VIRI R. P. C.
OVANS QVOD PACEM CVM M. ANTONIO FECIT
//// /// ////////
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS.
III. VIR. R. P. C.
OVANS QVOD PACEM CVM C. CAESARE FECIT.
//// /// ///////
IIII. M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS III VIR REI PVBLICAE CONSTIT.
C. IVLIVS DIVI F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.
EODEM ANNO
L. MARCIVS L. F. /. N. CENSORINVS C. CALVISIVS C. F. /. N. SABINVS.
L. MARCIVS L. F C. N. CENSORINVS.
COS.
EX MACEDONIA K. IANVAR.
HOC ANNO.

TRIVMVIRORVM REI PVBLICAE CONSTITVENDAE ACTA A SENATV POPVLOQVE ROMANO RATA ESSE IVSSA SVNT.

EX /// ////// Q. SALVIVS /. F. / N. RVFVS.
C. ASINIVS CN. F. /. N. POLLIO
PRO COS.
EX PARTHINEIS VII KAL. NOVEMBR.

V M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS
M. ANTONIVS M. F. M. NEPOS
QVI HOC ANNO IMP. ANTONIVS APPEL. E. III VIRI REI PVBLICAE CONSTIT.
C. IVLIVS DIVI F. C. N. CAESAR OCTAVIAN.

EODEM ANNO

AP. CLAVDIVS C. F. AP. N. PVLCHER C. NORBANVS C. F. /. N. FLACCVS
EX //// ////// SEX. TAEDIVS /. P. /. N. AFER
ANTEQVAM SNIRET MORTVVS EST

P. VENTIDIVS P. F. /. NEPOS
PRO COS.
EX TAVRO MONTE ET PARTHEIS
V. K. DECEMBR.

VI M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS II.
IMP. ANTONIVS M. F. M. NEPOS II. III VIRI REI PVBLICAE CONSTIT.
C. IVLIVS DIVI F. C. N. CAESAR OCTAVIAN. II. AD PRID. KAL. IANVAR. QVINTAS
QVI IN HOC HONORE IMP. CAESAR APPEL. EST.

BELLVM CIVILE SICVLVM
CVM SEX. POMPEIO CN. F.

EODEM ANNO

M. VIPSANIVS L. F. /. N. AGRIPPA L. CANINIVS L. F. /. N. GALLVS
EX //// ///// T. STATILIVS T. F. /. N. TAVRVS
VII L. GELLIVS L. F. L. N. POBLICOLA M. COCCEIVS M. F. /. N. NERVA
ABDIC. IN EIVS LOC. FACT. EST ABDIC. IN EIVS LOC. FACT. EST
L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS II. P. SVLPICIVS P. F. /. N. QVIRINVS

HOC ANNO

M. AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS III VIR R. P. C. II.
COACTVS A CONLEGA IMP. CAESARE DIVI F. OCTAVIANO ABDIC.

CN. DOMITIVS M. F. M. N. CALVINVS
PRO COS.
EX HISPANIA
XVI. KAL. SEXTIL.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIAN. II.
III VIR R. P. C. II.
OVANS EX SICILIA
IDIB. NOVEMBR.

VIII L. CORNIFICIVS L. F. /. NEPOS SEX. POMPEIVS SEX. F. /. NEPOS
IX IMP. ANTONIVS M. F. M. NEPOS II. L. SCRIBONIVS L. F. /. N. LIBO
KAL. IANVAR. ABDIC. IN EIVS L. F. E.
L. SEMPRONIVS L. F. L. N. ATRATINVS

BELLVM ILLYRICVM.
BELLVM MARSICVM.

T. STATILIVS T. F. /. N. TAVRVS
PRO COS.
EX AFRICA PRIDIE KAL. IVL.
EX K. IVLIS PAVLLVS AIMILIVS L. F. M. N. LEPIDVS
EX K. IVLIS C. MEMMIVS C. F. /. NEPOS

C. SOSIVS C. F. T. NEPOS
PRO COS.
EX IVDAEA
III. NON. SEPTEMBR.

C. NORBANVS C. F. /. N. FLACCVS
PRO COS.
EX HISPANIA
IIII IDVS OCTOBR.

EX K. NOVEMB. M. HERENNIVS /. E. /. NEPOS
SEX. POMPEIVS CN. E. CN. N. MAGNVS PIVS
IN SSQVENTEM ANNVM DESIG. ERAT
ANTEQ. INIRET HOSTIS IVDICAT. OCC. E.
IN EIVS LOCVM FACTVS SST

DCCXX. IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIAN. II. L. VOLCATIVS L. E. /. N. TVLLVS
KAL. IANVAR. ABDIC. IN EIVS L. P. E.
L. AVTRONIVS P. F. L. N. PAETVS
EX K. MAIS L. ELAVIVS C. F. /. N. SAEVINVS
EX K. IVLIS M'. ACILIVS /. F. /. NEPOS
EX K. IVLIS C. EONTEIVS C. E. /. N. CAPITO
EX K. SEPTEMB. L. VINICIVS /. E. /. NEPOS
EX K. OCTOBR. L. LAENONIVS /. E. /. NEPOS

I CN. DOMITIVS L. E. CN. N. AHENOBARB. C. SOSIVS C. F. T. NEPOS
EX K. IVLIS PAVLLVS AIMILIVS M. F. Q. N. LEPIDVS
EX K. IVLIS L. CORNELIVS /. F. /. NEPOS
EX K. NOVEMB. N. VALERIVS M. F. M. N. MSSSALLA
CN. DOMITIVS L. E. CN. N. AHENOBARB.
PRO COS.
EX HISPANIA /// //////
IMP. ANTONIVS M. F. M. NEPOS
IN SEQVENTEM ANNVM DESIGN. ERAT
HOSTIS IVDICATVS NON INIIT
IN EIVS LOCVM FACTVS EST

II IMP. CAESAR DIVI E. C. N. OCTAVIAN. III. M. VALER. M. F. M. N. MESSALLA CORVINVS

BELLVM CIVILE AD ACTIVM.

EX K. MAIS M. TITIVS M. E. /. N. RVFVS
HOC ANNO EX A. D. IIII. NONAS SEPTEMBR.

VICTO AD ACTIVM M. ANTONIO M. F.
QVI III VIR R. P. C. FVERAT
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIANVS
REM PVBLICAM SOLVS TENVIT.

EX K. OCTOBR. CN. POMPEIVS Q. F. Q. N. RVFVS

III IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIAN. IIII. M. LICINIVS M. F. M. N. CRASSVS

BELLVM ALEXANDRINVM.

EX K. IVLIS C. ANTISTIVS C. E. /. NEPOS
EX IDIB. SEPT. M. TVLLIVS M. E. M. N. CICERO
EX K. NOVEMB. L. SANIVS /. F. /. N. RVFVS

IIII IMP. CAESAR DIVI E. C. N. OCTAVIAN. V. SEX. APPVLEIVS SEX. E. SEX. NEPOS

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIANVS
IN HOC HONORE REPVBLICA CONSERVATA
A SENATV POPVLOQ. ROMANO.
PATER PATRIAE APPELLATVS EST.

EX K. IVLIS POTITVS VALERIVS M. E. M. N. MESSALLA
IMP. CAESAR DIVI E. C. N. OCTAVIANVS III.
COS. V.
DE PANNONIEIS DELMATEIS IAPVDIBVS
ET GALLEIS VIII. IDVS SEXTIL.
C. ALBIVS C. F /. N. CARRINAS
PRO COS.
DE GALLEIS MORINEIS ET SERVEIS
VIII IDVS SEXTIL.

IMP.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIANVS IIII.
COS. V.
EX MACEDONIA ET ACTIO
VII IDVS SEXTIL.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIANVS V.
COS. V.
DE REGINA CLEOPATRA EX AEGYPTO

PACE P.R. TERRA MARIQ. PARTA IANVS CLVSVS III.

L. AVTRONIVS P. F. L. N. PAETVS
PRO COS.
EX AFRICA XVII K. SEPTEMBR.
EX K. NOVEMB. C. FVRNIVS P. F. /. NEPOS
EX K. NOVEMB. C. CLVVIVS /. F. /. NEPOS

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIANVS
MORVM LEGVMQ. REGIMINE IN DECENNIVM ACCEPTO
SINE CENSVRAE HONORE CENSVM P. R. TER EGIT PRIMVMQ. HOC ANNO

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIAN. M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA LVST. FECER. LXXII

V IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIAN. VI. M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA II.

M. LICINIVS M. F. M. N. CRASSVS
PRO COS.
EX THRACIA ET GETEIS
IIII NON. IVL.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIANVS
REI PVBLIC. CONSTITVEND. POTESTATEM
IN DECENNIVM ACCEPIT

VI IMP. CAESAR DIVI F. C. N. OCTAVIAN. VII. M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA III.
QVI IN HOC HONORE AVGVSTVS APPEL. E.

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALLA
CORVINVS PRO COS.
EX GALLIA VII K. OCTOBR.

VII IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS VIII. T. STATILIVS T. F. /. N. TAVRVS II

BELLVM CANTABRICVM.

SER. APPVLEIVS SEX. F. SEX. N.
PRO COS.
EX HISPANIA VII. K. FEBR.

VIII IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS IX. M. IVNIVS D. F. M. N. SILANVS

PACE P.R. TERRA MARIQ. PARTA IANVS CLVSVS IIII

IX IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS X. C. NORBANVS C. F. C. N. FLACCVS
DCCXXX. IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS XI. A. TERENTIVS A. F. /. N. VARRO MVRENA
ABDICAVIT IN EIVS LOCVM FACTVS E. IN MAGIST. MORT. E. IN EIVS L. FACT. E.
L. SESTIVS P. F. VIBI NEPOS CN. CALPHVRNIVS CN. F. CN. N. PISO

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
DICTATOR PERPETVVS APPELLATVS EST
ABDICAVIT EX A. D. V. KAL. IVLI. TRIBVNICIA POTESTATE ACCEPTA

I M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS AESERN. L. ARRVNTIVS L. F. L. NEPOS
EX A. D. V. KAL. IVLI.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE II.
COS. XI. P. P. IMP. VIII.

CENS. L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS PAVLLVS AEMILIVS L. F. M. N. LEPIDVS L. N. P.

Q. AI-

II. Q. AIMILIVS M'. F. /. N. LEPIDVS M. LOLLIVS M. F. /. NEPOS
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE III.
COS. XI. P. P. IMP. VIII.
L. SEMPRONIVS L. F. L. N. ATRATINVS
PRO COS.
EX AFRICA IIII. IDVS OCTOBR.

III. M. APPVLEIVS SEX. F. SEX. NEPOS P. SILIVS P. F. C. N. NERVA

PAX CVM PARTHEIS, SIGNIS RECEPTIS

EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE IIII.
COS. XI. P. P. IMP. VIII.

IIII. Q. LVCRETIVS Q. F. /. N. VESPILLO C. SENTIVS C. F. C. N. SATVRNINVS.

BELLVM PANNONICVM

L. CORNELIVS P. F. /. N. BALBVS
PRO COS.
EX AFRICA VI. KAL. APRILES

EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE V.
COS. XI. P. P. IMP. IX.
EX K. IVLIS M. VINICIVS P. F. L. NEPOS

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS

MORVM LEGVMQ. REGIMEN ITER. IN QVINQVEN. ACCEPIT.

V. P. CORNELIVS P. F. CN. N. LENT. MARCELL. CN. CORNELIVS L. F. /. N. LENTVLVS
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE VI.
COS. XI. P. P. IMP. IX.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA TRIBVNICIAM POTESTATEM
AB IMP. CAESARE DIVI F. AVGVSTO IN QVINQVENNIVM ACCEPIT.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS

ET M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA
REI PVBLICAE CONSTITVENDAE POTESTATEM
IN QVINQVENNIVM ACCEPERVNT.

VI. C. FVRNIVS C. F. P. NEPOS C. IVNIVS C. F. C. N. SILANVS

LVDI SAECVLARES QVINCTI EX S.C. FACTI

EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE VII.
COS. XI. P. P. IMP. IX.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE II.
COS. III. IMP. IIII.

VII. L. DOMITIVS CN. F. L. N. AHENOBARBVS P. CORNELIVS P. F. P. N. SCIPIO
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE VIII.
COS. XI. P. P. IMP. IX.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE III.
COS. III. IMP. IIII.
EX K. IVLIS L. TARIVS /. F. /. N. RVFVS

VIII. M. LIVIVS L. F. /. N. DRVSVS LIBO L. CALPVRNIVS L. F. L. N. PISO CAESONIN.
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE IX.
COS. XI. P. P. IMP. IX.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE IIII.
COS. III. IMP. IIII.

P. SILIVS

P. SILIVS P. F. C. N. NERVA
PRO COS.
EX ALPIBVS ET PANNONIEIS
//// //////////

L. ASINIVS C. F. CN. N. GALLVS
PRO COS.
DE SAVROMATEIS
/// //////

IX M. LICINIVS M. F. M. N. CRASSVS CN. CORNELIVS CN. F. LENTVLVS AVGVR QVI POSTEA GETVLICVS APPELLAT. E.

EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE X.
COS. XI. P. P. IMP. X.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE V.
COS. III. IMP. IIII.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
MORVM LEGVMQ. REGIMEN TERT. IN QVINQVENN. ACCEPIT.

DCCXL TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO P. QVINCTILIVS SEX. F. /. N. VARVS QVI POSTEA TI. CAESAR AVG. APPEL. E.

EX A. D. PRID. NONAS MART.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS FACT. EST.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
REI PVBL. CONSTIT. POTEST. TERT. IN QVINQVENN. ACCEPIT.

EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XI.
COS. XI. P. P. IMP. XI.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBVNICIAM POTESTATEM
ITERVM IN QVINQVENNIVM ACCEPIT.

I M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALLA BARBAT. P. SVLPICIVS P. F. P. N. QVIRINVS
AIMILIANVS IN MAG. M. E. IN EIVS L. F. E.
C. VALGIVS C. F. Q. N. SATVRNIN RVFVS
ABDICAVIT IN EIVS LOCVM FACTVS E.
C. CANINIVS C. F. C. N. REBILVS
IN MAGISTRATV MORTVVS EST.

EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XII.
COS. XI. P. P. IMP. XII.
M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBVNICIA POTESTATE VII.
COS. III. IMP. IIII. QVI HOC ANNO MORTVVS EST.

BELLVM GERMANICVM.

II PAVLLVS FABIVS Q. F. Q. N. MAXIMVS Q. AELIVS Q. F. /. N. TVBERO
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XIII.
COS. XI. P. P. IMP. XII.

III IVLVS ANTONIVS M. F. M. NEPOS Q. FABIVS Q. F. Q. N. MAXIM. AFRICANVS
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XIIII.
COS. XI. P. P. IMP. XIII.

IIII NERO CLAVDIVS TI. F. TI. N. DRVSVS GERM. T. QVINCTIVS T. F. /. N. CRISPIN. SVLPIC.
IN MAGISTRATV MORTVVS EST
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XV.
COS. XI. P. P. IMP. XIII.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
MORVM LEGVMQ. REGIMEN QVART. IN DECENN. ACCEPIT.
V. C. MARCIVS L. F. L. N. CENSORINVS C. ASINIVS C. F. CN. N. GALLVS
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XVI.
COS. XI. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO
PRO COS. OVANS
DE DALMATEIS PANNONIEIS ET DACEIS
EX ILLVRICO /// /////////
IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
REI PVBL. CONSTIT. POTEST. QVART. IN DECENN. ACCEPIT.
VI. TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO II. CN. CALPVRNIVS CN. F. CN. N. PISO II.
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XVII.
COS. XI. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO TRIBVNICIAM POTESTATEM
AB IMP. CAESARE DIVI F. AVGVSTO IN QVINQVENNIVM ACCEPIT.
C. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR VIPSANIAN.
IN SEQVENTEM ANN. DESIG. ERAT NON INIIT
VII. D. LAELIVS D. F. D. N. BALBVS C. ANTISTIVS C. F. /. N. VETVS
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO
II. COS. II.
DE GERMANEIS KAL. IANVAR.
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XVIII.
COS. XI. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO PONTIFEX TRIBVNIC. POTEST. II.
COS. II. IMP. II.
EX K. IVLIS MANILIVS C. F. /. NEPOS
EX K. IVLIS Q. NONIVS SEX. F. ASPRENAS TORQVATVS
VIII. IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS XII. L. CORNELIVS P. F. P. N. SVLLA
ABDICAVIT IN EIVS LOCVM FACTVS EST
/. //////// ./. F. /. N. ///////
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XIX.
COS. XII. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO PONTIFEX TRIBVNIC. POTEST. III.
COS. II. IMP. II.
IX. C. CALVISIVS C. F. C. N. SABINVS L. PASSIENVS Q. F. CRISPINVS RVFVS
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XX.
COS. XII. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO PONTIFEX TRIBVNIC. POTEST. IIII.
COS. II. IMP. II.
L. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR VIPSANIAN.
IN SEQVENTEM ANN. DESIG. ERAT NON INIIT.
DCCL. L. CORNELIVS L. F. /. N. LENTVLVS M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALLA COTTA
FLAMEN MARTIALIS.
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXI.
COS. XII. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO PONTIFEX TRIBVNIC. POTEST. V.
COS. II. IMP. II.
I. IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS XIII M. PLAVTIVS M. F. A. N. SILVANVS
ABDICAVIT IN EIVS LOCVM FACTVS EST
/. ///////// /. F. /. N. /////////

EX A.

EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXII.
COS. XIII. P. P. IMP. XIIII.
EX K. IVLIS C. CANINIVS L. F. /. N. GALLVS
II COSSVS CORNELIVS CN. F. LENTVLVS L. CALPVRNIVS CN. F. CN. N. PISO AVGVR
QVI POSTEA ISAVRICVS APPELLAT. EST
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXIII.
COS. XIII. P. P. IMP. XIIII.
III C. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR VIPSANIAN. L. AIMILIVS L. F. M. N. PAVLLVS
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXIIII.
COS. XIII. P. P. IMP. XIIII.
IIII P. VIMICIVS M. F. P. NEPOS P. ALFINIVS P. F. /. N. VARVS
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXV.
COS. XIII. P. P. IMP. XIIII.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
MORVM LEGVMQ. REGIMEN QVINCT. IN DECENN. ACCEPIT.

V L. AILIVS L. F. /. N. LAMIA M. SERVILIVS M. F. L. N. GEMINVS
EX A. D. V. KAL. IVLI.
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXVI.
COS. XIII. P. P. IMP. XIIII.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS
REI PVBL. CONSTIT. POTEST. QVINCT. IN DECEN. ACCEPIT.

VI SEX. AELIVS Q. F. /. N. CATVS C. SENTIVS C. F. C. N. SATVRNINVS
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS SINE CONLEGA CENSVM VICATIM EGIT.
LVSTRVM NON FECIT.
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXVII.
COS. XIII. P. P. IMP. XIIII.
TI. CLAVDIVS TI. F. TI. N. NERO AB IMP. CAESARE DIVI F. AVGVSTO
ADOPTATVS TRIBVNICIAM POTESTATEM ITER. IN DEC. ACCEP.
VII L. VALERIVS POTITI F. M. N. MESSALLA CN. CORNELIVS L. F. L. N. CINNA
VOLVSVS MAGNVS
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIM. TRIBVNIC. POTEST. XXVIII.
COS. XIII. P. P. IMP. XV.
TI. IVLIVS AVGVSTI F. DIVI N. CAESAR PONT. TRIBVN. POTEST. VII.
COS. II. IMP. III.
VIII M. AIMILIVS L. F. /. N. LEPIDVS L. ARRVNTIVS L. F. L. NEPOS
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIM. TRIBVNIC. POTEST. XXIX.
COS. XIII. P. P. IMP. XV.
TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. VIII.
COS. II. IMP. IIII.
EX K. IVLIS C. ATTEIVS C. F. /. N. CAPITO
EX K. IVLIS C. VIBIVS C. F. /. N. POSTVMVS
IX A. LICINIVS A. F. /. N. NERVA SILANVS Q. CAECILIVS Q. F. Q. N. METEL. CRETIC.
SILANVS
EX A. D. V. KAL. IVLI
IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXX.
COS. XIII. P. P. IMP. XV.
TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. IX.
COS. II. IMP. IIII.
EX K. IVLIS P. CORNELIVS CN. F. LENTVLVS SCIPIO.
EX K. IVLIS T. QVINCTIVS T. F. CRISPIN. VALERIAN.

DCCLX.M. FVRIVS P. F. P. N. CAMILLVS SEX. NONIVS L. F. L. N. QVINCTILIANVS

EX A. D. V. KAL. IVLI.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXI.

COS. XIII. P. P. IMP. XV.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. X.

COS. II. IMP. V.

EX K. IVLIS C. APRONIVS C. F. C. NEPOS

EX K. IVLIS A. VIBIVS C. F. C. N. HABITVS

I. C. POPPAEVS Q. F. Q. N. SABINVS Q. SVLPICIVS Q. F. Q. N. CAMERINVS

EX A. D. V. KAL. IVLI.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXII.

COS. XIII. P. P. IMP. XVI.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. XI.

COS. II. IMP. V.

EX K. IVLIS M. PAPIVS M. F. M. N. MVTILVS

EX K. IVLIS Q. POPPAEVS Q. F. Q. N. SECVNDINVS

II. P. CORNELIVS P. F. P. N. DOLABELLA C. IVNIVS C. F. M. N. SILANVS

FLAMEN MARTIALIS

EX A. D. V. KAL. IVLI

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXIII.

COS. XIII. P. P. IMP. XVI.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. XII.

COS. II. IMP. V.

EX K. IVLIS SEX. CORNELIVS CN. F. CN. N. LENTVLVS

MALVGINENSIS FLAMEN DIALIS.

III. M. AIMILIVS Q. F. M'. N. LEPIDVS T. STATILIVS T. F. T. N. TAVRVS

EX A. D. V. KAL. IVLI

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXIIII.

COS. XIII. P. P. IMP. XVII. XVIII. XIX. XX.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. XIII.

COS. II. IMP. VI. VII.

EX K. IVLIS L. CASSIVS L. F. L. N. LONGINVS

IIII. GERMANIC. IVL. TI. F. AVG. N. CAESAR C. FONTEIVS C. F. C. N. CAPITO

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR

III. COS. II. PROCOS.

DE ILLVRIEIS PANNONIEIS DALMATEIS

ET GERMANEIS VI. IDVS MAI.

EX A. D. V. KAL. IVLI

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXV.

COS. XIII. P. P. IMP. XX.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. XIIII.

COS. II. IMP. VII.

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS

MORVM LEGVMQ. REGIMEN SEXT. IN DECENN. ACCEPIT.

EX K. IVLIS C. VISELLIVS C. F. C. N. VARRO

V. C. SILIVS P. F. P. NEPOS L. MVNATIVS L. F. L. N. PLANCVS

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. AVGVSTVS

ET TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR

REI PVBLICAE CONSTITVENDAE POTESTATEM

IN DECENNIVM ACCEPERVNT.

EX A. D. V. KAL. IVLI

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXVI.

COS. XIII. P. P. IMP. XXI.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. XV.

COS. II. IMP. VII.

SEX.

VI. SEX. POMPEIVS SEX. F. SEX. NEPOS SEX. APPVLEIVS SEX. F. SEX. NEPOS

EX K. IVL. AD K. IVL.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIF. MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XXXVII.

COS. XIII. P. P. IMP. XXI.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR PONTIF. TRIBVNIC. POTEST. XVI.

COS. II. IMP. VII.

IMP. CAESAR DIVI F. AVG. TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR LVSTR. CCXXIII.

HOC ANNO AD XIIII. KAL. SEPTEMBR.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS MORTVVS EST.

TI. IVLIVS AVG. F. DIVI N. CAESAR.

COGNOMEN AVGVSTI CVM IMPERIO ACCEPIT.

FRAGMENTVM MARMOREVM FASTORVM MVNICIPALIVM, PRAECIPVOS

MVNICIPII ALICVIVS MAGISTRATVS CONTINENS, VNA CVM CONSVLATIBVS VRBIS ROMAE.

P. PAETINIVS
P. PVBLICIVS AED.
L. SEMPRONIVS L. SCRIBONIVS
K. IVL. P. AEMILIVS
C. MEMMIVS
K. NOVEMB. M. HERENNIVS

BELLVM ILLYRIC.

EX K. IVL. AD K. IVL.
Q. LAERTIVS. C. CVMEIVS. II. VIR

BELLVM MARSIC.

C. ANNIVS. SEX. VETTIVS. AED.
EX K. IVL. AD K. IVL.
L. SCVTARIVS. M. CALPVRNIVS. Q.
IMP. CAESAR. II. L. VOLCATIVS
K. IAN. P. A||||ONIVS
K. MAII. L. FLAVIVS
K. IVL. M. ACILIVS. C. FONTEIVS
K. SEP. L. VINVCIVS
K. OCT. L. LAENONIVS
EX K. IVL. AD K. IVL.
C. AEMILIVS. Q. PONTINIVS. II. VIR
C. VALERIVS. C. TVRPILIVS. AED.
L. LIVIVS LIGVS. L. CORNELIVS. Q.
CN. DOMITIVS. C. SOSIVS.
K. IVL. L. CORNELIVS
K. NOV. N. VALERIVS
EX K. IVL. AD K. IVL.
PRAEFECTI
T. LICINIVS. L. CORNELIVS
EX K. IVL. AD K. FEBR.
C. PLOTIVS. C. ANNAEVS. II. VIR

EX. K. IVL. AD K. FEBR.
SEX. TITIVS. L. GEMINIVS. II. VIR.
P. SEXTILIVS
EX K. IVL. AD K. IAN.
L. SCVTARIVS. T. SEPTIMIVS. II. VIR.
T. ANTONIVS. M. VALERIVS. Q.
IMP. CAESAR. III. M'. VALERIVS
K. MAII. M. TITIVS
K. OCT. CN. POMPEIVS
EX K. FEBR. AD K. IVL.
M. HSTILIVS. L. ANNAEVS. AED.
HOC ANNO QVAESTORES CREATI
EX K. IVL. AD K. IVL.
C. SVLPICIVS.
C. SALLVSTIVS. RVFVS. Q.
IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIVS
K. IVL. C. ANTISTIVS

BELLVM ALEXANDR.

EID. SEPT. M. TVLLIVS
K. NOV. L. SAENIVS
EX K. IAN. AD K. IAN.
L. CORNELIVS. Q. VSTTIVS. II. VIR.
L. CASSIVS. C. GEMINIVS NIGER. Q.
IMP. CAESAR. V. SEX. APPVLEIVS
L. OPPIVS. L. LIVIVS. II. VIR.
M. NERVIVS. C. MESTRIVS. AED.
Q. PLESTINIVS. SEX. FABIVS. Q.
IMP. CAESAR. VI. M. AGRIPPA. II.
EX K. IAN. AD K. IAN.
L. OFNIVS. C. GEMINIVS. MAG.
C. CETRONIVS. C. CLODIVS AED.

IN ALIQVOT FASTORVM LOCOS ANIMADVERSIONES.

ANN. AB VRB.COND. DCCIX. HOC ANNO C. Iulius Cæsar V. & M. Antonius COS. fuêre: eodemque anno Cæsar Dictatoris perpetui titulo cum ipso statim Consulatu vti cœpit. Cumque eo anno in Parthos proficisci cogitaret, M. Antonio Consulatum in totum annum gesturo, & quòd M. Lepido in Galliam Narbonensem & Hispaniam citeriorem Prouincias sibi à Cæsare decretas proficiscendum esset, C. Octauium in locum Lepidi sibi magistrum Equitum in hunc annum adsciuit: in insequentem autem annum Cn. Domitium Caluinum Magistrum Equitum designauit, P. autem Dolabellam sibi in Consulatu substituit.

DCCX. Q. Pedium COS. Tabulæ Capitolinæ Marci filium produnt, fragmentum verò Colatianum Quinti filium, sed nos marmor Capitolinum sequuti sumus.

DCCXIIII. HOC anno post Consulatum Marci Censorini & Caluisij Sabini asscripsimus Q. Saluium Saluidienum Consulem designatum fuisse, sed condemnatum non iniisse. Hunc autem tam Dion ipse qui Græcè scripsit, quàm Velleius Paterculus, Suetonius, & Florus, Q. Saluidienum Rufum appellant. E quibus Dion, Paterculus, & Suetonius tradunt Saluidienum obscuris natum parentibus, ex infima fortuna ad summa quæque, immò & ad Consulatum ab Augusto euectum fuisse. Florus scribit & legatum Augusti fuisse, bello quod contra Sex. Pompeium gessit: Dion verò bello Perusino contra L. Antonium à Cæsare Romam proficiscente ad oppugnationem Sentinatium relictum fuisse: digressoque Augusto Saluidienum oppidum ex inopinato aggressum cepisse, direptumque incendisse. Item haud multò pòst, quum Sex. Pompeius contracta proscriptorum fugitiuorumque manu littora & oram Italicam infestaret, Q. Saluidienum ab Augusto cū classe Rhegium præmissum, Pompeiumq; ab Italia reiecisse. Hinc posteà ab Augusto Cos. designatus, quum Senator nondum fuisset, quod hactenus præter Pompeium & ipsum Cæsarem nemini contigisse tradit Paterculus: scilicet vt statim ab equestri ordine ad Consulatum promoueretur. Ceterùm pace inter Cæsarem & Antonium circa Brundusium facta, Saluidienus Antonij indicio proditus, tanquam res nouas & insidias Cæsari molitus, ab ipso Cæsare apud Senatum accusatus, demùm condemnatus & hostis iudicatus, occisus est. Eutropius ex Liuio condemnatum quidem scribit, sed sibi manus attulisse: idq; eo anno quo Cn. Domitius Caluinus, C. Asinius Pollio Coss. fuêre, DCCXIII. Hunc Saluidienum Rufum ego eundem esse credo, qui in nummo, quem hoc anno post Consulatum Censorini & Sabini à nobis repræsentatum videre licet, Q. Saluius vocatur, Imperator & Consul designatus: videlicet ab Augusto etiamnū Triumuiro Reipublicæ constituendæ, vti pars nummi aduersa testatur, cui inscriptum est, C. CAESAR III. VIR R.P.C. neque enim alium Q. Saluium sub id tempus aut Cos. designatum, aut Imperatorem exercitus fuisse, aut apud Dionem (qui vel diligentisimè exactisimeque omnia persecutus est) aut apud alium quemquam legere memini. Quæ vtraque de Saluidieno auctores suprà memorati tradunt: nam Imperatorem appellatum vel salutatum verisimile est, siue post captum Sentinatium oppidum, siue post Pompeium ab Italia repulsum. Facit præterea vt id ita esse facilius credam, fulmen in auersa nummi parte expressum, quod Saluidienus prodigium,
„ quo summam aliquam potestatem sibi protendi credebat, hoc symbolo publicare, &
„ fulgure nummo impresso, quasi Ioui acceptū referre voluerit: tanquam cælesti igne

siue

siue fulgure circumfulsus: de quo hæc sunt Dionis verba: Ei Saluidieno obscurißimo genere nato pascenti gregem, flamma è capite emicuit, eumque Cæsar ad id dignitatis euexerat, vt Consul, quum Senator numquam fuisset, designaretur. Quod ad nominis diuersitatem attinet inter Saluius & Saluidienus, omnino existimarim ipsum prius Saluidium fuisse dictum: ceterùm ignobilem, & forsan in municipio aliquo natum, se nobili cuipiam ciui Romano in adoptionem dedisse: idq; propter nominis affinitatem Saluio cuidam. Nam & tum nō ignobilem fuisse Romæ Saluiorum gentem, & in ea plures familias, testantur inter cetera quidam nummi ipsius Augusti, in quibus legimus Saluium Othonem Triumuirum, A. A. A. F. F. & fragmentum quoddam antiquum Fastorum Consularium & aliorum Magistratuum, quod inter Mazochialia legitur, in quo Cæsare Augusto III. C. Valerio Messalla Cos. anno D. C C. X X II. C. Saluius Bubulcus Quæstor fuisse legitur. Hunc igitur Saluidium à Saluio Rufo adoptatum, quod adoptatus in adoptantis nomē & familiam transire solebat, dictum deinceps Q. Saluium Saluidienum Rufum: quanquam à scriptoribus familiariter & propter breuitatem Saluidienus Rufus pp elletur: vti & Augustus ferè Octauianus Cæsar non adiecto C. Iulij patris adoptiui nomine. Nec mirum videri debet à Saluidius deriuatum esse Saluidienus, & non potius Saluidianus, quum id nouum non sit, & non rarò à primitiuis in ius desinentibus, deriuatiua in enus terminentur: sic ab Aufidijs, Gallijs, Allijs, Pupijs, Vettijs, Mesiijs, & Matijs, facti Aufidieni, Gallieni, Allieni, Pupieni, Vettieni, Mesiieni, & Matieni.

HOC anno, qui fuit quintus & vltimus primi Triumuiratus, Antonius post Parthos duce Ventidio deuictos à Senatu laudatus, & Imperator Antonius appellatus est: vti nummi manifestum faciunt. Inter quos vnus huius anni Triumuiratus tabellæ in Fastis nostris annexus, alter atq; idem tertius inferius ad Ventidij de Parthis triumphum, & ad secundum Antonij Triumuiratum, & quartus ad secundum Antonij Consulatū expresſi cernuntur: in quibus legitur IMP. ANTONIVS AVGVR IIIVIR. ITER. R. P. C. DCCXV

Imperator Antonius.

HOC anno, qui fuit primus Triumuiratus in alterum quinquennium initi, aut certè insequenti, Sicilia à Sex. Pompeio recepta, Augustus Imperatoris prænomen accepit, & Imperator Cæsar appellatus est: vti anno præcedēti Antonius. Id inter cetera testantur nummi antiqui, in quibus statim à secundo Triumuiratu inito, Cæsar ferè semper Imperator Cæsar inscribitur, vt in plurimis ipsius nummis, qui sparsim in Fastis prædictis, vbi res postulabat, inserti sunt, videre licet. Perperam igitur ex Dione tradit Onuphrius, Cæsarem serius Imperatoris prænomen accepisse, anno scilicet D. C C. XX I I I I. quinto suo Consulatu: quanquam vsurpasse quidem eum honorem vel antea confitearur, quanquam nondum legibus concessum. Sed nummi non sine publica & Senatus auctoritate procusi contrarium euincunt. DCCXVI

Imperator Cæsar.

C. Memmium istius anni Cos. Caij filium fuisse, ex nummo antiquo additum est, vti in ipso nummo videre est. DCCXIX

Nomen patris L. Sæuini Cos. Caius ex nummo petitum est, vti nummus ipse hic additus testatur. Similiter ex alterius nummi auctoritate Vinicium Cos. suffectum, non Venucium scripsimus, vti alij plerique. DCCXX

Nomen patris & aui Cn. Pompeij Rufi Cos. suffecti ex antiquo nummo restituimus, in quo disertè legimus Cn. Pompeium Rufum Quincti filium, Quincti item nepotem fuisse. DCCXXI

Patrem C. Antistij Caium ex nummo antiquo habemus. DCCXXIII

Onuphrius in suis ad Fastos commentationibus scribit, Augustum anno demùm D. C C. L V I I. DCCXXIIII

D. C C. L V I I. Lucio Valerio Messalla, Gn. Cornelio Cinna Cos. post tertium decimum & vltimum Consulatum Patrem Patriæ appellatum: idque nulla auctoritate. Nam quod Suetonium & Ouidium in Fastis huius sententiæ auctores facit, ex hoc quidem illud tantùm intelligi potest, Nonis Februarij, aut sub Nonas honorem Cæsari à Senatu populoque Romano & equestri ordine delatum: ex illo verò mandantibus cunctis per Valeriũ Messallam: sed non Consulem, vti Onuphrius credidisse videtur: ideoq; illo anno primùm delatum fuisse, quo L. Valerius Messalla cum Cornelio Cinna Cos. fuit. Sed huic Onuphrij sententiæ nummi antiqui riq; quàm plurimi refragantur, qui à tertiodecimo Cæsaris Consulatu ad quintum vsq; per singulos ferè non solùm Cõsulatuum, sed & Tribuniciæ potestatis annos, in his Augusti numismatibus spectatur: in quibus omnibus inter ceteros titulos Patris Patriæ appellatio adscripta legitur, è quibus sufficerit hic sex aut septem adscripsisse: & primùm quidem folio 16. sic in nummo 118. legimus IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. XII. P. P. Item eodẽ fol. nummo 186. & fol. 70. nũmo 2. sic legimus: AVGVSTVS PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. XI. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. Item folio 15. nummo 177. & fol. 70. nummo 1. sic legimus: AVGVSTO DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. XI. IMP. XII. COS. XI. PATRI PATRIAE S. P. Q. R. Item folio 14. nummo 163. & fol. 70. nummo 1. sic legimus: CAESARI AVGVSTO TRIBVN. POT. VIII. IMP. IX. COS. XI. PATRI PATRIAE S. P. Q. R. Item fol. 14. nummo 158. CAESAR AVGVSTVS TRIB. POTEST. III. P. P. Item fol. 13. nummo 145. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. VIII. P. P. IMP. VII. Denique fol. 6. nummo 67. IMP. CAESARI DIVI F. COS. V. P. P. IMP. VII. S. P. Q. R. Quare quum vel quincto Consulatu eo titulo vsum constet, sed nec maturius, adscripsimus in tabella in Fastis nostris quincto ipsius Consulatui subiecta, in illo honore Patrem Patriæ appellatum: idque eo libentiùs, quòd antiqua inscriptio basis statuæ, vt videtur equestris (oblonga est enim) testatur in eo Consulatu Rempublicam ab ipso conseruatam, aut certè propter Rempublicam ab ipso iam tum antea cõseruatam, statuam aut alium aliquem honorem decretum ipsi fuisse. quod ipsum à nobis in Tabella additum, quòd ob hoc verisimile sit inter alios honores Patrem Patriæ appellatum. Ipsa autem inscriptio sic habet.

SENATVS POPVLVSQ. ROMANVS
IMP. CAESARI DIVI IVLI. F. COS. QVINCT.
COS. DESIGN. SEX. IMP. SEPT.
REPVBLICA CONSERVATA.

Statuam autem equestrem ipsi quincto Consulatu decretam arguit nummus qui in iisdẽ Fastis ad quinctum eius Consulatum & hoc in libro folio 6. nummo 64. cuius pars aduersa spectatur folio 46. nummo 4. expressus cernitur, in cuius parte auersa est istiusmodi statua protensa dextra, quem in statuis habitum gestumque Pacificatoris appellant, ipsaq; nummi inscriptio haud multum ab inscriptione baseos differt, & sic habet, IMP. CAESARI DIVI F. COS. V. IMP. VI. S. P. Q. R. Huc accedit, quod vt maximè concedamus honorem hunc per Valerium aliquem Messallam Augusto delatum fuisse, eumq; vel Consulem vel certè Consularẽ, siue Marcus ille Valerius fuerit, siue alio aliquo prænomine appellatus (neque enim id Suetonius exprimit, sed tantùm per Valerium Messallam) minimè tamen necesse est dicere id serius factum, post decimumtertium videlicet Augusti Consulatum anno D. C C. L V I I. quo M. Valerius

M. Valerius Messalla Consul fuit: quando hoc ipso quincti Consulatus Augusti anno Potitus Valerius Messalla Consul fuit, suffectus ex Kalendis Iulijs: nec quicquam prohibet quominus ille ipse Potitus Messalla Consul eodem illo anno Augusto tum quinctū Consuli eum honorem deferre potuerit. Vt interim taceam quòd & eo ipso tempore, quo Augustus quinctū hunc Consulatum iniit, & alij fuerint Valerij Messallæ Consulares, per quos honor ille deferri potuerit. Veluti M. Valerius Messalla Coruinus, qui secundo antè anno DCCXXII. vnà cum ipso Augusto Consulatum gessit. Iterum N. Valerius Messalla, qui anno præcedenti DCCXXI. Consul suffectus fuit.

Et hic vti superius anno DCCXX. Vinicius, non Venucius scripsimus ex nummo antiquo. DCCXXVIIII.

Quando hunc C. Furnium Cos. omnino credendum est filium fuisse C. Furnij, qui prius anno DCCXXIIII. Cos. fuit, hic à nobis scriptū est, C. FVRNIVS C. F. P. N. DCCXXXVI.

C. Valgium Cos. suffectum ex nummo antiquo habemus Caij filium Quincti nepotem fuisse. DCCXLI.

L. quoque Manlij, qui hoc anno Cos. suffectus fuit, patrem Caium ex nummo antiquo addidimus, vti & alterius hoc eodem anno ex alio nummo Q. Nonij Aspernatis Patrem Sextum. DCCXLVII.

Ex nummo antiquo L. Passienum Crispinum scripsi, non Crispum, vt alij hactenus, addidique ex eodem Quincti filium fuisse. DCCXLIX.

C. Caninij Galli patrem fuisse Lucium ex nummo antiquo adnotauimus. DCCLI.

DE COLONIARVM MAGISTRATIBVS ET REPVBLICA.

COLONIARVM Respublica in legibus & legum curatoribus posita fuit. Leges vel à Populo Romano acceperunt, vel ipsæ sibi per Senatum aut Populum condiderunt. Legũ diuinarũ curatores erant Sacerdotes, vt humanarum Magistratus. Leges vnaquæq; Colonia suas habebat à Triumuiris, qui Coloniam deduxerant, datas, vel à Coloniæ concilio, hoc est Senatu Populoque suo latas. Senatores in Colonijs vt in Municipijs Decuriones vocabantur, quòd decima eorum pars qui deducerentur, publici consilij gratia sit solita conscribi. Duumviratus erat Magistratus propemodum potestate Consulari, aut certè Prætoriæ apud Romanos æqualis, quorum nomina in antiquis lapidibus & numismatibus exstant. imò & iterati Duumviratus vt apud Romanos Consulatus, notæ. Quos tamen aliquot in Colonijs, quarum memoria ad nostram vsque ætatem propagata est, III VIROS quoque fuisse in Colonia Auximate, & Signina, ex lapidibus veterum exstat, eosque I. D. Iuris dicundi causa cognomentum ex officio habuisse, probabile est. Ceterùm, quòd nos in AVGVSTI numismatibus capite Decimo octauo istos Duumviros Coloniæ deducendæ cognominauimus, in eo olim magnorum & antiquitatis peritorum iudicia sequuti sumus, ea ratione qua III. VIROS Coloniæ deducendæ Liuius, Dionysius, Frontinus, Velleius, ceterique auctores produnt. Eò tamen nostra inclinat sententia, vt eosdem potius Duumviros I. D. accipiamus, siue pro Magistratu Coloniarum: posteaquam ex fragmento marmoreo Fastorum municipalium, cuius editionem huic nostro operi attexuimus, nobis testatum est, II. VIROS in Fastis Municipalibus, siue Colonieis, annuos recenseri, vt apud Romanos in ipsorum Fastis Consules. Eaque de causa eosdem in Indice nostro II. VIROS I. D. appellauimus. Censores etiam in Colonijs fuisse perinde atque Romæ ex Liuio, vt itidem AEdiles ex marmoribus antiquis constat. & Magistratus in Colonijs prætexta vsos fuisse, idem auctor prodit. Sacerdotes porrò, vt Augures & Pontifices in Colonijs cooptatos Ciceronis Agraria testatur. An verò certus numerus Sacerdotum fuerit, an verò pro Coloniæ magnitudine variauerit, parum explorata apud antiquos memoria est. Fuêre & Præfecti in Colonijs, & Præfecti Iuri dicundo, vti tum ex numismatibus antiquis, tum ex ipso Fastorum fragmento constat. Præter eos quos recensuimus modò Magistratus, etiam Patroni Coloniarum fuerunt: ita Bononienses in Antoniorum clientela fuisse prodit Suetonius, vt Puteolanos in Cassiorum Cicero testatur, & eorundem varia amplaque in veteribus marmoribus mentio exstat.

NOTA-

NOTARVM ET LITTERARVM Singularium, dictionumq; contractius & per compendium tam in ipsis nummis, quàm adiuncta Fastorum parte, ac Titulis inscriptionibusque antiquis scriptarum explicatio.

A.	Aulus, *prænomen.*
A. F.	Auli filius.
A. N.	Auli nepos.
A. F. A. N.	Auli filius Auli nepos.
A. A. A. F. F.	Auro, Argento, Aere flando, feriundo.
A. vel AN.	Anno.
A. D.	Ante diem.
ABDIC.	Abdicauit.
ACT.	Actiacus *siue* Actium.
AED. CVR.	Aedilis curulis.
AED. PL.	Aedilis plebis.
AFR.	Africa.
AIM.	Aimulius.
ΑΛΕΞ. ΑΙΓΥΠ.	Ἀλεξανδρεία Αἰγύπτου.
N. vel NON.	Antonius.
ANT. AVG.	Antonius Augur.
ANTIAT.	Antiati.
AP.	Appius, *prænomen.*
AP. F.	Appij filius.
AP. N.	Appij nepos.
AP. F. AP. N.	Appij filius Appij nepos.
A. P. F.	Auro *siue* Argento publico feriundo.
ARMEN.	Armenia.
ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ.	ἀρχιερεὺς μέγας.
AST.	Asta vel Asturica.
AVG. F.	Augusti filius.
AVG. P.	Augusti puer.
AVG.	Augur, *siue* Augustus, vel Augusta.
ΑΥΤ. vel ΑΥΤΟΚ.	αὐτοκράτωρ.

B

B.	δεύτερον, *siue* δεύτερος.
BARBAT.	Barbatus.
BER.	Berytus.

C

C.	Caius, *prænomen.*
C. F.	Caij filius.
C. N.	Caij nepos.
C. F. C. N.	Caij filius Caij nepos.
C. L.	Caius & Lucius, *Nummo.4. Cap.xxviij.*
C. L.	Caij libertus.
C. A.	Cæsari Augusto, *forsan, Nummo.17. Cap.vij.*
CAES. AVG.	Cæsarea Augusta.
CAES.	Cæsar.
CELS.	Celsus, *siue* Celsa.
CENS.	Censores.
C. CIB. D. D. PVBL.	Corona cibica data decreto publico, *forsan, Nummo.18. Cap.xxj.*
CIVIB. ET SIGN. MILIT. A PARTH. RECVP.	Ciuibus & signis militaribus à Parthis recuperatis.
C. I. V.	Colonia Iulia Valentia, *siue* Victoria.
CIVIT.	Ciuitas.
CN.	Cnæus, *prænomen.*
CN. F.	Cnæi filius.
CN. N.	Cnæi nepos.
CN. F. CN. N.	Cnæi filius Cn. nepos.
CN. DOM. AMP.	Cnæo Domitio Ampulo, *Nummo.29. Cap.xvii.*
COHORT. PRAET.	Cohortis prætoriæ.
COL. A. A. PATRENS.	Colonia Augusta Patrensis, *quæ notet primum A. ignoratur.*
COL. AST. AVGVSTA.	Colonia Asta, *siue* Asturica Augusta.
COL. IVL. BER.	Colonia Iulia Berytus.
COL. IVL. BON.	Colonia Iulia Bonna, *siue* Bononia.
COL. IVL. COR.	Colonia Iulia Corinthius.
COL. IVL. OCTAV.	Colonia Iulia Octauia, *siue* Octauianorum.
COL. IVL. PHIL.	Colonia Iulia Philippis.
COL. IVL. VAL.	Colonia Iulia Valentia,

COL. NEM. Colonia Nemausus.
COL. SEBAS. Colonia Sebasta.
COL. TOLET. Colonia Toletum.
C. T. T. Colonia Tifernatium Tiberinorum. *forsan.* Nummo.217.Cap.j.
COM. ASIAE. Communitas Asiæ.
COMM. CONS. Communi consensu. *Num.19.21. Cap.xvj.*
CONS. SVO Conseruatori suo. *Num. 23. Cap.xij.*
COS. Consul.
COS. DES. Consul designatus.
C. VI. CEL. Caio Vibio Celsa. *Num. 50. Cap.xviij.*
CVST. Custos, *siue* custodi. *Num.3. Cap.xxxj.*
C(∞)I. *forsan* C∞I. *hoc est nongenti & vnum.*

D

D. Decimus, *prænomen.*
D. F. Decimi filius.
D. N. Decimi nepos.
D. F. D. N. Decimi filius Decimi nepos.
D. D. Donum dedit, *siue* dedicauit.
D. S. P. F. De sua pecunia faciundum.
D. XX. H. IIX. Dies viginti horas octo.
DAC. Dacicus.
DES. *vel* DESIGN. Designatus.
ΔΗΜ. *vel* ΔΗΜΑΡΧ. Δημαρχικῆς.
DIC. PER. Dictator perpetuus.
DISP. Dispensator.
DOM. Domitius.

E

E. Eius.
E. Est.
Є. Πέμπτον, *aut* Πέμπτος.
EQ. Equitum.
EQ. ORDIN. Equestri ordinis.
EVR. Europa.
EX. A. D. Ex ante diem.
EX. EA. P. Q. I. S. AD. A. D. E. Ex ea pecunia quæ iussu Senatus ad ærarium delatast.
EX. S. C. Ex Senatus consulto.

F

F. Filius.
F. F. Flando feriundo.
FAB. Fabia, *tribu scilicet.*
FABRIC. Fabricius.
FEC. Fecerunt.
FERON. Feronia.
FOR. RE. Fortunæ reduci.

G

Γ. Γαΐος.
Γ. Τρίτον, *siue* Τρίτος.
GELL. Gellius.
GER. Germanicus.
GERM. Germanis.

H

H. Horas.
HS. Sestertij nota.

I

I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAE. QVOD PER EV. R. P. IN AMP. ATQ. TRAN. S. E. Ioui optimo maximo Senatus populusque Romanus voto suscepto pro salute Imperatoris Cæsaris quòd per eum respublica in ampliori atque tranquilliori statu est.
I. O. M. SACR. Ioui optimo maximo sacrum.
IOVI OLYM. Ioui Olympio.
IOV. TON. Ioui tonanti.
IA. ἰνδίκατορ, *siue* ἰνδίκατος.
IAN. CLV. Ianus clusus.
IAN. Ianuari.
ID. Idus.
IMP. Imperator.
IMPER. CONSTIT. CAVS. Imperij constituendi caussa.
IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. Imperator Cæsar Augustus ludos sæculares, *vel* Imperator Cæsar Augustus ludi sæculares.
IMP. V. Imperator quintum.
IN. F R. P. IIII. IN. A. P. IIII. in fronte pedes quinque, in agro pedes quatuor.
IN M. M. E. In magistratu mortuus est.
IN E. L. F. E. In eius locum factus est.
IN M. O. E. In magistratu occisus est.
IN PROEL. OCCIS. E. In prælio occisus est.

IN

IN SEQVENT. AN. DES. E. In sequentem annum designatus erat.
II. VIR. Duouir, *vel* duumuir, *siue* Duumuiri.
II. VIR. Q. Duumuir quinquenalibus.
III. VIR. Triumuir.
III. VIR. A.A.A. F. F. Triumuir Auro, argento, ære flando feriundo.
III. VIR. R.P.C. Triumuir Reipublicæ constituendæ.
IIII. VIR. A.P.F. Quartumuir auro *siue* argento publicè feriundo.
VI. Quartum.
IVL. Iulia.
IX. Nonum.
IIX. Octauum.

K

K. *siue* KAL. Kalendis *vel* Kalendas.
KAIΣ Καίσαρ.

L

L. Lucius, *prænomen.*
L. F. Lucij filius.
L. N. Lucij nepos.
L. F. L. N. Lucij filius, Lucij nepos.
L. A. λυκάβας πρῶτος.
L. B. λυκάβας δεύτερος.
L. Δ. λυκάβας τέταρτος.
L. IZ. λυκάβας ἑπτακαιδέκατος.
L. ΓΔ λυκάβας τριακοστὸς τέταρτος.
LEG. Legatus
LEG. PROPR. Legatus proprætore, *siue* proprætoris.
LVD. SAEC. Ludos sæculares.
LVSITA. Lusitaniæ.
LVST. FEC. Lustrum fecerunt.

M

M. Marcus, *prænomen.*
M. F. Marci filius.
M. N. Marci nepos.
M. F. M. N. Marci filius Marci nepos.
M. L. Marci libertus.
M'. Manius *prænomen.*
M'. F. Manij filius.
M'. N. Manij nepos.
M'. F. M'. N. Manij filius Manij nepos.
M. *vel* MAG. Magistratum.
M. *vel* MORT. Mortuus.
M. A. *Nummo 21. Cap. xxix. ignoratur.*
MAG. EQ. Magister equitum.

MAR. VLT. Mars vltor, *siue* Martis vltoris.
M. MAR.
MART. Martijs, *vel* Martias.
MIL. LEG. V. ALAVD. Militi legionis quintæ Alaudæ.
MIROBR. Mirobrigam.
MN. CAL. IVL. *siue* MVN. CALAG. IVL. Municipium Calaguris Iulia.
MVN. Municipium.
MVN. Munitæ, *Nummo 13. 15 &c. Cap. xvj.*
N. Numerius, *prænomen.*
N. F. Numerij filius.
N. N. Numerij nepos.
N. F. N. N. Numerij filius Numerij nepos.
NT. NT
NON. Nonas, *vel* Nonis.

O

O. C. S. *vel* OB C. S. *vel* OB. CIV. SER. Ob ciuis seruatos.
O. *vel* OPT. Optimo.
OCT. *vel* OCTOB. Octobris.
OCCIS. Occisus.

P

P. Publius, *prænomen.*
P. F. Publij filius.
P. N. Publij nepos.
P. F. P. N. Publij filius Publij nepos.
P. P. *vel* PAT. PAT. Pater patriæ.
P. M. *vel* PONT. MAX. Pontifex maximus.
P. *vel* POT. Potestate.
P. CI. Prætor Ciliciæ, *forsan, Nummo 7. & 11. Cap. iiij.*
P. R. Populus Romanus, *vel* Populi Romani.
PAREN. Parenti. *Nummo 15. Cap. xij.*
PART. Parthicus.
PERP. Perpetuus.
PL. Æ. TRAN. Plætorius Tranquillus.
PONT. Pontifex.
PRAEF. OR. MARIT. ET CLASS. Præfectus oræ maritimæ & Classi.

PR. PRO COS.	Præfectus Pro consuli.
PR. II. VIR.	Præfectus Duumuiri.
PR.	Prætor.
PR. Q.	Pro quæstor, *vel* Pro quæstore.
PRO COS.	Pro consul, *vel* Proconsule.
PRID.	Pridie.

Q

Q.	Quinctus, *Prænomen.*
Q. F.	Quincti filius.
Q. N.	Quincti nepos.
Q. F. Q. N.	Quincti filius Quincti nepos.
Q.	Quæstor.
Q. P.	Quæstor prætorius, *siue* Prætoris.
Q. PR.	Quæstor prouinciæ.
Q. DESIG.	Quæstor designatus.
QVOD V. M. S. EX EA P. Q. I. S. AD A. D. E.	Quod vix munitæ sunt ex ea pecunia quæ iussu Senatus ad ærarium delata est. *Nummo.* 16. 18. & 23. *Cap. xvj.*

R

R. P. C.	Rei publicæ constituendæ.
R. R. PROX. CIPP. PED. CLXVI S.	Ruderibus reiectis proximo cippo pedes sexagintasex semis.
RECEP.	Rece[illegible]ta.
REST.	R[illegible]tuit.
ROM. ET AVG.	Romæ & Augusto.

S

S. C.	Senatus consulto.
S. P. Q. R.	Senatus Populusque Romanus.
SP.	Spurius, *prænomen.*
SP. F.	Spurij filius.
SP. N.	Spurij nepos.
SP. F. SP. N.	Spurij filius Spurij nepos.
SALM.	Salmanticam.
SCAPT.	Scaptia, *tribu scilicet.*
SEMP.	Sempronius.
SER.	S[illegible], *prænomen.*
SER. F.	Se[illegible]lius.
SER. N.	Seruij nepos.
SER. F. SER. N.	Seruij filius Seruij nepos.
SEX.	Sextus, *prænomen.*
SEX. F.	Sexti filius.
SEX. N.	Sexti nepos.
SEX. F. SEX. N.	Sexti filius Sexti nepos.
SICIL.	Sicilia.
ς.	Senarij nota.

T

T.	Titus, *prænomen.*
T. F.	Titi filius.
T. N.	Titi nepos.
T. F. T. N.	Titi filius Titi nepos.
T. CEL.	Tito Celere. *Num.* 54. *Cap. xviij.*
TI.	Tiberius, *prænomen.*
TI. F.	Tiberij filius.
TI. N.	Tiberij nepos.
TI. F. TI. N.	Tiberij filius Tiberij nepos.
ER. *siue* TERT.	Tertium.
ΘE.	Θῆος, *siue* Θεός.
TR. MIL.	Tribunus militum.
TR. P. *vel* TRIB. POT. *vel* TRIBVNIC. POTEST.	Tribunicia potestate.

V

V.	Quintum.
V. S. *vel* VOT. SVSC.	Voto suscepto.
V. PR. RE. CAE.	Voto pro reditu Cæsaris.
VOT. P. SVSC.	Voto publicè suscepto.
VOT. S. PRO R. CAES.	Voto suscepto pro reditu Cæsaris.
VOT. P. SVSC. PRO SAL. ET RED. I. O. M. SACR.	Voto publicè suscepto pro salute & reditu Ioui optimo maximo Sacrum.
VAR. RVF.	Varius Rufus.
VIC. AVG.	Victoria Augusta, *siue* Victoriæ Augusti.
VIX.	Vixit.

X

X.	Decimum.
XIV.	Decima quarta.
XIIX.	Decima octaua.
X[illegible]V.	Vigesima quarta.
XXIIX.	V[illegible]esima octaua.
XV. S. F.	Quindecemuir sacris faciundis.

SVM-

SVMMARIA PECVNIÆ ROMANÆ, çuius noſtra pluribus paſſim locis meminit hiſtoria, ad huius ſæculi pecuniam comparatio.

IVlius Cæſar Populo Romano Viritim trecenos Seſtertios legauerat. *Hoc eſt, ſeptem coronatos & ſemiſſem.*

M. Antonius cenſebat Sex. Pompeio Magni filio pro bonis paternis in ærarium delatis reddendum de publico HS. bis millies. *Hoc eſt, quinquagies centena millia coronatorum, ſiue quinque milliones.*

Antonius poſt cædem Cæſaris occuparat Seſtertiûm ſepties millies à Cæſare ad ædem Opis depoſitam. *Hoc eſt, centies ſeptuagies quinquies centena millia coronatorum, ſiue ſeptemdecim milliones ſemis.*

Percuſſoribus proſcriptorum, quiq́ue caput proſcripti ad Triumuiros referret, præmium propoſitum fuerat, ingenuis quidem centena millia HS. ſeruis verò dimidium. *Hoc eſt, duo millia coronatorum & quingenta.*

Antonius percuſſori Ciceronis Tribuno, pro capite HS. decies dedit. *Hoc eſt, Vigintiquinque millia coronatorum.*

Sex. Pompeius conſeruatoribus proſcriptorum præmium propoſuit duplum eius quod percuſſoribus conſtitutum erat. Hoc eſt, CCM. HS. *quæ faciunt quinque millia coronatorum.*

Nonius Struma ſenator ſmaragdum poſſidebat nucis auellanæ magnitudine, æſtimatam Vicies HS. qua vt potiretur Antonius Nonium proſcripſit. *Hoc eſt, quinquaginta millia coronatorum.*

In bello ciuili contra Brutum & Caſſium, Laodiceæ, quò Statius Murcus Caſſianæ claſſis præfectus Dolabellam compulerat, libra panis quinquaginta ſeſtertijs venibat. *Hoc eſt, coronato, ſemis.*

C. Caſſius Tarſenſibus tributi nomine centies & ter ſeſtertiûm imperauit. (*Hoc eſt, Septingenta & quinquaginta millia coronatorum.*) Rhodijs verò decem annorum tributum extra ordinem ex cenſu conferendum repræſentandumq́ue imperat, vſque ad Seſtertiûm octogies millies. *Hoc eſt, bis millies centena, & ducenta millia coronatorum, ſiue ducenti milliones.*

M. Brutus Lycios multæ nomine ſeſtertiûm ter millies imperauit. *Hoc eſt, ſeptuagies quinquies centena millia coronatorum, ſiue ſeptem milliones & ſemis.*

Brutus & Caſſius militibus ſuis ſingulis donatiui nomine nummos mille quingentos repræſentarunt. *Hoc eſt, triginta octo coronatos.*

In expeditione Parthica Antonij contra Phraatem, tanta in Antonij caſtris fame laboratum eſt, vt libra panis ducentis Seſtertijs veniret; hordeaceus verò panis pari argenti pondere. *Hoc eſt, quinque coronatis.*

Capta à Cæſare Auguſto Alexandria, Archibius ne ſtatuæ Cleopatræ conuellerentur, ſeſtertiûm quadringenties redemiſſe traditur. *Hoc eſt, decies centena millia coronatorum, ſiue millione.*

Auguſtus capta Alexandria, Ægypto in formam prouinciæ redacta, ſtipendium Pop. Rom. Seſtertiûm octies millies pendere iuſſit. *Hoc eſt, ducenties centena millia coronatorum, ſiue Viginti milliones ſemis.*

Auguſtus poſt victoriam Actiacam & bellum Alexandrinum Romam reuerſus militibus donatiui nomine ſingulis ducenos quinquagenos denarios (*Hoc eſt, quinquaginta coronatos*) diſtribuit: Duplex Centurioni. (*Hoc eſt, centum coronatos*) Triplex Equiti. (*Hoc eſt, centum coronatos & ſemiſſem.*) Populo verò congiarij nomine quadringenos viritim nummos (*Hoc eſt, decem coronatos,*) diuiſit, ne præteritis quidem minoribus.

Triumpho Alexandrino ex Gaza regia in Vrbem inuecta, tanta rei nummariæ Romæ copia fuit, Vt fœnus à dextantibus ad trientes (*Hoc eſt, quum decem antea fœnoris ex centeſima ducebantur, nunc ex eadem tantùm quatuor penderentur*) diminueretur, plurimumq́ue agrorum precijs accreſceret.

Auguſtu

Augustus vniuersæ Galliæ vectigal Sestertiûm quater millies imperauit, *Hoc est, centies centena millia coronatorum, siue decem milliones.*

Augustus in recognitione Senatus censum Senatorum, qui octingentorum milium fuerat, ad duodecies sestertiûm (*Hoc est, viginti millia coronatorum ad triginta millia expleuit ratione sesquialtera*) deinceps taxauit, suppleuitque non habentibus.

Idem Augustus omnibus qui Sestertiûm quadringenta (*hoc est, decem millia coronatorum*) in censu possiderent, legitimum magistratum petendi potestatem faciebat.

Augustus M. Hortensium Hortalum, ne clarissima gens Hortensia extingueretur, liberalitate decies sestertiûm (*Hoc est, vigintiquinque millium coronatorum*) vt vxorem duceret, pellexit, quòd aliâs re tenui esset.

Augustus in cellam Iouis Capitolini præter sedecim millia pondo auri in gemmis ac margaritis quingenties sestertiûm (*Hoc est, duodecies centena & quinquaginta millia coronatorum*) vne donatione contulit.

Lolliæ M. Lollij filiæ ornatus capitis, crinium, aurium, colli, ac manuum, qui nonnunquam etiam vna mediocrium sponsalium cœna ad lucernas refulgeret, quadringenties sestertiûm (*Hoc est, decies centenis millibus, siue millione*) æstimatus est.

Augustus postquam intellexisset plurimos grauitate fœnoris & æris alieni fortunis prolapsos, euersa re familiari, nec sine iactura dignitatis ac famæ, vt ei malo mederetur, Sestertiûm millies (*Hoc est, vicies quinquies centena millia coronatorum, siue duos milliones semis*) per mensas disposuit, vsumque gratuitum per triennium concessit ijs, qui ærario fiscóve in duplum prædijs cauere possent.

L. Tarius Rufus infima natalium obscuritate, nauata egregiè bello Siculo opera, ad Consulatum prouectus, sestertiûm millies parsimonia sibi congesserat, ipsumque Augustum heredem sibi scripserat. *Hoc est, vicies quinquies centena millia coronatorum, siue duos milliones semis.*

Augustus Sex. Ælio Cato & C. Sentio Saturnino Coss. acto vicatim censu, Senatorium Equestremque ordinem prolixa liberalitate prosequutus, Censum Senatorium ab octingentorum millium summa ad duodecies Sestertiûm ampliauit: (*sesquipla itaque ratione censum auxit; vt viginti millia coronatorum ad triginta ampliarentur*) nec vllum in Equestrem ordinem recepit cui in censu non esset quadringenta sestertiûm, *Hoc est, decem millia coronatorum.*

Augustus redacto quidquid vbique militum esset sub Imperio Romano ad certam stipendiorum ac præmiorum formulam, Prætorianis præmium viginti millia sestertiûm (*Hoc est, quingentorum coronatorum*) constituit, in stipendium verò diurnum binos denarios: (*Hoc est, quinctam coronati partem*) legionario verò siue gregario præmium duodena sestertiûm millia, (*Hoc est, trecentos coronatos*) stipendium verò diurnum decem assium, *Hoc est, Regali Hispanico argenteo.*

Census Romanus is erat, qui vt minimùm centum millia sestertiûm (*Hoc est, duo millia coronatorum & quingenta*) possideret.

Lege Iulia sumtuaria cauerat Augustus ne profestis diebus plusquam ducenta sestertia (*Hoc est, quinque coronatos*) in sumtus conuiuiorum impenderentur: Kalendis verò, Nonis, Idibus, festiuisque diebus plusquam trecenta: (*Hoc est, septem coronatos & semis*) Nuptijs verò ac repotijs & similibus, mille tantum (*Hoc est, vigintiquinque coronatos*) impenderentur.

Tiberius Germanico Cæsare & C. Fonteio Capitone Coss. Triumpho suo Germanico, populo prandium mille mensis præbuit, & congiarium trecenos viritim nummos, *Hoc est, septem coronatos semis.*

Augustus Testamento suo Tiberium ex parte dimidia & sextante hæredem scripserat, Liuiam verò ex parte tertia. Secundos verò hæredes Drusum Tiberij filium ex triente, Germanicum verò cum liberis, Druso, Nerone, & Caio, ex dodrante. (*Hoc est, assem siue integram hæreditatem esse ita distribuendam in quattuor partes, vt tres eiusdem Tiberius, reliquam partem Liuia acciperet. Itidem in secundis hæredibus dum dodrantem, pro tribus partibus, reliquum trientem pro quarta scribit, intelligendum est.*) Populo verò Romano quadringenties (*Hoc est, duodecies centena & quinquaginta millia coronatorum*) legauit: Tribubus autem tricies quinquies sestertiûm, (*Tribuum nomine (erãt namque Ciues Romani in trigintaquinque*

Tri-

Tribus descripti) *etiam plebem complectitur; populo itaque & plebi simul repræsentanda erat summa, Quadringenties, tricies & quinquies centena Sestertiûm, hoc est tredecies centena triginta septem millia coronatorum, & quingenti coronati.* Prætorianis autem singula millia nummûm: (*hoc est viginti quinque coronatos*) Cohortibus Vrbanis quingenos, (*hoc est duodecim Coronatos & semis*) Legionarijs trecenos viritim nummos (*hoc est septem coronatos & semis*) quam summam repræsentari iussit. E reliquis legatis quædam ad vicena millia sestertiûm produxit (*hoc est quingentos coronatos*) soluenda intra annum: caussatus mediocritatem rei familiaris, ex qua non plusquàm millies & quingenteis (*hoc est tricies & septies centena & quinquaginta millia coronatorum, siue tres milliones coronatorum cum dodrante vnius millionis*) ad hæredes peruenturum profitebatur: quamuis viginti proximis annis ex amicorum testamentis quater decies millies (*hoc est trecenties centena & quingenta millia coronatorum, siue triginta quinque milliones*) percepisset: quod ferme cum duobus patrimonijs ceterisque hæreditatibus in Rempublicam impendisset.

N. Atticus vir Prætorius à Liuia decies sestertiûm (*hoc est viginti quinque millia coronatorum*) accepit, vt iuraret, se Augusti cremati effigiem vidisse in cœlum subeuntem.

Augustus, auctore Cornelio Nepote, quoties largissimè se inuitaret, senos sextantes (*senos sextantes pro Sextario, siue libra Romana cum besse, dicit*) vini non excessisse, alioqui natura vini parcissimum fuisse.

DICTIONVM ET INSCRIPTIONUM Græcarum, quæ in nummis passim leguntur, interpretatio.

Cap. primo.

Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝΑΝΔΡΩΝ. C. Iulius Cæsar Triumuir. *Nummo.* 2.

ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝΑΝΔΡΩΝ. Cæsar Imperator Triumuir. *Num.* 11.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ. Imperator Cæsar Diui filius. *Num.* 28. & 44.

ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ. Cæsar filius Diui Iulij. *Num.* 30.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. Imperatoris Cæsaris. *Num.* 53.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ. Imp. Cæsar. *Num.* 56.

ΚΑΙΣΑΡ ΥΠΑΤΟΣ Ε. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ ς. Cæsar Cos. V. Imperator VI. *Num.* 65.

ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Cæsarem Augustum Patrem Patriæ. *Num.* 74.

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Cæsar Augustus Pater Patriæ. *Num.* 76.

ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Imperat. Cæsar Diui filius Pater Patriæ. *Num.* 78.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΥΙΟΣ ΘΕΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ. Augustus filius Dei *siue* Diui Iulij. *Num.* 89.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ. Augustus Diui filius. *Num.* 92.
ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Augustus. *Num.* 98. 102. 103. 105. & 107.
ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Augusti. *Num.* 100.
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, Cæsaris Augusti. *Num.* 110.
ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Cæsarem Augustum. *Num.* 113.
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Cæsar Augustus. *Num.* 116. & 119.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Imperator Cæsar Augustus. *Num.* 122. 125. 127. 128. & 129.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Imperatorem Cæsarem Augustum. *Num.* 124.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Imperatoris Cæsaris Augusti. *Num.* 126. & 131.
ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Cæsar Augustus. *Num.* 133.
ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Imp. Cæsar Augustus. *Num.* 135.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ. Imperator Cæsar Augustus Tribuniciæ potestatis. *Num.* 155.
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥΣ. Cæsar Augustus Pontif. Max. Trib. potest. *Num.* 172.
ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΑΣ. Imp. Cæsar Augustus Pontifex Maximus. *Num.* 273.
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣ. ΙΑ. Augustus Pontif. Max. Tribunic. potest. XI. *Num.* 174.
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙ. ΜΕΓ. ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Cæsar Augustus Pont. Max. Pater Patriæ. *Num.* 176.
ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΟΥΠΑΤΟΣ. ΔΗ. ΕΞ. Imp. Cæsar Augustus Pontif. Max. Cos. Trib. pot. XVII.
ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Cæsar Augustus & Iulia Augusta. *Num.* 229.
ΘΕ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Diuus Cæsar Augustus. *Num.* 230.
ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. Cæsarem Augustum. Iuliam Augustam. *Num.* 231.
ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Diui Augusti. *Num.* 232.
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΑ ΘΕΙΑ. Augustus Diuus. Augusta Diua. *Num.* 233.
ΘΕΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Diuus Augustus. *Num.* 234.
ΤΟΝ ΘΕΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Diuum Augustum Patrem Patriæ. *Num.* 235.
ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΠΑΤΕΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Diui Augusti Patris Patriæ. *Num.* 237.
ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ. Diui Augusti. Diuæ Iuliæ Augustæ. *Num.* 238.
ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΣ ΠΑΤΗΡ. Augustus Diuus Pater. *Num.* 239.
ΘΕΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟ. ΘΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ. Diuus Augustus. Diua Augusta. *Num.* 240.
ΤΟΥ ΘΕΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Diui Cæsaris Augusti. *Num.* 242.

Cap.

Cap. II.

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΩΚΟΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ ////// Cæsarea Sebaſta nouis Colonis inductis frequentatá (quaſi dicas) repopulata. Iulius Diuus. *Num. v.*

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ. ΙΟΥΛΙΟΝ ΘΕΟΝ. Menander Parraſij. Iulium Diuum. *Num. xvj.*

ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ. Diuum Iulium Cæſarem. *Num. xix.*

ΘΕΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ. Diuus Iulius. *Num. xxj.*

Cap. VII.

ΜΑΡΚΟΣ ΑΓΡΙΠΠΑ ΟΥΡΑΤΟΣ. M. Agrippa Conſul. *Num vj*

ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝΑΝΔΡΩΝ. Imp. Cæſar Triumuir. *Num. xj.*

Cap. VIII.

Μ. ΑΓΡΙΠΠΑ ΟΥΠΑΤΟΣ ΤΡΙΤΟΝ. M. Agrippa Conſul tertiùm. *Num. iiij.*

ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ ΙΕΡΑ. Nicopolis ſacra. *Num. v. & Cap. xix. Num. ij.*

Cap. IX.

ΑΛΕΞ. ΑΙΓΥΠ. Alexandria Aegypti. *Num. ij.*

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. Cæſaris. *Num iiij. & vj.*

ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΩΝ. Alexandrinorum. *Num. viij.*

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Imperator. *Num. ix.*

Cap. XV.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΤΟΝ. Imperator tertiùm. *Num. xj.*

Cap. XIX.

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ. Cæſarienſium metropolitanorũ. *Num. j.*

ΚΥΔΩΝΙΑ. Cydonia. *Num. iij.*

ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΜΥΦΩΝΤΩ ΠΑΣΟΡΑΣ. Tripolitanorum, murium interfectricis Deæ Paſoras, hoc eſt omnia videntis. vt eſt coniectura. *Num. vj.*

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. Dionyſius *ſiue* Bacchus Maronitanorum. *Num. viij.*

ΣΕΒΑΣΤΑ, Auguſta. *Num. x.*

ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ. Tripolitanorũ metropolitanorũ. *Num. xj.*

ΣΕΒΑΣΤΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. Sebaſta *ſiue* Auguſta metropolis. *Num. xij.*

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΟΝΟΛΑΟΣ. Antiochenſium Onolaus. *Num. xiij.*

ΣΙΔΩΝΟΣ. Sidonis. *Num. xiiij. & xx.*

ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Seleucenſium ciuitas ſacræ & proprijs legibus viuentis. *Num. xv.*

ΑΣΚΑΛΩΝ. *forſan* ΑΣΚΑΛΩΝΙΤΩΝ. Aſcalonitarum. *Num. xvj.*

ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ Deæ Sidonis *ſiue* Sidoniæ. *Num. xvij.*

ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Iulienſium qui & Laodicenſes. *Num. xxj.*

ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. Amphipolitanorum. *Num. xxij.*

ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Mamertinorum repopulatorum, (vt ita dicamus.) *Num. xxiij.*

ΔΗΜ. *id eſt*, ΔΗΜΟΣ ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ. Populus Amphipolitanorum. *Num. xxiiij.*

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Theſſalonicenſis. *Num xxv.*

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Demetrij regis. *Num. xxvj.*

ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ. Ambraciotarum. *Num. xxvij.*

ΕΦΕ, *hoc eſt*, ΕΦΕΣΙΩΝ. ΗΣΚΛΑΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΝΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ. Epheſiorum. Eſclas Pontifex. Nicoſtratus. *Num. xxviij.*

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. Perinthiorum. *Num. xxix.*

ΕΦΕΣΙΩΝ. Epheſiorum. *Num. xxx.*

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Smyrnenſium repopulatorum (vt ita dicamus) *Num. xxxj.*

ΚΟΙΝΟΝ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Commune *ſiue* Communitas Byzantiorum. *Num. xxxiij.*

ΚΝΩΣΙΕΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Cnoſienſium ſecundo repopulatorum (vt ita loquamur) *Num. xxxv.*

Cap: XXIIII.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Imperator. *Num.x.*

ΣΕΒΑΣΤΟΥ Augusti. *Num.xij.*

Cap. XXVIII.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟΣ ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ. Ptolemaidis sacer Senatus, *siue* Sacrum concilium. *Num. x.*

ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Messaniorum secundo (quasi dicamus) repopulatorum. *Num. xij.*

Cap. XXIX.

ΚΟΙΝΟΝ ΑΘΕΝΑΙΩΝ. Commune *siue* communitas Atheniensium. *Num. xiij.*

ΚΟΙΝΩΝΙΑ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. Communitas Corinthiorum. *Num xv.*

ΚΥΔΩΝΟΣ. Cydonis. *Num. xvij.*

ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. Heracleensium. *Num xx.*

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Caesariensium Philippopolitarum repopulatorum, (vt ita loquamur) *Num. xxij.*

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΟΥΗΙΔΙΟΣ ΠΩΛΛΙΩΝ. Caesariensium Vedius Pollio. *Num. xxiij.*

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ Menander Parrasij. *Num. xxiiij.*

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ. Nicomedensium Sacrae, *scilicet ciuitatis vel vrbis*, & Asyli. *Num. xxv.*

ΣΜΥΡΝΙΩΝ ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ ΚΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΑ. Smyrnensium sacer Senatus & liber. *Num. xxvij.*

ΑΓΞΥΡΟΣ Anxuris. *Num. xxviij.*

ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. Ephesiorum quae primaria Asiae ciuitas. *Num. xxix.*

ΚΥΡΑΝΕΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Cyranensium sacrae *videlicet ciuitatis* & proprijs Legibus vtentis. *Num. xxx.*

ΕΦΕΣΙΩΝ. Ephesiorum. *Num. xxxi.*

////////// ΑΦΡΟΔΥΣΙΑΣ ////////// Veneris. *Num. xxxij.*

ΕΠΙΣΤΡ. *hoc est* ΕΠΙΣΤΡΑΤΙΑ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. Pergamensium & Ephesiorum concordia. *Num. xxxiij.*

Cap. XXXII.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΙ. ΥΙΟΣ ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΥΙΟΣ. Germanicus Caesar Ti. filius Ti. Caesar Augusti filius. *Num. vi.*

PAR-

PARTES NVMISMATVM AVERSÆ, quæ hoc opere continentur, suis quæque capitibus attributæ.

Caput Primum his litteris inscriptum, CAESAR DIVI F. III.VIR R.P.C. A parte auersa siue posteriori, Caput Diui Iulij cum astro supra verticem. *Nummus 7. Capitis 2.*

Cap. II. Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ.

Mars nudus cum hasta & clypeo. *Nummus 23. Capitis 29.*

III. C. CAESAR III.VIR R.P.C.

Sella cum laurea C. Iulio Cæsari Dictatori ex S. C. posita. *Num. 4. Cap. 2.* Martis simulachrum. *Num. 2. Cap. 5.* Statua Equestris Cæsaris pacificatoris protensa dextera. *Num. 9. Cap. 16.*

IIII. CAESAR III.VIR R.P.C.

Sella cum Laurea C. Iulio Cæsari Dictatori ex S. C. posita. *Num. 6. Cap. 2.* Statua Cæsaris equestris, togata & auguralis. *Num. 12. Cap. 16.*

V. CAESAR III.VIR R.P.C. Caput galeatum.

Signa militaria, Aquila legionaria sub Trophæo inter duo cohortalia signa. *Numm. 7. Cap. 5.*

VI. CAESAR III.VIR R.P.C.

Sella cui laurea imposita, C. Iulio Cæsari Dictatori ex S. C. decreta. *Num. 4. Cap. 2.* Victoria. *Num. 6. Cap. 5.* Martis simulachrum. *Num. 5. Cap. 17.*

VII. C. CAESAR III.VIR R.P.C.

Sella cum laurea C. Iulio Cæsari Dictatori ex S. C. posita. *Num. 6. Cap. 2.* Fulmen. *Num. 14. Cap. 28.*

VIII. CAESAR IMP. III.VIR R.P.C. Caput galeatum.

Signa militaria, Aquila legionaria sub Trophæo inter duo cohortalia signa. *Numm. 9. Cap. 5.*

IX. C. CAESAR IMP. III.VIR R.P.C.

Caput Lepidi. *Num. 4. & 6. Cap. 3.* Caput Antonij. *Num. 7. Cap. 3. & Nu. 11. Cap. 4.* Victoria in biga. *Num. 15. Cap. 14.*

X. CAESAR IMP. III.VIR R.P.C.

Caput Lepidi. *Num. 4. Cap. 4.* Caput Antonij cum lituo. *Num. 9.* & alterum caput Antonij. *Num. 11. Cap. 4.* Capita Cæsaris, Lepidi, & Antonij III Virorum R.P.C. *Num. 8. Cap. 4.*

XI. ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ.

Caput fœminæ inter tria crura, Siciliæ siue Trinacriæ symbolum. *Num. 14. Cap. 7.*

XII. C. CAESAR DIVI F. IMP. COS. III.VIR R.P.C.

Tres dextræ iunctæ caduceum & fasces tenentes cum orbe & securi, symbolum Triumviratus inter Cæsarem, Lepidum & Antonium initi. *Num. 8. Cap. 3.*

XIII. CAESAR IMP. PONT. III.VIR. R.P.C.

Caput Antonij. *Num. 9. cap. 3.* & alterum caput Antonij cum vrceolo. *Num. 7. Cap. 4.* & *Num. 5. Cap. 5.* Caput Lepidi cum lituo. *Num. 2. Cap. 4.*

XIIII. CAESAR DIVI F. IMP. PONT. III.VIR R.P.C.

Cæsar Lepidus & Antonius Triumviri R.P.C. astantes tripodi, accumbente humi Concordia. *Num. 5. Cap. 3.*

XV. C. CAESAR IMP. PONT. III. VIR R.P.C.
Caput Lepidi cum lituo. *Nummus.2.Capitis.4.*

XVI. CAESAR IMP. PONT. III. VIR. R.P.C.
Caput Lepidi. *Num.4. Cap.* Caput Antonij. *Num.6. Cap.4.* & alterum Caput Antonij cum lituo. *Num.8. Cap.5.*

XVII. CAESAR IMP. PONT. COS. III. VIR R.P.C.
Caput Antonij cum vrceolo. *Num.7. Cap.4.*

XVIII. C. CAESAR DIVI IVLI F. IMP. AVGVR PONT. III. VIR R.P.C.
Templum Diui Iulij cum statua Iulij Cæsaris sedentis sella Curuli, habitu Pontificali cum lituo & Capeduncula in manibus. *Num.22. Cap.2.* Vexillum, Aquila, Aratrum, Decempeda agrimensoria. *Num.4. Cap.18.*

XIX. IMP. CAESAR DIVI F. III. VIR ITER. R.P.C.
Templum Diui Iulij cum statua Iulij Cæsaris habitu Pontificali & Capeduncula. *Num.15. Cap.2.*
Aspergillum, vrnula, lituus, Capeduncula, *Num.4. cap.6.* Culter victimarius.
Aspergillum, vrnula, lituus, Capeduncula, *Num.6. Cap.6.* Caput Antonij, *Num.7. & 9. Cap.6.*

XX. IMP. CAESAR DIVI F. III. VIR ITER. R.P.C.
Caput Diui Iulij cum astro. *Num.16. cap.2.* Caput Lepidi cum lituo. *Num.5. Cap.6.* M. AGRIPPA COS. DESIG. *Num.5. Cap.7.* Vexillum siue signum cohortis; Aquila legionaria, Aratrum, Decempeda agrimensorum, *Num.11. Cap.18.*

XXI. IMP. CAESAR PONT. IMP. ITER. III. VIR ITER. R.P.C.
Templum Diui Iulij cum statua Iulij Cæsaris habitu Pontificali & ara. *Numm.13. Cap.2.*

XXII. IMP. CAESAR AVGVR PONT. III. VIR ITER R.P.C.
Securicula, Tripus, Caduceus, *Numm.10. cap.6.* Caput Dianæ. *Num.30. Cap.7.* Signum cohortis siue vexillum, Aquila legionaria, Aratrum, Decempeda. *Num.11. Cap.18.*

XXIII. IMP. CAESAR DIVI F. PONT. III. VIR. ITER. R.P.C.
Caput Diui Iulij cum astro. *Num.16. cap.2.*

XXIIII. IMP. CAESAR DIVI F. PONT. III. VIR ITER. R.P.C.
Templum Diui Iulij cum statua Iulij Cæsaris habitu Pontificali & Capeduncula. *Num.15. Cap.2.* Caput Lepidi. *Num.5. Cap.6.*
Tripus cum astro & ramusculis lauri. *Num.12. cap.6.*
Statua Caesaris equestris togata, & Auguralis. *Num.10. Cap.16.*
Vexillum, Aquila, Aratrum, Decempeda, *Nummus.11. Cap.18.*

XXV. CAESAR DIVI IVLI F.
A parte auersa his litteris inscriptum, M. AGRIPPA COS. DESIG. *Num.5. cap.7.*

XXVI. DIVI F.
Laurea cum litteris DIVOS IVLIVS *Num.8. cap.2.* Pax. *Num 4. cap.20.*

XXVII. IMP. CAESAR DIVI IVLI F.
Caput Diui Iulij cum astro supra verticem. *Num.2. cap.2.* Templum Diui Iulij cum statua Cæsaris habitu Pontificali. *Num.24. cap.2.* Cometes. *Num.12. cap.2.* Lituus, Tripus, Patella. *Num.3. cap.6.*
Victoria insistens proræ nauis. *Num.14. cap.14*

XXVIII.

XXVIII. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙϹΑΡ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟϹ.
Laurea. ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Num.31. Cap.19.*

XXIX. IMP. DIVI IVLI F. Caput galeatum.
Clypeus & hastæ puræ decussatæ. *Num.2. Cap.28.*

XXX. ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ.
Caput Iulij Cæsaris. *Num.19. Cap.2.*

XXXI. CAESAR DIVI F.
Caput Diui Iulij cum astro supra verticem. *Numm.7.Cap.2.* Alterum Caput Diui Iulij. *Num.11.Cap.2.* Duo Togati corona radiata coronati. *Num.5.cap.29.*

XXXII. IMP. Caput galeatum.
Victoria in bigis. *Numm.10. cap.15.* Clypeus & hastæ puræ decussatæ. *Num.2. Cap.28.*

XXXIII. CAESAR DIVI F.
Martis simulachrum. *Num 8. Cap.17.* Caput Diui Iulij. *Num prim Cap.32.*

XXXIIII. DIVI IVLI F.
Vexillum siue signum cohortis, Aquila Legionaria, Aratrum, Decempeda agrimensoria. *Num.4. Cap.18.*

XXXV. IMP. CAESAR DIVI F. Caput Laureatum.
Caput Iulij Cæsaris cum astro. *Num 18.Cap.2.*

XXXVI. IMP. DIVI F.
Cometes siue Sidus Iulium. *Num.10. Cap.2.*

XXXVII. Caput nullis inscriptum litteris.
Herma cum capite Solis radiato & fulgure ad pedes. *Num.20.cap.6.* Capeduncula, Tripus, Lituus *Num.1. Cap.6.* Victoria orbi insistens, labarum sinistra, lauream dextra tenens. *Num 2 Cap 15.* Armenia stans cum hasta in dextra, arcu in sinistra. *Num 4 Cap.13.* Arcus triplex cum titulo Cæsari erectus. *Num 5. Cap..6.* Statua Cæsaris Equestris. *Num.7.&.11. Cap 16.* Columna rostrata cum statua Cæsaris paludati. *Num.14. Cap.16.* Corona quercea votiua pro salute Cæsaris. *Num.2.&.6. Cap.17.* Pax. *Num 6. Cap.20.* Venus victrix. *Num 19. Cap.20.* Capricornus cum orbe, gubernaculo, & Cornucopiæ. *Num.1. Cap.24.* Laurea cum litteris AVGVSTVS. *Num.3.&.10. Cap.15.* Taurus vel Bos cornupeta. *Num 3.&.12. Cap.27.* Clypeus clauiculatus. *Num 18. Cap.28.* Templum. *Num.6. Cap.29.* Apollo cythaœdus rupi insidens. *Num.8. Cap.29.*

XXXVIII. Capita Iulij Cæsaris & Augusti auersa. DIVI IVLI. IMP. CAESAR. DIVI F.
Prora nauis. *Num.15 &.24. Cap.7.*

XXXIX. Caput nullis inscriptum litteris.
Aspergillum, Securis, Albogalerus, CAESAR DIVI F. IMP. PONT. III. VIR. R. P. C. *Numm.3. Cap.4.* Statua equestris Cæsaris Pacificatoris protensa dextra. *Numm.6. Cap. 16.* Altera statua Cæsaris equestris. *Numm.11. Cap.16.* Ara siue basis Cæsari ex S. C. posita. *Numm.19. Cap.16.* Corona quercea votiua pro salute & reditu Cæsaris.

Num.

Num.2. cap.17. Statua votiua pro reditu Cæsaris basi siue aræ cum titulo imposita. *Num.10.& 12. cap.17.* Venus Victrix. *Num.9. cap.10.* Capricornus. *Num.1.& 2.cap.24.* Laurea. *Num.3. cap.24.* Taurus vel bos cornupeta. *Num.3.& 12. cap.27.* Clypeus clauiculatus. *Num.18. cap.28.* Apollo Cytharœdus rupi insidens. *Num.8. cap.29.*

XL. Capita Iulij Cæsaris & Augusti aduersa. DIVOS IVLIVS DIVI F.

A parte auersa his litteris inscriptum, M. AGRIPPA COS. DESIG. *Num.5. cap.7.* Caput Agrippæ cum corona rostrata & capite inter tria crura, Trinacriæ siue Siciliæ symbolo. *Num.7. cap.7.*

X L I. Caput nullis inscriptum litteris cum fulgure ad ceruicem.

Statua togata Cæsaris in sella sedentis victoriolam dextra gestantis, virgulam sinistra. *Num.20. cap.16.* Venus Victrix. *Num.9. cap.10.*

X L I I. Capita Iulij Cæsaris & Augusti auersa. DIVI IVLI.

IMP. CAESAR DIVI F.

Nauis Turrita. *Num.13. cap.7.*

X L I I I. Capita Antonij & Augusti auersa. IMP. DIVI F.

Prora Nauis. *Num.22. cap.7.*

XLIIII. ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ.

Victoria insistens proræ nauis. *Num.8. cap.9.*

X L V. Capita Agrippæ & Augusti auersa. IMP. DIVI F.

Crocodilus Palmæ arbori alligatus. *Num.2. cap.18.*

X L V I. Caput quercea Coronatum, nullis inscriptum litteris.

Trophæum maritimum de victoria Actiaca. *Num.2. & 11. cap.18.* Quadriga Triumphalis. *Num.22.cap.12.* Statua Cæsaris Equestris. *Num.2. cap.16.* Arcus triplex inscriptus Cæsari, à S. P. Q. R. erectus cum quadrigis. *Num.5. cap.16.* Arcus Triumphalis cum quadrigis. *Num.8. cap.16.* Ara siue Basis Augusto posita ex S. C. *Num.21. cap.16.* Corona Quercea votiua pro salute Cæsaris. *Num.6. cap.17.* Statua votiua aræ siue basi cum titulo imposita pro reditu Cæsaris. *Num.12. cap.17.* Clypeus inter duos ramos Oleaginos siue laureos. *Num.5. cap.21.* Duo Ramusculi Oleagini siue Laurei. *Num.20. cap.21.*

X L V I I. Capita Iulij Cæsaris & Augusti auersa. DIVI IVLI.

IMP. CAESAR DIVI F.

Prora Nauis. *Num.24. cap.7.*

XLVIII. Caput quercea Coronatum, nullis inscriptum litteris.

Quadriga Triumphalis. *Num.22. cap.12.* Arcus Triumphalis inscriptus cum quadrigis. *Num.8. cap.16.* Ara siue Basis Augusto posita ex S. C. *Num.19. cap.16.* Ara votiua Fortunæ reducis pro reditu Cæsaris. *Num.7. cap.17.* Ara votiua pro reditu Cæsaris Basi siue Aræ cum titulo imposita. *Num.12. cap.17.* Clypeus inter duos ramos Oleaginos. *Num.5. cap.21.* Duo Ramusculi Oleagini siue Laurei. *Num.20. cap.21.* Capricornus. *Num.2. cap.24.* Laurea cum littera V. *Num.4. cap.25.*

X L I X. IMP. CAESAR.

Manipulus spicarum. *Num.7. cap.9.*

L. IMP. CAESAR. Caput Laureatum.

Aquila. *Num.12. cap.21.* Taurus siue Bucula. *Num.10. cap.27.*

LI.

LI. IMP. CAESAR DIVI F.

Manipulus ſpicarum. *Num.7. Cap.9.* Capricornus cum orbe, gubernaculó, & cornucopiæ. *Num.3. Cap.24.*

LII. IMP. CAESARI S.P.Q.R.

Statua votiua pro ſalute & reditu Cæſaris poſita. *Num.1. Cap.17.* Laurea cum literis AVGVSTO. *Num.12. Cap.25.*

LIII ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ.

Figura muliebris turrita ſpicas ſiniſtra, palmæ ramum dextra tenens. *Num.18. cap.19*

LIIII. IMP. CAESAR.

Manipulus ſpicarum. *Num.7. cap.9.* Capricornus in medio coronæ Laureæ. *Numm.5. cap.24.* Laurea. *Num.1. cap.25.* Ara coronata cum duabus capellis. *Num.7. cap.29.*

LV. IMP. CAESAR.

Caput Antonij. *Num.19. & .21. cap.7.* Bucula vel Taurus. *Num.10. Cap.27.*

LVI. ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ.

Mars loricatus clypeum tenens. *Num.9. Cap.19.*

LVII. C. CAESAR IMP.

Caduceus. *Num.10. cap.3.* Caput Antonij cum lituo. *Numm.19. cap.7.*

LVIII. IMP. CAESAR.

Caduceus. *Num.12. cap.3.* Caput Antonij. *Num.21. cap.7.*

LIX. IMP. DIVI F.

Manipulus ſpicarum. *Num.7. cap.9.* Sacerdos agens jugum boum. *Num.32. cap.18.*

LX. IMP. CAESAR.

Caduceus. *Num.12. cap 3.* Apollinis Actiaci ſimulachrum cum plectro & Cythara. *Num.3. cap.8.*

LXI. IMP. CAESAR DIVI F. PONT. IMP. TER. COS. ITER. ET TER. DES.

Capeduncula, Aſpergillum, vrnula, lituus. *Num.2. Cap.6.*

LXII. CAESAR DIVI F. AVGVR. PONT. IMP. QVART. COS. TER.

Caput Diui Iulij cum lituó ad ceruicem. *Num.14. Cap.2.*

LXIII. CAESAR DIVI F. IMP. V. COS. IIII.

Apollinis Actiaci ſimulachrum cum cythara. *Num.1. cap.8.*

LXIIII. IMP. CAESAR DIVI F. COS. V. IMP. VI. S.P.Q.R.

Statua equeſtris Cæſaris Pacificatoris. *Num.4. Cap.16.*

LXV. ΚΑΙΣΑΡ ΥΠΑΤΟΣ Ε. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ς.

Sphynx Aegyptia cum ſiſtro ante pedes. *Num.12. cap.9.*

LXVI. CAESAR DIVI F. COS. V. IMP. VII.

Cæſar triumphans in quadrigis. *Num.3. Cap.15.*

LXVII. IMP. CAESAR DIVI F. COS. V. P. P. IMP VII. S. P. Q. R.

Cæſar triumphans in quadrigis. *Num.12. Cap.15.*

LXVIII. CAESAR IMP. VII.

Victoria aræ rotundæ inſiſtens cum anguibus hinc inde. *Num.5. Cap.13.* Victoria inſiſtens roſtro nauis. *Num.6. Cap.15.*

LXIX. CAESAR DIVI F. COS. VI.

Crocodilus AEgypti typus. Num.1.&.3. cap.9.

LXX. CAESAR COS. VI.

Crocodilus AEgypti typus. Num.3.Cap.9. Sphynx. Num.10.cap.9.

LXXI. IMP. CAESAR DIVI F. COS. VI. LIBERTATIS P.R. VINDEX.

Pax in Corona Laurea. Num.11. cap.20

LXXII. CAESAR COS. VI.

Crocodilus Aegypti typus. Num.1. cap.9.

LXXIII. CAESAR AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIAE. Caput laureatum.

Caput Tiberij Caesaris. Num.16 &.18. cap.14. Tiberius Caesar triumphans de Germanis. Num.19. cap.14. Caius & Lucius Caesares clypeos & hastas puras tenentes. Num.4.& .6. cap.28. Capita Caij & Lucij Caesarum. Num.4. cap.32. Clementiae sedentis simulachrum. Num.17. cap.28.

LXXIIII. ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤοΝ ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔοΣ.

Laurea cum aquila ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. Num.29. cap.19.

LXXV. AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIAE. Caput laureatum.

Tiberius Caesar triumphans de Germanis. Num.19.cap.14. Caius & Lucius Caesares clypeos & hastas puras tenentes. Num.4. cap.28. Flamen Martialis clypeum tenens astante Augure cum Lituo & hastuli. Num.11. cap.28.

LXXVI. ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤοC ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔοC.

Caput M. Agrippae cum corona rostrata in capite. Num.4. cap.8.

LXXVII. Capita M. Agrippae & Augusti aversa. IMP. DIVI F. P.P.

Crocodilus palmae alligatus. Num.5. cap 9.

LXXVIII. ΑΥΤοΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΥΙοΣ ΘΕΙοΥ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔοΣ.

Caput Iulij Caesaris. Num.21. cap.2.

LXXIX. PATER.

Sacerdos agens iugum boum cum his litteris, PATRIAE. Num.10. cap.18.

LXXX. AVGVSTVS P. P. OB CIVIS SER.

Corona è baceis oblongis & cranijs boum cum candelabro in medio. Nu.23. cap.28.

LXXXI. DIVI F. P. P.

Capricornus cum orbe, gubernaculo & cornucopiae. Num.1. cap.24.

LXXXII. AVGVSTVS DIVI F. COS. VII. CIVIBVS SERVATEIS. Caput quercea coronatum.

Aquila insistens querceae coronae inter duos ramos oleaginos. Num.1. cap.21.

LXXXIII. CAESAR COS. VII. CIVIBVS SERVATEIS.

Aquila insistens coronae querceae inter duos ramos oleaginos. Num.3. cap.21.

LXXXIIII. CAESAR COS. VII. CIVIBVS SERVATEIS. Caput quercea coronatum

Aquila insistens coronae querceae inter duos ramos oleaginos. Num.3. cap.21.

LXXXV. AVGVSTVS DIVI F.

Diana peculiare ac Tutelare Siciliae numen. Num.25. cap.7. Taurus siue Bucula Num.46. cap.18. Capricornus cum orbe. Num.4. cap.24. Taurus vel bos cornupeta. Num .cap.27.

LXXXVI.

LXXXVI. AVGVSTVS DIVI F. Caput Laureatum.

Diana peculiare ac Tutelare Siciliæ numen. Num.31.cap.7.

LXXXVII. AVGVSTVS DIVI F.

Diana peculiare ac Tutelare Siciliæ numen. Numm.27.&.31. cap.7. Apollo Actiacus cum plectro & cythara. Numm.8.&.12. cap.8. Taurus siue Bucula. Numm. 48. cap.18. Taurus vel Bos cornupeta. Numm.1. Cap.17.

LXXXVIII. AVGVSTVS DIVI F. Caput quercea coronatum.

Diana peculiare ac Tutelare Siciliæ numen. Num.25.&.33.Cap.7. Apollo Actiacus cum cythara. Num.10.cap.8. C. Cæsaris in Armeniam expeditio. Num.8. Cap.13. Victoria insidens orbi cælesti. Num.9. cap.15. Parthorum siue aliarum gentium Barbararum legati Regem infantem educandum Augusto offerentes. IMP. XIIII. Num.3. cap.20.

LXXXIX. Caput Augusti & Iulij Cæsaris. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΥΙΟΣ ΘΕΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ.

Templum Diui Iulij cum statua Iulij Cæsaris, lituo, & Capeduncula. Num.17. cap.2.

XC. AVG. DIVI F. Caput corona quercea cinctum.

Apollinis Actiaci simulachrum cum cythara. Num.10. cap.8.

XCI. AVGVSTVS DIVI F. Caput laureatum.

Diana peculiare ac tutelare Siciliæ numen. Num.33 cap.7. Apollo Actiacus cum plectro & cythara. Numm.12. Cap.8. Taurus vel bos cornupeta. Numm.14 Cap.17.

XCII. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΥ ΥΙΟΣ. Caput laureatum.

Victoria insistens proræ nauis. Num.11. Cap.15.

XCIIII. AVGVSTVS DIVI F. Caput laureatum.

Caput Diui Iulij cum astro supra verticem. Num.9. Cap.2. Diana. Num.27. Cap.7. Apollo Actiacus cum plectro & cythara. Num.12. cap.8. Eques habitu militari cum hasta decurrens. Num 6.&.9. cap 10. Lupa. Num.7. cap.10. Taurus siue bucula. Num.49. cap 18. Laurea cum littera I. in medio. Num.2. cap.15. Taurus vel bos cornupeta. Num.1. cap.17. Flamen Martialis clypeum tenens astante augure cum lituo & hastili. Num.11. cap.28.

XCV. AVGVSTVS DIVI F. Caput laureatum.

Geminum Cornucopiæ. Num.8. cap.10. Sepia piscis. Num.32. Cap.19.

XCVI. AVGVSTVS DIVI F.

Diana. Numm.29. Cap 7. Gentium barbararum legati oleaginos ramos gestantes, pacem & amicitiam ab Augusto petentes. Num.1. Cap.20.

XCVII. AVGVSTVS.

Corona laurea rostrata num.17.&.20.Cap.7. Sacerdos agens iugum boum. Num.25. cap.18. Taurus siue bucula. Num.49.&.50. Cap.18. Laurea cum litteris C.A. Num.16. Cap.21. Duo togati Consules pro rostris. Num.5. Cap.27.

XCVIII. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Figura muliebris vtraque manu lauri ramulum tenens. *Num.19. cap.19.* Capedun-cula, aspergillum, securis, albogalerus. *Num.19. cap.28.*

XCIX. AVGVSTVS.

Sacerdos agens jugum boum. *Num.14. cap.18.* Laurea cum litteris SISINNA PROCOS. *Num.53. cap.18.* Capricornus. *Num.9. cap.24.*

C. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Caput laureatum.

Figura equestris & hæ literæ, ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ. *Num.11. cap.19.*

CI. AVGVSTVS.

Sphynx. *Num.10. cap.8.* Capricornus. *Num.2. & 11. cap.12.* SIGNIS PARTHICIS RECEPTIS. *Num.17. cap.12.* Arcus & pharetræ, spolia Armeniaca. *Num.2. cap.13.* Victoria tauri prostrati cornua confringens. *Num.7. cap.13.* Capricornus. *Num.9. cap 13.* Victoria trophæum Armeniacum constituens & componens cum captiuis assidentibus. *Num.11. cap.13.* Sacerdos agens jugum boum. *Num.8. cap.18.* Victoria aduersa facie clypeum ante se tenens. *Num.8. cap.21.*

CII. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Manipulus spicarum. *Num.9. cap.9.*

CIII. ΣΕΒΑΣΤΟΣ.

Figura muliebris stans inter duo capita equina. *Num.7. cap.19.*

CIIII. AVGVSTVS.

Quadrigæ cum palma. *Num.14. cap.11.* Laurea cum litteris XXV. *Num.8. cap.25.* Templum Apollinis. *Num.10. cap.19.*

CV. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Figura muliebris turrita proræ nauis insistens. *Num.16. cap.19.*

CVI. AVGVSTVS.

Corona laurea rostrata. *Num.20. cap 7.* Sacerdos agens jugum boum. *Num.34. cap.18.* Laurea cum litteris C. A. *Num.16. cap.21.* Laurea cum litteris XXXV. *Num.11. cap.25.*

CVII. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Aquila & litteræ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ &c. *Num.6. cap.19.*

CVIII. AVGVSTVS.

Africæ caput cum exuuijs elephanti in capite. *Num.2. cap.11.* Parthus supplex signa capta restituens. *Num.8.10. & 12. cap.12.* Sacerdos agens jugum boum. *Num.1. cap.18.* Corona quercea cum litteris SIGOBRIGA. *Num.17. cap.18.* Taurus siue bucula. *Num.26. & 54. cap.18.* Delphinus gubernaculo implicitus in laurea corona. *Num.8. cap.24.* Laurea cum litteris XX. *Num.7. cap.25.*

CIX. CAESARI AVGVSTO. S.P.Q.R.

Arcus cum Trophæis & statuis equestribus & bigis quadrigisque super aquæductum Cæsari ob Vias Munitas decretus. *Num.15.22. & 24. cap.26.* Statua Votiua pro salute & reditu Cæsaris. *Num.3. cap.17.* Corona quercea cum

cum litteris SALVS GENERIS HVMANI. Num.2. cap.21. Victoria subuolans Lauream tenens supra clypeum columnæ affixum. Num.7. cap.21.

CX. ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Caput laureatum.

Dionysij siue Bacchi caput. Num.8. cap.19. Antiochiæ simulachrum turritum rupi insidens, fluuij simulachrum pedibus premens. Num.13 cap.19. Caput Demetrij regis. Num.26. Cap.19. Templum Augusto a Smyrnensibus constitutum. Num.27. Cap.29.

CXI. CAESARI AVGVSTO S.P.Q.R.

Arcus duplex cum bigis elephantum Cæsari ob vias Munitas decretus. Num.22. Cap.16. Corona quercea cum his litteris: SALVS GENERIS HVMANI. Num.2. Cap.21.

CXII. CAESARI AVGVSTO. Caput laureatum.

Quadriga triumphalis elephantum, cum rectoribus & Imperatore triumphante. Num.27. Cap.11. Quadriga triumphalis. Num.13. Cap.12. Templum Martis vltoris propter signa à Parthis recepta. Num.28.31. & 35. Cap.12. Cippus titulo honorifico inscriptus Cæsari ob vias Munitas positus. Num.16. Cap.16. Victoria subuolans Lauream supra clypeum columnæ affixum tenens. Num.9. cap.21.

CXIII. ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ.

Victoria & litteræ ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ ΙΕΡΑ Num.5. cap.8. Num.2. cap.19.

CXIIII. CAESARI AVGVSTO. Caput Laureatum.

Quadriga triumphalis. Num.13. & 15. cap.12. Templum Martis Vltoris propter signa à Parthis recepta. Num.28 31. 33. & 35. cap.12. Orbis inter duos ramos oleaginos, Typus orbis pacati. Num.2. cap.20. Aquila querceæ insistens. Num.10. cap.21.

CXV. CAESAR AVGVSTVS. Caput quercea coronatum.

Cometes & litteræ DIVVS IVLIVS. Num.1. cap.2. Cancer marinus cum papilione. Num.16. cap.11. Clypeus inter signa à Parthis recepta, Num.29. cap.12. Trophæum de Germanis assidentibus captiuis. Num.23. cap.14. Caput M. Agrippæ. Num.3 cap.32.

CXVI. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ.

Aquila & littera ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. &c. Num.4. Cap.19. Deæ Sidoniæ caput. Numm.17. Cap.19. Laurea ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Num.25. cap.19. Capricornus cum orbe & cornucopiæ. Num.10. Cap.24. Caput Herculis. Num.14 Cap.29.

CXVII. CAESAR AVGVSTVS. Caput quercea coronatum.

Cometes & littera DIVVS IVLIVS. Num.1. Cap.2. Sella cum laurea & fulmine. Num.13. Cap.28.

CXVIII. CAESAR AVGVSTVS.

Vir habitu militari mulierem supplantans, Siciliæ subactæ typus. Numm.23. Cap.7. Caput M. Agrippæ. Num. Cap.8. Spolia Hispanica. Numm.3. Cap.10.

Hispaniæ simulachrum. *Num.5. Cap.10.* Leo ceruo insiliens. *Num.13.& 15. Cap.11.* Cancer marinus cum papilione. *Num.16.Cap.11.* Aper venabulo traiectus. *Num.17. Cap.11.* Rosa siue quis alius flos. *Num.20. Cap.11.* Equus alatus. *Num.29. cap.11.* Siren tibia canens. *Num.35. Cap.11.* Statua Martis vltoris propter signa à Parthis recepta. *Num.25. & 17. Cap.12.* Templum siue Ara pacis. *Num.12. Cap.20.* Templum Iani, *Num 10. Cap.20.* Templum Martis vltoris propter signa à Parthis recepta. *Num.26. Cap.12.* Clypeus inter signa à Parthis recepta. *Num.32. Cap.12.* Virgo Tarpeia Sabinorum clypeis circundata. *Num.12. Cap.13.* Corona quercea cum litteris CAESAREA AVGVSTA. *Num.20. Cap.18.* Sacerdos agens iugum boum. *Num 36. Cap.18. Num.44. Cap.* Clypeus inscriptus in medio coronæ ciuicæ vel querceæ. *Num 2. Cap.22.* Quercea cum litteris OB CIVIS SERVATOS. *Num.4.6.& 11. Cap.22.* Duo togati confidentes pro Rostris. *Num.5. Cap 27.* Tripus, Capeduncula, Lituus, Patella, *Num 3. Cap.28.* Clypeus inscriptus. *Num 16. Cap.28.* Luna cum astro. *Num.20. Cap.28.* Templum Iouis tonantis. *Num.1. Cap.29.* Templum Iouis Olympij. *Num.3 cap.19.*

CXIX. ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC. Caput laureatum.

Taurus siue Bos cornupeta. *Num 8. Cap.27.*

CXX. CAESAR AVGVSTVS.

Cometes & litteræ DIVVS IVLIVS. *Num.1. Cap.2.* Caput fœminæ turritum Toleti coloniæ. *Num.19. Cap.18.* Clypeus in medio coronæ querceæ vel ciuicæ. *Num.2. Cap.22.* Quercea cum litteris OB CIVIS SERVATOS. *Num.4. Cap.22.* Clypeus inscriptus S. P. Q. R. CL. V. *Num.16. Cap.28.* Luna cum Astro. *Num.20. Cap.28.*

CXXI. IMP. CAESRI AVGVSTO S. P. Q. R.

Arcus cum trophæis & statuis equestribus super aquæductum Cæsari ob vias munitas decretus. *Num.13. cap.16.*

CXXII. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Deæ Sidoniæ currus sacer. *Num.20. cap.19.*

CXXIII. IMP. CAESARI AVGVSTO S. P. Q. R.

Arcus cum trophæis & statuis equestribus super aquæductum Cæsari ob vias munitas decretus. *Num 13. cap 16.*

CXXIIII. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Caput laureatum.

Labyrinthus Creticus. *Num.35. cap.19.* Capricornus. *Num.12. Cap.24.*

CXXV. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Europa tauro vecta. *Num.14. cap.19.* Templum Dianæ Ephesiæ. *Num.13. cap.29.*

CXXVI. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Caput laureatum.

Templum

Templum Augusto à Corinthijs constitutum. *Num.15. cap.29.*

CXXVII. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ.
Caput laureatum.

Europa tauro insidens. *Num.24. cap.19.*

CXXVIII. ΑΥΤΟ. ΚΑΙC. CΕΒΑCΤΟC.

Statua Diui Iulij sedentis seminuda cum hastili in sinistra, Aquila in dextra & capeduncula pone sellam, Cæsari tamquam Deo Cæsareæ posita. *Num.5. cap.2.*

CXXIX. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC.
Caput laureatum.

Statua & simulachrum Dianæ Ephesiæ. *Numm.32. cap.29.*

CXXX. IMP. CAESAR AVGVSTVS.

Caput M. Agrippæ cum corona rostrata. *Num.6.cap.8.* Spolia Hispanica. *Num.1. cap.10.* Trophæum Hispanicum cum Spolijs. *Num.2. cap.10.* Victoria trophæum constituens & componens ex spolijs Hispanicis. *Num.10. &.12. cap.10.* Tiberius Cæsar triumphans de Germanis. *Num.21. cap.14.* Emerita colonia. *Num.18. cap.18.* Sacerdos agens iugum boum. *Num.17. cap.18.* Europa tauro vecta. *Num.22. Cap.19.*

CXXXI. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ.
Caput laureatum.

Laurea ΚΟΙΝΟΝ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Num.24. Cap.19.*

CXXXII. IMP. CAESAR AVGVST.

Galea, Iugum & vomis siue culter aratri. *Numm.11. Cap 10.* Porta siue vallum Emeritæ coloniæ. *Num.18. Cap.18.*

CXXXIII. ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Caput laureatum.

Lupa cum infante lactente. *Num.3. cap.19.*

CXXXIIII. CAESAR.

Corona è baccis oblongis, cranijs boum & patellis, in medio candelabrum vel tripus. *Num.23. Cap.18.* Caput Iouis. *Numm.26. Cap.29.* Caput fœminæ turritum. *Numm.35. Cap.29.*

CXXXV. ΑΥΤ. ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC.
Caput laureatum.

Caput Iouis Ammonis. *Num.30. cap.29.*

CXXXVI. CAESAR.

Corona è baccis oblongis & cranijs boum & patellis in medio candelabrum. *Num.23. Cap 28.*

CXXXVII. His litteris inscriptum. CAL. IVL. MVN.

Taurus siue bucula. *Num.22. Cap.18.*

CXXXVIII. CAESAR.

Corona è baccis oblongis & cranijs boum & patellis cum candelabro in medio. *Num.23. Cap.28.*

CXXXIX.

CXXXIX. CAESAR AVGVSTVS.

Taurus ſiue bucula. *Num.13. cap.18.*

CXL. IMP. AVGVS. MVN. CAL.

Taurus ſiue bucula. *Num.24. Cap.18.*

CXLI. AVGVSTVS.

Taurus ſiue bucula. *Num.33. cap.18. & Num.39. & 43. cap.18.*

CXLII. IMP. CAESAR AVGVSTVS.
Caput laureatum.

Quadriga triumphalis cum nuce pinea peculiari Auguſtæ Vindelicorum inſigni. *Num.13. cap.14.* Sacerdos agens iugum boum. *Num.25. Cap.18.* Corona quercea cum litteris. *Num.18. cap. 21.* Claua Herculea inter duas cytharas. *Num.21. Cap.29.*

CXLIII. Caput nullis inſcriptis litteris.

Laurea cum litteris XV. *Num.6. cap.24.*

CXLIIII. IMP. CAESAR AVGVSTVS.
Caput laureatum.

Taurus ſiue bucula. *Num.30. Cap.18.* Capricornus cum orbe, gubernaculo & cornucopiæ. *Num.6. Cap.24.*

CXLV. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. VIII.
P. P. IMP. VII. Caput laureatum.

Sella cum laurea, hinc inde ramus Lauri. *Num.3. Cap.28.*

CXLVI. AVGVSTVS COS. VIII.

Quercea vel ciuica cum litteris OB CIVIS SERVATOS. *Num.9. Cap.22.* Templum pacis. *Num.11. Cap.29.*

CXLVII. AVGVSTVS DIVI F. COS. IX. IMP. VII.
Caput laureatum.

Taurus ſiue bucula. *Num.37. Cap.18.*

CXLVIII. AVGVSTVS P. P. COS. X.

Taurus ſiue bucula. *Num 41. Cap.18.*

CXLIX. AVGVSTVS COS. XI. Caput laureatum.

Caput M. Agrippæ coronati corona roſtrata ſimul & vallari. *Num.7. Cap.8.* Arcus triumphalis cum quadrigis ob ſigna à Parthis recepta. *Numm.21. cap.21.*

CL. CAESARI AVGVSTO DIVI F. COS. XI. TRIB.
POT. S. P. Q. R.

Statua equeſtris Auguſto decreta. *Num.4. Cap.16.*

CLI. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNICIA POTESTATE.

L. APRONIVS CAESIANVS IIIVIR A.A.A. F.F. *Num.66. Cap.22.* Nomina Triumuirorum monetalium Sex. Appuleij & Seruilij Gemini. *Num.83. & 84. cap.22.*

CLII.

CLII. CAESAR AVGVSTVS TR. POT. Caput laureatum.
Taurus siue bucula. *Num.31. cap.18.* Ara vel basis inscripta. *Num.2. cap.17.*

CLIII. AVGVSTVS TR. POT.
Albogalerus inter duo ancilia. *Numm.21. cap.28.*

CLIIII. CAESAR AVGVSTVS TR. POT.
Caput laureatum.
Laurea. *Num 5. cap.15.* Taurus siue bucula. *Num 40. cap.17.* T. STATILIVS SISENNA. III. VIR. A. A. A. F. F. *Num.64. Cap.22.*

CLV. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ.
Templum Augusto à Nicomedensibus constitutum. *Num.25. Cap.29.*

CLVI. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST.
Caput laureatum.
Taurus siue bucula. *Num.47.51.&.52. cap.18.* CN. PISO CN. F. III. VIR A. A. A. F. F. *Num.31. Cap.22.* Nomina Triumuirorum monetalium, Cassij Celeris, M. Sanquinij, Cornelij Sullæ, Gallij Luperci, Asinij Galli, L. Surdini, Sentij Saturnini, Valerij Messallæ, Ap. Claudij Pulchri, Statilij Tauri, Iunij Silani, Lucretij Flaui, Acilij Glabrionis, Valerij Catulli & Cestij Camerini. *Num.45.51.55.57.58.59.60.69.70.71.73.75.76.79.&.81. cap.22.*

CLVII. AVGVSTO DIVI F. COS.XI. TR. POT.II. IMP.VIII.
Tres orbis partes, Asia, Europa, Africa, singulæ singulis orbibus expressæ. *Num.14. cap.21.*

CLVIII. CAESAR AVGVSTVS TRIB. POTEST. III. P. P.
Equus alatus, Africæ typus. *Num.5. cap.11.*

CLIX. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS TRIB. POT.IIII.
Trophæum Africanum assidentibus captiuis. *Num.5. cap.11.*

CLX. IMP.IX. TR. POT.V.
Templum Martis vltoris propter signa à Parthis recepta. *Num.30. Cap.12.*
Templum Romæ & Augusto à communitate Asiæ constitutum. *Num.12. cap.29.*

CLXI. IMP. CAESARI AVG. COS.XI. TRI. POT.VI. S.P.Q.R.
Arcus triumphalis cum quadrigis ob signa à Parthis restituta Cæsari decretus. *Num.16.&.18. Cap.12.* Corona quercea ciuica ob signa à Parthis restituta. *Num.19. cap.12.*

CLXII. AVGVSTVS TR. POT.VII.
Cippus titulo honorifico inscriptus, Cæsari ob vias munitas positus. *Num.23. cap.16.* Ara vel basis inscripta. *Num.2. cap.17.* Statua Herculis. *Num.16.&.18. Cap.29.*

CLXIII. CAESARI AVGVSTO TRIBVN. POT. VIII. IMP. IX.

S. C. in medio cum titulo COS. XI. PATRI PATRIAE. S. P. Q. R. *Num.* 1. *cap.* 26.

CLXIIII. CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC. POT. IX. COS. XI.

Taurus siue bucula. *Num.* 28. *cap.* 18. *Num.* 41. *cap.* 18.

CLXV. IMP. CAESARI AVGVSTO COS. XI. TR. POT. X. IMP. X.

Basis inscripta cum Statua Cæsaris equestris. *Num.* 1. *cap.* 16.

CLXVI. AVGVST. DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. X. COS. XI. IMP. XI.

Victoria insistens rostro nauis. *Num.* 4. *cap.* 15.

CLXVII. CAESAR PONT. MAX. Caput laureatum.

Templum Romæ & Augusti. *Num.* 9. *cap.* 26.

CLXVIII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PON. MAX. TR. POT. X.

Taurus siue bucula. *Num.* 47 *cap* 18.

CLXIX. CAESAR AVGVST. PON. MAX. TRIBVNIC. POT.

C. ASINIVS GALLVS III. VIR. A. A. A. F. F. *Num* 58. *cap.* 22.

CLXX. CAESAR AVGVST. PONT. MAX. TRIBVNIC. POTEST.

Nomina triumuirorum monetalium Lurij Agrippæ, Licinij Neruæ, P. Stolonis, Annij Rufi, Ser. Sulpicij, Saluij Othonis, Nonij Quinctiliani & Mæcilij Tulli. *Num* 37. 46. 47. 63. 67. 74. 78. & 82. *cap.* 22.

CLXXI. CAESAR AVGVST. PONT. MAX. TRIBVNIC. POT. Caput laureatum.

Nomina triumuirorum monetalium Saluij Othonis & Mæcilij Tulli. *Nu.* 74. & 82. *Cap.* 22.

CLXXII. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥΣ.

Tripus cum laurea. *Num.* 13. *cap.* 28.

CLXXIII. ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΑΣ.

Statua & simulachrum Dianæ Ephesiæ. *Num.* 19. *cap.* 29.

CLXXIIII. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ.

Laurea ΑΜΒΡΑΚΙΩΤΑΝ. *Num.* 27. *cap.* 19.

CLXXV. IMP. CAESARI AVGVSTO COS. XI. TR. POT. XI. S. P. Q. R.

Clypeus & duæ hastæ puræ decussatæ inter lituum & capedunculam. *Num.* 9. *cap.* 28.

CLXXVI.

CLXXVI. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Caput laureatum.

Tripus cum fulgure & ramo lauri. *Num.* 10. *cap.* 28.

CLXXVII. AVGVSTO DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. XI. IMP. XII.

S. C. in medio cum titulo. COS. XI. PATRI PATRIAE. S. P. Q. R. *Num.* 1. *Cap.* 26.

CLXXVIII. AVGVSTVS P. M. TRI. POT. XII.

Taurus siue bucula. *Num.* 45. *cap.* 18.

CLXXIX. AVGVSTVS PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. COS. XI.

Capricornus cum orbe, gubernaculo, & cornucopiae. *Num.* 7. *cap.* 14.

CLXXX. AVGVST. TR. POT. XIIII. COS. XI. IMP. XIII. P. P. Caput laureatum.

Nux pinea peculiare Augustae Vindelicorum insigne. *Num.* 20. *cap.* 14. Vexillum, aquila, aratrum, decempeda. *Num.* 6. *cap.* 18.

CLXXXI. IMP. AVGVST. TR. POT. XIIII. Caput laureatum.

Laurea. *Num.* 8. *cap.* 15. Sacerdos agens iugum boum. *Num.* 3. *Cap.* 18. Porta Emeritae Augustae coloniae. *Num.* 16. *Cap.* 18.

CLXXXII. AVG. TRIB. PO. XV.

Augustae Vindelicorum simulachrum turritum cum nuce pinea in dextra. *Num.* 17. *Cap.* 14.

CLXXXIII. IMP. CAESAR AVGVST. PON. MAX. TR. P. XVI. COS. XI. IMP. XIIII. Caput laureatum.

Sacerdos agens iugum boum. *Num.* 5. *cap.* 18.

CLXXXIIII. AVGVSTO DIVI F. PONT. MAX. TR. POT. XVI. IMP. XIIII. Caput laureatum.

S. C. in medio cum titulo. COS. XI. PATRI PATRIAE. S. P. Q. R. *Num.* 1. *cap.* 26.

CLXXXV. ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗ. ΕΞ. ΙΖ.

Capricornus cum orbe & cornucopiae. *Num.* 12. *cap.* 19.

CLXXXVI. AVGVSTVS PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. XI.

S. C. in medio cum titulo. PATER PATRIAE IMPERATOR. XIIII. *Num.* 2. *cap.* 26.

CLXXXVII. IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO IMP. XIIII.

Taurus siue bucula. *Num.* 37. *cap.* 18. S. C. in medio cum titulo. COS. XI. PATRI PATRIAE. S. P. Q. R. *Num.* 1. *cap.* 26.

CLXXXVIII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS COS. XII. P. P. Caput laureatum.

Dux dextræ caduceum inter geminum cornucopiæ amplexæ. *Num.7. cap.18.* Equus alatus, siue Pegasus, Corinthi typus. *Num.9. cap.18.* L. Cornelius Sulla III. VIR A. A. A. F. F. *Num.49. cap.22.*

CLXXXIX. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XIX.

S. C. in medio cum titulo. COS. XII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Num.3. Cap.16.*

CXC. IMP. AVGVSTVS TRIB. POTEST. XX. Caput laureatum.

Sacerdos agens iugum boum. *Num.29. cap.18.*

CXCI. AVGVST. PON. MAX. TR. POT. XXI. COS. XIII. IMP. XIIII.

Thiara Parthica, arcus & pharetra. *Num.20. Cap.12.*

CXCII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS. PONT. MAX. TR. POT. XXII. Caput laureatum.

S. C. in medio cum titulo. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Num.4. cap.19.*

CXCIII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXIII.

S. C. in medio cum titulo. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Num.4. cap.26.*

CXCIIII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXIIII.

S. C. in medio cum titulo. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Num.4. cap.26.*

CXCV. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONT. MAX. TR. POT. XXV.

S. C. in medio cum titulo. COS. XIII. PATER PATRIAE IMPERATOR XIIII. *Num.4. cap.26.*

CXCVI. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XIIII.

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXVI. *Num.5. & 6. cap.26.*

CXCVII. AVGVST. PON. MAX. TR. POT. XXX. COS. XIII. IMP. XV. P. P.

Corona quercea votiua pro salute & reditu Cæsaris. *Num.4. cap.17.*

CXCVIII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XVI.

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXII. *Num.7. & 8. cap.26.*

CXCIX.

CCXCIX. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP. XVII

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVNIC. POT. XXXIIII. *Num.9.cap.26.*

CC. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP.XVIII

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVNIC. POT. XXXIIII. *Num.9.cap.26.*

CCI. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP.XIX.

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVNIC. POT. XXXIIII. *Num.9. cap.26.*

CCII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS IMP.XX.

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVNIC. POT. XXXIIII. *Num.9. cap.26.*

CCIII. IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO PONT. MAX. TR. POT. XXXV.

S. C. in medio cum titulo. COS.XIII. PATRI PATRIAE IMP.XX. S. P. Q. R. *Num.10. cap.26.*

CCIIII. IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS. IMP. XXI.

S. C. in medio cum titulo. PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXVI. *Num.11.&.12. cap.26.*

CCV. DIVOS AVGVST. DIVI F. Caput laureatum.

à parte auersa, caput C. Cæsaris Augusti.

CCVI. ΚΑΙΣΑΡ. Caput radiatum.

Lupa cum Romulo & Remo lactentibus. *Nu.1. cap.19.*

CCVII. DIVVS AVGVSTVS DIVI F. Caput laureatum.

Ara consecrationis. *Num.15.cap.30.*

CCVIII. DIVVS AVGVSTVS.

Orbis cum gubernaculo. *Num.19.cap.21.* Fulmen. *Num.45. &.47 cap 30.*

CCIX. DIVVS AVGVSTVS.

Augustus in cælum receptus, & inter Deos relatus. *Num.11. cap.30.* Aquila cum fulmine sub pedibus. *Num.23. cap.30.*

CCX. DIVVS AVGVSTVS. Caput radiatum.

Statua Augusti sedens cum ramusculo in dextra, orbis in sinistra. *Numm.7. cap.30.* Caput Germanici Cæsaris. *Num.8. cap.32.* Statua Diuæ Iuliæ Augustæ sedens. *Num.9.cap.31.*

CCXI. DIVVS AVGVSTVS. Caput radiatum.

Hispaniæ simulachrum. *Num.5. cap.10.* Victoria clypeum tenens. *Num.15. cap.15.*

CCXII. DIVO AVGVSTO. Caput radiatum.

Ara consecrationis. *Num.15. cap.30.*

CCXIII. DIVVS AVGVSTVS. Caput radiatum.

Victoria clypeum dextra tenens. *Num.14. cap.15.* Orbis cum gubernaculo. *Num.21. Cap.21.* Statua Augusti sedens cum ramusculo in dextra, orbis in sinistra. *Num. cap.30.* Fulmen. *Num 44. Cap.30.*

CCXIIII. DIVVS AVGVSTVS. Cap. laureatum.

Ara prouidentiæ. *Num.22. cap 30.* Diuæ Iuliæ Augusti coniugis caput. *Num.2. Cap.32.*

CCXV. KAI CAP. Caput radiatum.

Templum Augusto à Cydonijs constitutum. *Num.17. cap.29.*

CCXVI. DIVVS AVGVSTVS. Caput laureatum.

Aræ prouidentiæ. *Num.29. cap 30.* Aquila insistens orbi. *Num.30. Cap.30.* S. C. in medio cum titulo. IMP. NERVA CAESAR AVGVSTVS REST. *Num.48. Cap.30.*

CCXVII. DIVVS AVGVSTVS PATER.

Caput radiatum.

à parte auersa caput Tiberij Cæsaris Augusti.

CCXVIII. DIVVS AVGVSTVS PATER.

Aquila cum fulgure sub pedibus. *Num.31. Cap.30.* Ara prouidentiæ. *Num.32. Cap 30.*

CCXIX. DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput radiatum.

Victoria clypeum tenens cum litteris S. P. Q. R. nummi à posterioribus Imperatoribus restituti. *Num.13.15.16.17.&.20. Cap.15.* Sacerdos agens iugum boum. *Num.12. Cap.18.* Orbis cum gubernaculo. *Num.13.&.17. cap.21.* Quercea cum litteris S. C. *Num.77. cap.12.* Templum rotundum. *Num 4. cap.29.* Aquila insistens orbi. *Num 16.23.26.28.30.&.35. cap.30.* Aquila fulmen vnguibus premens. *Numm.18.19.&.21. cap.30.* Ara prouidentiæ. *Numm.17.20.24.25.27.34.& .36. Cap.30.* S. C. in medio cum titulo. IMP. T. VESPASIAN. AVG. RESTITVIT. *Numm.37.& .39. Cap.30.* Fulmen. *Numm.38.40. 41.& .42. Cap.30.*

CCXX. DIVVS AVGVSTVS PATER.

Caput laureatum.

Orbis cum gubernaculo. *Num.19. cap.21.*

CCXXI. Caput nullis inscriptum litteris.

Laurea cum litteris XXX. *Num.9. Cap.25.* Capricornus cum orbe. *Num.11. Cap.24.*

CCXXII. DIVVS AVGVSTVS PATER.

Caput laureatum.

Orbis cum gubernaculo. *Num.15. cap.21.* Aquila orbi insistens. *Num.28. cap 30.* Fulmen. *Num 43. Cap.30.* S. C. in medio cum titulo. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. RESTITVIT. *Num.46. Cap.30.*

CCXXIII.

CCXXIII. DIVVS AVGVSTVS PATER.
Caput laureatum.
Circus cum obelisco & metis. Num.4.&.6: cap.27.

CCXXIIII. Caput radiatum, nullis inscriptum litteris.
Laurea cum littera X. Num.5. Cap.25. Capricornus cum orbe, gubernaculo, & cornucopiæ. Num.12. Cap.24.

CCXXV. DIVVS AVGVSTVS P.P.
Caput laureatum.
S. C. in medio cum titulo IMP. NERVA CAESAR AVGVSTVS REST. Num.38. cap.30.

CCXXVI. DIVVS AVGVSTVS PATER.
Caput radiatum.
Sacerdos agens iugum boum. Num 12. cap.18.

CCXXVII. DIVVS AVGVSTVS PATER.
Caput laureatum.
Numida equum effrenem & instratum ducens. Num.8. cap.11.

CCXXVIII. DIVVS AVGVSTVS P.P.
Caput radiatum.
Victoria clypeum tenens cum litteris S. P. Q. R. à Nerua restitutus. Num.18. Cap.15.

CCXXIX. Capita Augusti & Iuliæ Augustæ, ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ.
Capita Tiberij & Germanici Cæsarum. Num.6. Cap.32.

CCXXX. ΘΕ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ.
Caput radiatum.
Europa tauro vecta. Num.22. cap.19.

CCXXXI. Capita Augusti & Iuliæ Augustæ. ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΙΟΥΛΙΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ.
Capricornus cum Sidere & orbe. Num.10. cap.19. Augustus Liuiæ coniugi lauream imponens. Num.6. cap.31,

CCXXXII. ΘΕΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ.
Caput radiatum.
Templum Augusto ab Atheniensibus constitutum. Num.13. cap 29. Caput Iouis Axuris. Num.28. cap 29.

CCXXXIII. Capita Augusti & Iuliæ Augustæ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΑ ΘΕΙΑ.
Capita Tiberij Cæsaris & Iuliæ Augustæ. Num.5. cap.32.

CCXXXIIII. ΘΕΙΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. Caput radiatum.
Seleuciæ simulachrum turritum rupi insidens, sub pedibus viri simulachrum, Nu.15. Cap.19.

CCXXXV. ΤΟΝ ΘΕΙΟΝ ϹΕΒΑϹΤΟΝ ΠΑΤΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟϹ. Caput radiatum.
Templum Dianæ Ephesiæ & Aesculapij. Num.34. cap.29.

CCXXXVI.

CCXXXVI. Capita Augusti & Iuliæ Augustæ nullis inscriptum litteris.

Ceruus. Num.28. Cap.19.

CCXXXVII. ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΠΑΤΕΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Caput radiatum.

Templum Augusto à Cæsariensibus Philippopolitis constitutum. Numm.22. Cap.29.

CCXXXVIII. Capita Augusti & Iuliæ Augustæ ΘΕΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ.

Mulier turrita Laodicææ vrbis simulachrum. Num.21. Cap.19.

CCXXXIX. CEBACTOC ΘΕΙΟC ΠΑΤΗΡ. Caput radiatum.

Templum Augusto ab Heracleensibus constitutum. Num.20. cap.29.

CCXL. Capita Augusti & Iuliæ Augustæ. ΘΕΙΟC CEBACTOC, ΘΕΙΑC EBACTA.

Ceruus ΕΦΕCΙΩΝ. Num 30. cap.19.

CCXLI. DIVVS AVGVSTVS. Caput radiatum.

Porta siue vallum Emeritæ coloniæ. Num.16. Cap.18.

CCXLII. ΤΟΥ ΘΕΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Caput radiatum.

Caput velatum ac turritum ciuitatis alicuius. Num.5. Cap.19.

CCXLIII. DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput radiatum.

Clementiæ vel Diuæ Iuliæ Augusti coniugis statua sedens. Num.4. Cap.31.

CCXLIIII. Caput radiatum, nullis inscriptum litteris.

Aquila fulmen pedibus tenens. Num.24. cap.30.

CCXLV. DIVVS AVGVSTVS PATER PATRIAE Caput radiatum.

Ara consecrationis cum fulmine & aquila. Num.13. Cap.30.

CCXLVI. Caput radiatum, nullis inscriptum litteris.

Aquila fulmen sub pedibus habens. Num.14. cap.30.

CCXLVIII. Caput radiatum nullis inscriptum litteris.

Diuæ Iuliæ Augustæ statua sedens. Num.9. Cap.31.

INDEX



Index rerum memorabilium & propriorum nominum, quæ in numiſmatibus ſpectantur & leguntur.

A

B

Bel-

Co-

D

Ger-

La-

L. Muſ-

Sig-

INDEX EORVM QVÆ RELIQVO

in opere [illegible] & [illegible]

A

B

Bri-

Ti. Cæ-

Cn.

Intercatia

Lex

M

Maroboduus

N

Pelendo-

T

V

FINIS.

IN AVGVSTVM CAESAREM

HVBERTI GOLTZII HERBIPOLITAE VENLONIANI CIVIS ROMANI, VOTVM ANDREAE KETELLE BRVGENSIS I. V. D. ET EQVITIS AVRATI.

AD MAXIMILIANVM AVSTRIACVM II. ROMANORVM IMPERATOREM PIVM FELICEM SEMPER AVGVSTVM.

AVGVSTI fastos,& prisca Numismata, CAESAR,
Dum tibi Dædalea GOLTZIVS arte sacrat,
Optat vt auspicijs paribus,nec dispar habenis
Mundi inclinatas nunc tuearis opes.
Multa quidem infidæ Latio dant funera gentes,
Et veluti rupto carcere dira cient:
Atra sed infaustis sibi falcibus omina ducunt,
Flagranteisque ferunt in sua busta faces.
Scilicet AVSTRIACAE despondent Numina genti
Imperium terris, Imperiumque mari.
Tu modò desponsam per vera Oracula sortem
Fac iterum in fastos luxuriare nouos.
Ne dubita, tua Relligio te tramite recto
Ducet ad optatum per freta vasta decus.

AMPL-

AMPLISSIMO CLARISSIMOQVE EQVITI D. AVGERIO A BOESBEKE, SERENISS. AVSTRIAE ARCHIDVCVM PRINCIPVMQVE GVBERNATORI, Ioannes Stadius S. D.

AVGVSTVM suum Goltzius Antiquarius nobilissimus IMPERATORI MAXIMILIANO.II. AVGVSTO dedicat; atq; cùm inter præcipua Augusti præconia laudesque relatum fuisse obseruassem, quòd sui sæculi ingenia omnibus modis fouisset; eos tamen arctissimè, qui C. Cilnij Mæcenatis commendatione florebant, complexus fuisset: in te, Amplissime AVGERI, oculos animumque conuertere cœpi; teque eundem fore non dubitabam, qui Mæcenatis partes apud MAXIMILIANVM CAESAREM AVGVSTVM in ornando Goltzio nostro suscipere dignareris. Nam etiamsi in tam excelsa dignitatis istius specula, omnium admirationem colligas; tamen prudentissimè Reipublicæ caussa saluberrimè bonarum artium patrocinium & litteratorum suscepisti: ita enim honos iste tuus Reipublicæ salutaris, laudem sine inuidia, lætam ad posteritatẽ memoriam cum sempiterna nominis tui gloria inuenturus est. Atque vt quondam DIVI FERDINANDI AVGVSTI per octennium apud SOLYMANNVM Turcarum Principem Legatus, Reipublicæ Christianæ laboranti lumen animi ingenijque tui non semel ostendisti; captiuos & in seruitutem miserrimam proiectos tua pecunia in libertatem asseruisti; & vt medendi artem iuuares, quò hominum valetudini facilius & securius consuletes, Matthioli Medici clarissimi in re herbaria Commentarios conquisitis vndique in legatione tua auxiliis ornasti: ita nunc quoque domi pacis in artibus, in quibus & Mæcenas vt præcipuus celebratur, te tota posteritas magno consensu, egregio virtutis testimonio, Mæcenatis cognomento venerabitur, & cultura est. modò ea commendatione tua, & qua apud AVGVSTVM vales & potes auctoritate, Antiquitatis & Historiarũ instauratores fouebis & complexurus es. quod equidem vt rectè facturus es & sapienter, ita bene de omnibus priuatim publicéque meriturus. nam vt Historia cuique hominum vitę magistra est; ita respublica petitis ab historia consiliis & exemplis fulcitur: intereunt vrbes, regna, respublicæ; mortalium omnia caduca fragiliaque sunt. Respublica vt propagatione vicissitudineque nascentium sempiterna est; ita beneficia quæ in eandem conferuntur, sempiternam habent gratissimi nominis memoriam, & historiæ beneficio æuum sæculorum consequuntur. Historiæ quoque erga tuam in litteratos benignitatem officio, ad posteritatẽ propagabitur ista virtus tua, ea prudentia vitæque integritas, qua Turcam licentia potestateque impo-

Nn tenter

tenter dominantem, tuæ tamen voluntatis facere potuisti: qua Barbarum inhospitalemque vsqueadeò in tui admirationem conuertisti, vt te præsentem, te abeuntem omni officiorum genere prosequutus fuerit: imò quod vix fidem apud posteritatem inueniret, nisi publicis monumentis testatum esset, tibi exoptatissimæ pacis Legato, tuamque fidem, nouo in Othomanica gente exemplo, seipsum sacramento inuiolato obstrinxerit. Ceterùm laborat communi litteratorum infortunio Goltzius noster, atque quum Reipublicæ litterariæ, vnde tot fructus manant in publicam vtilitatem, se totum dedicauerit, publicæque saluti consuluerit; tamen tanti ipsius labores & curæ ferè semper sterilescunt, eiusque felicitati fortuna, aut iniquius fatum, nescio qua malignitate semper obstruit. Quare equidem tua in me animi propensione confisus, & officiorum aliquot meorum promtitudine, quum Antvverpiam ante triennium vnà cum Hispaniarum REGINA ARCHIDVCES AVSTRIAE deduxeras, V. Amplitudini probatus, supplico, vt genij tui tam salutaris adspiratione, Goltzij genium tam bene de republica, de publicis studiis merentem, meriturumque erigas; eundemque inducas in spem fortunamque meliorem. Qui si Sacræ Cæsareæ Maiest. per auctoritatem tuam commendatus, beneficio ornabitur, futurum confide, quòd GRAECIA tot olim calamitatibus affecta, nunc suis ruderibus sepulta, adhæc noua Barbarie oppressa, per Goltzij industriam operamque ex antiquitatis monumentis & numismatibus restituta, breui & ipsa apparitura sit: tantique in rempublicam beneficij & exquisitissimi artificij laudem & vtilitatem posteritas etiam aliqua ex parte V. Amplitudini cum summa nominis tui commendatione acceptam sit relatura. Adhæc non dubito, Vir Amplissime, quin tanto isti tuo in iuuanda Republica studio dulcissimum sit futurum, contemplari & oculis subijcere per historiam cum numismatibus ex ordine Geographico consentientem, tot regna, tot vrbes ac respublicas interitu suo fatalique conuersione, vel hostium iniuria obrutas & deletas, quarum vestigia camposque ruderibus & cineribus sparsis accumulatos tua in legatione obseruasti, Goltzij iterum curis & lucubrationibus instauratas. Goltzium itaque nostrum, qui ista & maiora sub manibus habet, egregiamque eius in ornanda re litteraria voluntatem commendatam habeas; quò istius laboris & industriæ ex dedicato AVGVSTO fructum nunc aliquem capere possit; & beneficium tuum te optimè collocasse, publica priuataq; fide testatum erit. Bene vale. Brugis Flandriæ XIIII. Kal. Februarij CIϽIϽ. LXXIIII. ratione Romana.

ORNA-

ORNATISSIMO VIRO HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITAE VENLONIANO CIVI ROMANO, HISTORICO, ET TOTIVS ANTIQVITATIS RESTAVRATORI INSIGNI, AMICO OPTIMO SVO,

IOANNES SAMBVCVS PANNONIVS TIRNAVIENSIS P. S.

Quid doctiſſime Goltzi de tuo Auguſto copioſo eo, totque auerſis ab imagine hiſtorijs illuſtri, vel potius omnino ego de tuo ingenio, & conatibus ſentiam: iam ante annos decem, ni fallor, cùm vobiſcum ſuauiſſimè eſſem, intelligere potuiſti. Tum certè opinionem non vulgarem excitaras: nunc verò id ipſum totius Orbis teſtimonio locuplete comprobatum vehementer lætor. Italiæ quidem omnis antiquitatis & elegantiæ parenti, nihil non tribuendum cenſeo: ſed non minus (abſit quidquam offenſionis aut gratiæ ergo mihi excidat) Germaniæ ſtudijs, præcipuè Belgico, nunc concedendum præconium arbitror, in quo ab aliquot annis principum & nobilium egregia & ad veterũ exempla formata pectora extitêre: quorum cùm propria cognitione, tum liberalitate, ac ſubſidio, vniuerſa pœnè laus, cõmendatione priſcorum ex Italia deportata, ac veluti Herculi claua extorta iam viſitur. Quòd ſi aliud nullum immortalitate dignum exemplum ac nobile ſuppeteret; profectò induſtria tua, & fratrum Laurinorũ Dominorũ à VVaterﬂiet, & à Clinckerland, vnicũ pro millibus ſufficeret. Quos ipſos niſi coram, & varijs colloquijs καὶ συζητήσει noſſem, difficile tot laudes in eos iuſtè collatas credere. Horum tu in primis quoque ingenioſiſſimè Goltzi beneficentia, hoſpitio, in omnes huius conſilij partes voluntate prolixa, tuos theſauros promis, poliſq; ac edis. Nimirum longè te diſſimilem ac nonnullos iſtius cognitionis & cogitationum leuiculos iactatores animaduerto: quibus cùm ambitioſè, & prætextu modò nominis, aliquot nũmi, picturæ, epigrãmata longo vſu & praxi magis coaceruata ſunt, quàm iudicio collecta: aliquot argumẽtis circumforaneis holoſericati & torquati magnatum limina terunt, ſumptus ad θαυμαστὰ illa & abdita ſua aliquando diuulganda emendicare ſolent: vbi loculos complerunt, benefactores rident: de quibus aliàs. Ad tuum Auguſtum Goltzi redeo: quem ferè formis abſolutum, nobis te daturũ breui, ex animo gaudeo: vtinã vita & auctores tibi ad decem ſaltem reliquos ſufficiant: næ tu cunctos beabis, & ſtatua publica dignus pronũciabere, vnà cum patronis Laurinis. Si quid in meis eſt, quod inſtitutum veſtrum iuuerit, nihil denegabo: quod verò poſſidebam, cùm apud vos eſſem, id facilè tibi Goltzi me impertitum meminiſti. Vale vir Clariſſime, & Dominis Laurinis à me mille ſalutes. Viennæ Auſtriæ, Idibus Nouembris M. D. Lxxiij.

ERRATA IN ALIQVIBVS EXEMPLARIBVS IMPRESSA, SIC CORRIGITO.

b. j. *versu* 1. *lege* ignotæ
ibidem *versu* 2. *lege* suspicerent
b. iij. *verso, linea* 23. *lege* opem
pag. 2. *versu* 35. *lege* insequentis diei diluculo
pag. 5. *versu* 17. *lege* in ea fraude
pag. 27. *versu* 13. *lege* Rebus publicis
pag. 38. *versu* 15. *lege* quem vt in patris
pag. 41. *versu* 17. *lege* viribus moueret
pag. 45. *versu* 30. *lege* callido
pag. 57. *versu* 14. *lege* Fufio
pag. 58. *versu* 29. *lege* Volcatius
pag. 60. *versu* 6. *lege* Q. Nasidio
ibidem *versu* 24. *lege* Deiotarus
ibidem *versu* 30. *lege* destitutum
pag. 63. *versu* 24. *lege* Antonio
pag. 64. *versu vltimo* *lege* Schænuntem
pag. 67. *versu vltimo* *lege* Hippodromum
pag. 70. *versu* 13. *lege* ceterorum
ibid. *versu* 24. *lege* imagines
pag. 71. *versu* 34. *lege* è *pro* &
pag. 72. *versu* 4. *lege* imaginem
ibidem *versu* 11. *pro* namque *lege* autem
pag. 74. *versu* 13. *pro* Persarum *lege* Parthorũ
pag. 75. *versu* 15. *lege* diuisit
pag. 77. *versu* 5. *lege* moueret
pag. 78. *versu* 12. *lege* orbato
ibid. *versu* 28. *lege* Zyraxis
ibid. *versu* 33. *lege* Romanas
pag. 81. *versu* 24. *lege* Flaminino
pag. 82. *versu* 23. *lege* inexpectatæ
pag. 83. *versu* 2. *lege* tantarum
ibid. *versu* 23. *lege* iactatur
pag. 85. *versu* 3. *lege* inflammata
ibid. *versu* 27. *pro* Tribunatu *lege* Triumuiratu
pag. 89. *versu* 9. *lege* vetabatur
pag. 91. *versu* 7. *lege* præhensabátque
pag. 92. *versu* 33. *lege* Ariminum
pag. 93. *versu* 6. *lege* repurgandorum
ibid. *versu* 17. *lege* Arimini
pag. 96. *versu* 2. *lege* gentémque
ibid. *versu* 15. *lege* coniungere
ibid. *versu* 39. *lege* elicuissent
pag. 98. *versu* 26. *lege* consciscerent
pag. 99. *versu vltimo* *lege* exorirentur
pag. 101. *versu* 28. *lege* Brigecini
pag. 102. *versu* 22. *lege* Areuaccis
ibid. *versu* 25. *lege* Salassos
ibid. *versu* 38. *lege* Germania
pag. 107. *versu* 4. *lege* humanitus
ibid. *versu* 30. *lege* iudicio
pag. 109. *versu* 39. *lege* Domitij, aui Neronis
pag. 110. *versu* 25. *lege* necati
pag. 111. *versu* 33. *lege* Primim
pag. 113. *versu* 36. *lege* contemtor
pag. 115. *versu* 19. *lege* Babursa
ibid. *versu vltimo* *lege* accidisse
ibid. *in margine* *lege* RECEPTIS
pag. 117. *versu* 28. *pro* eum *lege* cum
pag. 120. *versu* 3. *lege* eosque
pag. 125. *versu* 4. *lege* impuberes
ibid. *versu* 8. *lege* Tridentinas
ibid. *versu vltimo* *lege* Arausionem
pag. 127. *versu* 8. *lege* Idem
ibid. *versu* 34. *lege* Berytum
ibid. *versu* 35. *lege* Latij
pag. 129. *versu* 17. *lege* intempestiuis
pag. 131. *versu* 8. *lege* dissedit, & aliquanto
pag. 133. *versu* 18. *lege* petebat S. C. factum est
pag. 136. *versu* 19. *lege* Æmimontanus
pag. 138. *versu* 26. *lege* Hinc
pag. 139. *versu* 27. *lege* peragratúsque
pag. 142. *versu* 8. *lege* conuocato
pag. 145. *versu* 15. *lege* Herodes Hyrcanum de captiuitate Parthica reuersum (Barzapharnes enim occupata Syria ipsum captiuum abduxerat) qui prius. &c.
pag. 147. *versu* 3. *lege* possessione
ibid. *versu* 22. *lege* epulatus
ibid. *versu* 28. *lege* autem
pag. 148. *versu* 30. *lege* buccula
pag. 150. *versu* 9. *lege* Iulus
pag. 153. *versu* 2. *lege* C. Passienus
ibid. *versu* 4. *lege* Vipsanianus
pag. 154. *versu* 28. *lege* Calibus
pag. 159. *versu* 2. *pro* Cossus *lege* Cn
ibid. *versu* 8. *lege* Bructeros
pag. 162. *versu* 19. *lege* Pinete
ibid. *versu* 38. *lege* Senatu
pag. 165. *versu* 8. *lege* à Siluano
ibid. *versu* 34. *lege* expugnari
pag. 168. *versu* 18. *lege* Arminius
ibid. *versu* 25. *lege* Arminij
ibid. *versu* 27. *lege* Arminium
ibid. *versu* 30. *lege* omnemque
ibid. *versu* 31. *lege* Arminij
pag. 171. *versu* 20. *lege* hybrida
pag. 172. *versu* 13. *lege* binoctio
pag. 174. *versu* 1. *lege* cominus
ibid. *versu* 12. *lege* permanserat
pag. 176. *versu* 9. *lege* *μετά*
pag. 179. *versu* 38. *lege* Attio
pag. 180. *versu* 44. *lege* Vipsaniam
pag. 182. *versu* 11. *lege* lactucæ
pag. 183. *versu* 21. *lege* festicula
pag. 184. *versu* 31. *pro* vocasset *lege* rorasset
pag. 228. *versu* 22. *lege* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
K k vij. *in Indice versu* 23. *lege* Ariobarzanes.

EXEMP-

EXEMPLA PRIVILEGIORVM,

Pontificis Maximi, Imperatoris Cæſaris, Catholici Regis Hiſpaniæ, & Chriſtianiſſ. Gallorum Regis.

PIVS .IIII. PONT. MAX.

MOTV *proprio.&c. Cùm, ſicut accepimus, dilectus filius noſter Hubertus GolZius Herbipolenſis, numiſmata antiqua, quæ in varijs Principum & antiquitatis ſtudioſorum muſæis reperiuntur, tanta diligentia, arte, & induſtria hinc inde ab vtraque parte penicillo expreſſerit, nouoq; cõmento repræſentauerit, vt numiſmata ipſa ante oculos poſita videantur, eaq; in ordinem ſuis quaque locis redacta, & in plures libros diſtributa, in æs referre & incidere cœperit, & eadem additis pro cuiuſque varietate hiſtoriarũ argumentis, explicationibuſq; ad publicam vtilitatem excudi facere, ac in lucem edere intendat, & iam primum librum ſub titulo : Hiſtoria Imperatorum Cæſarumq; Romanorum ex antiquis numiſmatib. reſtituta: additis illorum numiſmatum q̃ veriſſimis exactiſſimiſq; delineationib. edere, ac inſuper alios ex ordine Imperatorum, tum etiam Conſularium, ac Græcorum numiſmatum libros edere præparet, Nos ne ipſe poſt immenſos huiuſmodi labores atque expenſas, libri ipſi poſtquam editi fuerint, ab aliis excipiantur, ac etiam in vulgus edantur, ipſeq; proinde calcographi fructu, in magnam ſui iacturam priuetur, eius indemnitati conſulere volentes, motu ſimili, & ex certa ſcientia eidem Huberto concedimus, quòd intra decennium poſt ſingulorum eorundem librorum impreſſionem & editionem, nullus niſi dictus Hubertus in toto vel in parte, vbique per vniuerſam Italiam imprimere, aut alibi impreſſos venum exponere, habere, vel tenere, vel tranſmittere, ſeu mutare poſſit, deſtrictiùs inhibentes vniuerſis Impreſſoribus, Bibliopolis, ac quibuſcunque alijs, quocunque priuilegio ſuffultis, tam in alma vrbe, ac alijs ciuitatibus, terris, & prouincijs, ditioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiectis, quàm quacunque alia parte totius Italiæ, ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ, aliiſq; ſententiis, cenſuris.&c. Et vlteriùs quoad eos qui nobis mediatè vel immediatè ſubiecti ſunt in temporalibus, vt præfertur, tam coniunctim q̃ diuiſim ſub pœnis quingentorum ducatorum auri de Camera, pro vna Cameræ Apoſtolicæ, & alia medietatib. ipſi Huberto, vel ab eo cauſam habentibus applicandis, ac diſtractionis & perditionis omnium librorũ, toties quoties contrauentum fuerit, abſque alia declaratione incurrendis, ne per decem annos præfatos, ab eo tempore quo ſinguli libri ipſi imprimentur & edentur, dictos libros aut quamuis huiuſmodi operis partem, etiam ſub nomine præfati Huberti imprimere, excudere, vel imitari ſeu imprimi aut imitari procurare, vel ibi aut alibi impreſſos.& excuſos transferre vel aduehere, ſeu præmiſſa aut quauis alia inſcriptione, additione, tranſpoſitione, mutatione, vel alia excogitata via edere, habere, vel producere audeant quoquomodo ſeu præſumant, ac mandantes vniuerſis venerabilib. fratribus noſtris Archiepiſcop s & Epiſcopis, eorumq; vicariis in ſpiritualib. generalibus, & in ſtatu temporali S. Ro. Eccleſiæ, etiam Legatis & vicelegatis ſedis Apoſtolicæ, ac ipſius ſtatus gubernatoribus, quatenus ipſi quoties pro ipſius Huberti parte fuerint requiſiti, Eidem Huberto, ac pro eo agentib. efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ad executionem præmiſſorum etiam manu regia procedant, inobedientes & rebelles per prædictas aliaſq; cenſuras & pœnas, ceteraq; Iuris & facti remedia quacunque appellatione remota compeſcendo, eaſq; ſæpiùs aggrauando, inuocato.&c. ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionib. & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſimilibus vel diſſimilibus, ac quibuſcunque aliis ſpecialibus vel generalibus priuilegiis & indultis quibuſlibet in contrarium quomodocunque conceſſis & concedendis, ceteriſq; contrariis quibuſcunque. Et quia difficile eſſet præſentes ad quælibet loca quibus opus erit deferri, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd earum tranſſumtis vel exemplis etiam in ipſis operibus impreſſis, plena & eadem prorſus fides vbique tam in iudicio quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ : ac etiam volumus, quòd præſentis noſtræ cedulæ motus proprij, etiam abſque illius regiſtratura, ſola ſignatura ſufficiat, & vbique fidem faciat, in iudicio & extra illud, regula in contrarium edita non obſtante. Datum Romæ anno à natiuitate Domini M. D. LXII. Indictione quinta, die verò .XII. menſis Maij, Pontificatus noſtri anno tertio.*

Placet motu proprio.I.

MAXIMILIANVS secundus diuina fauente clementia electus Romanorū Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Slauoniæ. &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & Silesiæ. &c. Marchio Morauiæ ac Lusatiæ. &c. Comes Tirolis. &c. Notum facimus tenore præsentium vniuersis Ingenuos hominum ad Rempub. maximè literariam, iuuandam animos applicantium conatus & labores beneficentia & patrocinio nostro prouehi, foueri, atque adeò ardentiùs excitari, inter cetera muneris Cæsarei nostri officia non postremum esse semper duximus. Cùm igitur noster & sacri Imperij fidelis dilectus Hubertus Goltzius Herbipolensis, antiquarius & incola ciuitatis Brugensis sub Comitatu Flandriæ, nobis humiliter exponat sese summa diligentia, industria & incomparabili sumptu nuper ad publicam vtilitatem composuisse & conscripsisse, atque typis excudenda suscepisse opera aliquot ad historicam antiquitatem eruendam apprimè vtilia: quorum titulus est, Prius quidem; Fasti magistratuum & triumphorum Romanorū, ex antiquis tam marmorum, quàm numismatum monumentis restituti. Cæsar Augustus, siue Historia Impp. Cæsarumq́; Rom. ex antiquis numismatibus restitutæ liber secundus. Tiberius Cæsar, siue Historia Impp. Cæsarumq́; Rom ex antiquis numismatibus restitutæ liber tertius. &c tum etiam Græcorum numismatum libros: Vereri autem, ne laboris sui immensi in his conscribendis positi, & sumptus grauissimi in conquirendis vndique eiusmodi numismatibus, eisdemq́; sculpturæ & impressioni adaptandis, ac in æreis figuris & formis exprimendis, fructus, & laudem speratam & debitam alius fortè sculptor aut impressor intra fines Sacri Imperij primò editionem huiusmodi librorum, eosdem formis, & typis suis imitando, excipiendo, excudendo, demum diuulgando & diuendendo sibi præripiat, præter omnem æquitatis rationem, in summum rerum ipsius dispendium: Oret itaq́; supplex, vt eiusmodi incommodo, quod indignè in ipsum redundare posset, Cæsarea nostra authoritate occursuri, Rescripto siue Priuilegio impressoreo, quo quibuscunq́; typographis vel sculptoribus per Sacrum Romanum Imperium iam commemoratos libros intra certum à prima authoris editione tempus, excudere, aut imprimere & distrahere inhibeatur, indemnitati suæ clementer consulamus: Nos sanè precibus illius benignè annuentes, scienter & animo bene deliberato, ex Cæsarea nostra authoritate expressè inhibemus omnibus ijs, qui quidem in Sacro Romano Imperio & hæreditarijs nostris Prouincijs, sculpendi, imprimendi artem profitentur, seu alia quacunque ratione librariam mercaturam exercent, ne ipsi aut aliquis eorum coniunctim vel diuisim in præiudicium vel fraudem ipsius Huberti Goltzij, suorum hæredum, siue mandatum & actionem ab alterutro habentium, sub eius nomine, aut sine ipsius consensu vel eiusdem mandatariorum, audeat præfatos Fastos, Imperatorum Rom. atque Græcorum numismatum libros per ipsum Goltzium edendos excipere, sculpere, imprimere, edere, producere, æmulari vel imitari procurare, aut eosdem libros & opera alibi extra fines Sacri Imperij forsan, præterquam ab ipso Authore Goltzio edita, sculpta, impressa, aut imitata, intra fines eiusdem Imperij vanum exponere, habere, vel transmittere seu permutare palàm, occultè, directè vel indirectè, aut quouis sub prætextu, vsque ad terminum decem annorum, qui ab editione cuiusque libri seu operis proximi numerabuntur, sub pœna confiscationis omnium eiusmodi librorum contra Mandatum seu Rescriptum hoc nostrum excusorum, & decem insuper marcarum auri in singula opera exoluendarum, media quidem Fisco nostro Cæsareo, alterius verò partis ipsi Huberto, eiúsue hæredibus vel mandatarijs. Mandamus igitur vniuersis & singulis nostris & Sacri Romani Imperij subditis ac fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quàm Laicis, cuiuscunque gradus, status, & conditionis existant, in magistratu præsertim constitutis, vel eum superiorum suorum nomine gerentibus, vt Rescriptum & Priuilegium hoc nostrum à quibuscunque inuiolatū atque intemeratum tueantur, & mulcta præscripta violatores, si qui erunt, & alia quacunq́; ratione coërceant, siquidem indignationē nostram grauissimam, et eandem mulctam subterfugere voluerint. Et vt firma rataq́; hæc omnia nos habere omnino velle apertiùs constet, nostro & sigillo cōmunitas, et manu subscriptas hasce literas extare volumus. Datæ in Ciuitate nostra Vienna Austriæ. XXII. die mensis Iunij. An. M. D. LXV. Regnorū nostrorū Romani tertio, Hungarici. II. Bohemici verò. XVII.

Maximilianus. ad mandatum sacræ Cæsareæ

I. V. Las. maiestatis proprium. Schuanbach.

PHILIPPVS .II. HISPANIARVM REX.

SVR la requeste presentée au Conseil du Roy nostre Seigneur par Hubert Goltz natif de Venlo, de-
mourant en la ville de Bruget, remonstrant comme auec grand peine, trauail. fraiz, & despens, il a
recherché toutes les Medailles des anchiens, tant Grecs, Consuls, & Empereurs Romains, que autres : &
pour cest effect s'est transporté es pays & Royaumes des Gaules, des Alemaignes, tant haulte, que basse,
& par toute l'Italie, Naples, & ailleurs. Et estant de retour audit Bruges, il les a mesmes taillez & gra-
uez en cuyure. Hors desquelles Medailles ledit Hubert Goltz a piecha fait vn recueil de l'histoire ou vies
des Empereurs, ensemble des Fastes, Magistratz, & Triumphes des Romains, tirez tant desdits Medailles,
que des inscriptions, marbres, & histoires antiques, dont il a desia mis quelques liures en lumieré: & pour le
present est d'intention de mettre en lumiere encores vn autre liure par luy cõposé, intitulé: Cæsar Augu-
stus, siue historię Imperatorũ Cęsarũq; Romanorũ ex antiquis numismatib. restitutę, liber secũdus:
accessit Cæsaris Augusti vita & res gestæ, Huberto Goltzio Herbipolita Venloniano Ciue Roma-
no auctore & sculptore. Requerant congé & licence de le pouoir imprimer, ou faire imprimer par au-
tre Imprimeur iuré, & icelluy vendre & distribuer en & par tous les pays de pardeça, Et deffence & in-
terdiction à tous autres, de ne s'auancer d'imprimer ou cõtrefaire ledit œuure, ou ailleurs imprimé, le ven-
dre, durant le temps & terme de dix ans, à commencer du iour & date que ledit Hubert l'aura acheué
d'imprimer, sans le sceu & consentemẽt dudit Hubert, sur peine de confiscation d'iceux liures, & de trois
Carolus d'or, pour chascun d'iceux, applicables la moitie à sa Maiesté, & l'autre moitie au prouffit dudit
Hubert, ou ses ayans cause. Sa Maiesté inclinant à la requeste dudit Hubert Goltz suppliant, a permis,
consenté, & octroyé, consent, permet, & octroye, en luy donnant congé & licence de pouoir imprimer, ou
faire imprimer par vn Imprimeur iuré, resident es pays de pardecha, le susdit liure intitulé, Cæsar Augu-
stus. &c. Sans pour ce aucunement mesprendre ny offencer vers sa Maiesté. Et enoutre, à fin d'aucune-
ment recõpenser ledit Hubert des fraiz, labeurs, & mises, que luy a conuenu & conuiendra faire & sup-
porter à la cause dite, a deffendu & interdit à tous autres Imprimeurs, Libraires, & autres quelzconcques
desdits pays de pardecha, que durant le terme de dix ans prochainement venans, & entresuyuans l'vn l'au
tre, à commencer du iour de la date de cestes, ilz ne s'aduancent d'imprimer, ou vendre, ne faire imprimer
ou vendre, directement ou indirectement, le susdit liure en iceux pays de pardecha, à peine de confiscation
des liures qui ainsi seroient apres luy imprimés, & de trois florins d'amende de chascun liure, à applicquer
moitie à moitie à sadite Maiesté & dudit Hubert Goltz. Fait à Bruxelles le. xxii. iour de Iuing. 1573.

Signat. I. de la Torre.

CAROLVS. IX. FRANC. REX.

CHARLES par la grace de Dieu Roy de France, Au Preuost de Paris, Seneschal de Lyon, & à
tous noz autres Baillifz, Seneschaux, Iuges, & Officiers, qu'il appertiendra, & chascun d'eux Salut.
Nostre bienaymé Hubert Goltz Alleman nous a fait entendre, qu'auec grand peine, trauail, fraiz, &
despens il a recherché toutes les Medailles des anciens, tant Grecs, Consuls, & Empereurs Romains, qu'au
tres. Et pour cest effect s'est transporté par toutes les Allemaignes, Italies, & nostre Royaume, où il a fait
grands despens, fraiz, & mises. Et estant de retour à Bruges en Flandres, il les a mesmes taillez & gra-
uez en cuyure. Lesquelles Medailles ledit Hubert Goltz desiroit voluntiers pour le bien publicq les met-
tre en lumiere euidente, auec la declaration d'icelles, et des histoires anciennes en faisant mention: mais il
doubte que les ayant imprimées, plusieurs autres personnes les voulsissent semblablement contrefaire et im-
primer, qui seroit par ce moyen le frustrer de sesdites peines, labeurs, fraiz, et despens, s'il n'auoit sur ce
noz lettres, qu'il nous a fait humblement supplier et requerir luy impartir. Nous à ces causes, ne voulans
les labeurs, fraiz, et despens, que ledit Hubert a fait pour le recouurement desdites Medailles et histoires
anciens, luy estre tolluz et ostez, et le releuer de pertes et dommage, A icelluy pour ces causes, et autres,
à ce nous mouuans, auons permis et octroyé, et de nos grace speciale, plaine passance, et auctorité Royal,
Permettons et octroions, que pendant et durant le temps et terme de dix ans ensuiuans consecutifz, à
cõmancer du iour et date qu'il aura acheué d'imprimer, il puisse et luy soit loisible faire lesdites Medailles
imprimer, auec lesdites histoires anciennes, par telles personnes que bon luy semblera, les mettre en vente
et distribution pendant et durant ledit temps. Durant lequel nous auons deffendu et deffendons à toutes
personnes de quelque estat, qualité, et condition qu'ilz soyent, d'icelluy ny lesdites histoires et emprintes
imprimer, sur peine de confiscation d'iceux & d'amende arbitraire. Si voulons, et vous mandons, que de
noz presentes grace, permission, et contenu cy dessus, vous faites ledit Hubert Goltz ioyr et vser plaine-
ment et paisiblement, cessant et faisant cesser tous troubles et empeschemẽs au contraire, Car tel est nostre
plaisir, Nonobstant quelconcques lettres, restrictions, mandemens, deffences, et lettres à ce contraires.
Donné à S. Germain en Laye, le. xij iour de Feburier, l'an de grace. 1562. et de nostre regne le deuxiesme.

Par le Roy à vostre relation.

Coignet.

IOAN. CASTELII CHELVI FLANDRI
in symbolum Huberti Goltzij, siue Aurei.

Roma quidem imperium sibi vindicat orbis, at orbi
Eruis Ausonias atque recludis opes.
Vnde novi HVBERTAS diffusa est AVREA SAECLI,
Docte Huberte tui dotibus ingenij.

A V R E A

H V B E R T A S



S A E C V L I

BRVGIS FLANDRORVM
EXCVDEBAT HVBERTVS GOLTZIVS
ANNO A CHR. NAT. M.D.LXXIIII.
MENSE IANVARIO.



